5. 4. 48

S. B. 4.

JAC. CHRISTOPHORI BECKII

S. Th. Doct. & P. P. Inſtituti

FREYIO-GRYNÆANI LECTORIS,

SYNOPSIS INSTITUTIONUM UNIVERSÆ THEOLOGIÆ

NATURALIS & REVELATÆ,

DOGMATICÆ, POLEMICÆ & PRACTICÆ

IN USUM AUDITORII DOMESTICI.

Præmittitur

ENCYCLOPÆDIA THEOLOGICA

BREVITER DELINEATA.

Eph. IV. 15.

Ἀληθεύοντες ἐν Ἀγάπῃ.

BASILEÆ,

Apud JOH. ROD. IMHOFIUM & FIL.

M. DCC. LXV.

[illegible] exposita videl [illegible]

[illegible] de illis doctrinis [illegible]

[illegible] Libertate [illegible]

PRÆFATIO.

Annus erat hujus Sæculi LVII. cum *Fundamenta Theologiæ Naturalis & Revelatæ* in lucem ederem, eo fine, ut mihi ad manus eſſet Libellus, quem in tradendis veritatibus primis Chriſtianæ Religionis ſequerer. In eo enim tria hæc potiſſimum Capita pertractavi, quæ his temporibus maxime neceſſaria, nec tamen in Compendiis Theologiæ ſatis diligenter expoſita videbam. Primum eſt de illis doctrinis, ſine quibus nulla prorſus conſiſtit Religio; nimirum de Exiſtentia & Attributis DEI, de Providentia ejus, nec non de Hominis in agendo Libertate. Alterum de inveſtiganda vera Religione, quam DEI Revelatio tradit; deque Chriſtianæ Religionis divina origine agebat. Tertium denique S. Scripturam conſiderabat, utpote fontem, ex quo divina Revelatio ſit haurienda.

Animus erat eodem, quo cœperam, modo pergere, & ipſa Religionis Chriſtianæ Capita concinna quadam brevitate exponere, ut integrum aliquod veluti Compendium Theologiæ a me in uſum Studioſorum noſtrorum exſtaret. Dum vero Typographus aliis rebus excudendis occupatus, id quod a me offerebatur opuſculum prælo ſubjicere non poſſet; interim dum mora trahitur, & ego de hoc meo conſilio identidem cogito, novum mihi ſubito natum eſt Schediaſma, quo interea ad inſtituendos Auditores meos uterer. Id cum honeſtiſſimis Viris, ex quorum officina prodit, typis exprimendum offerrem, promtam mihi ſuam operam præſtiterunt, effeceruntque, ut quam emendatiſſime Liber in publicam lucem prodiret.

Quod vero de meo qualicunque labore dicam, nihil eſt, niſi, ut Lectoribus quaſi in tabella brevi ante oculos ponam, quid mihi in eo ſuſcipiendo conſilii fuerit. Et primum quidem, cum *Synopſin* hanc meam edo, nemini in mentem venire debet, me erudito Orbi aliquid plauſu dignum exhibere voluiſſe. Non enim eruditos inſtituere conabor unquam, ſed ab iis potius ipſe, quoad

vivam,

vivam, diſcere ſtudebo. Juvenibus ſtudioſis hæc deſtinata ſunt, qui nos alioſque docentes audiendo ad veram & Evangelii Miniſtris neceſſariam eruditionem Theologicam pervenire cupiunt. His in uno aliquo, eoque mediocris magnitudinis, Libro omnes Theologiæ noſtræ partes exhibere volui, ac veluti filum aliquod ſubminiſtrare, quod ſi ſequerentur, ad optatum finem pervenire poſſent.

Cum igitur in *Prolegomenis Fundamentorum* meorum indicatum fuerit, quænam potiſſimum ratio Theologiam tractandi mihi placeret; non opus erit, ut nunc pluribus verbis cauſſas referam, cur eam in hoc opuſculo ſim ſecutus. Interim fatendum hic eſt, nonnulla mihi poſtea in mentem veniſſe, quæ ex uſu Studioſorum Juvenum eſſent. Non ergo dubitavi, poſteriores illas meas cogitationes ſequi, ac talem univerſæ Theologiæ *Synopſin* conſcribere, quam eſſe idoneam putarem, ut iſtius ſanctiſſimæ diſciplinæ plenum Syſtema Auditoribus intra X. Menſium, aut Anni Academici ſpatium tradi poſſet. Ceteri, qui noſtram hanc *Synopſin* explicantes non audient, adhibere tamen illam poterunt, ut Summam aliquam habeant in prom-

tu, ad quam quidquid de re theologica audient aut legent, tanquam ad Locos Cemmunes referant, ac ſibi bene ordinatum *Veritatis*, *quæ eſt ſecundum pietatem*, theſaurum colligant.

Nemo non confeſtim deprehendet, multum inter hanc noſtram *Synopſin*, & alia S. Theologiæ Compendia intereſſe. Novam hanc rationem ceteris præſtare fateor me crediſiſſe; atque exiſtimare porro, eam vulgari illa, quæ hactenus uſitata fuit, & commodiorem & pleniorem eſſe. Non enim actum agere, & Compendiis innumerabilibus, quæ exſtant, addere aliquod novum conſtituiſſem, niſi temporibus iſtis, quibus vivimus, accommodatius ac plenius confici poſſe cenſuiſſem. Cumque XX. jam anni elapſi ſint, ex quo tempore S. Theologiam publice privatimque docere cœpi, adhibitis interim variis Compendiis, ipſa experientia edoctus fui, quænam in ſingulis deſiderarentur. Sed ego non reprehendam aliorum Scripta; mea utcunque commendare contentus.

Primum ergo illud, quod deſideravi ipſe & ab aliis deſideratum obſervavi, eſt generalis quædam in S. Theologiæ Studium introductio, qua & Idea ipſa univerſi hujus, quod Theologis & V. D. Miniſtris

niſtris neceſſarium eſt, Studii repræſentaretur, & via oſtenderetur, qua ad illud facillime contendere Juvenes poſſent. Hoc fine *Encyclopædiam Theologicam* præmiſi, quæ ita antiquo, ſed nuper demum veluti in uſum reducto vocabulo, appellaretur. Quænam in hac pertractentur Capita *Index* oſtendit, qui p. 56. adjectus eſt. Nihil eſt, quod addam, niſi hoc ſolum; eos a nobis nominatos & commendatos Libros eſſe, quos ipſa experientia edoctus eram, noſtris Studioſis commodiſſimos eſſe, nec adeo magnis ſumtibus comparari poſſe.

Poſt *Encyclopædiam* ſequitur *Theologiæ Dogmaticæ* Sect. I. qua ea exhibentur, quæ Chriſtiano homini, ut ad Salutem æternam perveniat, cognoſcenda & pro veris habenda ſint. In his operam dedi, ut primum *Religionis Naturalis* principia, deinde *Revelatæ Religionis* Veritas, concinna quadam brevitate demonſtraretur. Tum de fonte Revelationis, *S. Scriptura*, actum. Inde ſequuntur ipſa *Dogmata*, ſeu Veritates, quibus Chriſtiana Religio conſtat. Ordinem in his exponendis nec ſcholaſticum, nec ſcientificum adhibendum cenſui. Nimis enim hoc artificioſum eſt, & Scholæ magis, quam uſui Vitæ; & eruditorum exercitiis potius,

quam Praxi Eccleſiarum accommodatum. Quis enim ferret Eccleſiæ Miniſtrum, qui ſcientifice concionari, & Catechumenos ſuos inſtituere vellet? Non eſt certe a natura alienus ille ordo rerum tractandarum, quo partes ſingulæ utcunque inter ſe connectuntur, ac earum veritas, nec non harmonia probatur. Non eſt Religio Chriſtiana Ars quædam difficilis; nec credendum, vacillaſſe ejus certitudinem, donec, inde a Chriſto nato XVII. Sæculis fere elapſis, nova hæc demonſtrandi ratio ſit inventa. Cumque in omnibus Eccleſiis receptum ſit, ut *Symbolum Apoſtolicum* & pro Concione, & in Catecheſi, exponatur, non opus erat longa dubitatione, quin & ego eum ſequerer ordinem; haud invitis, ut ſpero, V. D. Miniſtris, qui ſic paucis quaſi verbis expreſſum invenient, quomodo ſinguli, ut vocantur, Articuli petractandi, & de quibus potiſſimum Veritatibus in iis ſit cogitandum. Index Capitum exſtat p. 204.

Doctrinam hanc de Fide & Credendis ſequitur *Theologiæ Dogmaticæ* Sectio II. quæ *Sacramenta*, utpote ad Fidei confirmationem pertinentia, explicat. Dubitaveram ſæpius, annon hæc de Sacramentis doctrina practicæ potius Theologiæ

logiæ partem conſtituere debeat. Non enim certe ad cognitionem, ſed ad uſum nobis Sacramenta ſunt conceſſa; nec Theoria, ſeu ſpeculatio mera, ſed Praxis atque Exercitium illorum Myſteriorum piis incumbit. Cum interim ignorare haud poſſem, longe plurimas de Sacramentis agitari quæſtiones, quæ a praxi alieniſſimæ eſſent, immo potius homines ab ea abducerent, ut vere dici poſſit, Satanam aſtute profecto elaboraſſe, ut id, quod vel maxime pacis vinculum inter Chriſtianos conſtituere, & homines inter ſe & cum Chriſto Capite unire debuit, pomum quaſi eridis eſſet, ac factiones turbasque in Eccleſia nunquam ſatis deplorandas excitaret: Non potui ſane a recepta conſuetudine penitus abire. Itaque propoſitis dogmatibus Fidei illam confeſtim addidi doctrinam de Sacramentis, quibus Fides confirmari, ac devotio & pietas excitari deberet. Uberius vero de illis actum fateor, quod utile ac tantum non prorſus neceſſarium eſſe videbatur, ut Juvenes noſtri accuratius de hac plurimarum controverſiarum feraciſſima doctrina inſtituantur. Imprimis autem opera danda erat, ut momentum quæſtionum, quæ in hoc capite Religionis noſtræ agitantur, expendi, ac leviora di-

ſtingui a gravioribus poſſent. Capita indicantur p. 318.

Dogmaticæ Theologiæ addenda erat *Polemica*, quam neceſſariam faciunt non tantum inter Chriſtianos exortæ Controverſiæ; ſed perdurans adhuc apud multos Incredulitas. Nec ſunt tantum extra Eccleſiam, qui a Chriſtiana Religione ſunt alieni; Sed in ipſis ejus pomœriis incredibilis eſt eorum hominum numerus, qui præter nomen nihil Chriſtianum habent; quorum animus imprimis a ſanctiſſima fide abhorret; immo, qui ne Veritates quidem, quas Natura dictat, agnoſcunt, quoniam pravis eorum contradicunt deſideriis. Adverſus hos ergo muniendi Juvenes Studioſi, & arma ſunt ſubminiſtranda, quibus hoſtes iſtos debellare, &, ſi non penitus ſuperare, ſaltem coërcere, piisque ab eorum inſidiis cavere queant. Omnia quidem illa tempora calamitoſa Eccleſiæ cenſemus, quibus Controverſiæ de variis, imprimis gravioribus, Religionis Capitibus cum fervore agitatæ fuerunt. Multo autem calamitoſiſſima iſta ſunt, cum in ipſo Eccleſiæ Chriſtianæ ſinu, an DEVS ſit, an ſit aliquod Hominis officium, an divina Providentia, an Anima immortalis, diſceptatur. Quid enim eſſe poteſt calamitoſius,

toſius,quam tot eſſe nequitiæ magiſtros, qui omni ingenii & facundiæ contentione,Libris & proſa & verſa oratione ſcriptis incautorum animos circumvenire, & pietatis pariter & Reipublicæ fundamenta ſubruere conantur? Sed nemo eſt, præter DEVM, qui Eccleſiæ ſuæ ſuccurrere poſſit? Noſtrum vero eſt, rectæ Rationis cultura, & ſolidæ eruditionis apparatu obviam ire conatibus illis peſtiferis. Hinc itaque factum eſt, ut prima duo Polemicæ Theologiæ Capita, quæ *Atheis* & *Incredulis* oppoſita ſunt, abſolute videantur neceſſaria, de quibus ne cogitabant quidem plerique veteres Theologi. Quæ vero in noſtro hoc breviſſimo Compendio contineantur, Index docebit p. 468.

Mirabuntur fortaſſe nonnulli, quod de *Fanaticis* Caput peculiare compoſuerim, illudque paullo ſtudioſius pertractaverim. Sed iſti mirari deſinent, ſi cognoverint, me magnorum in eo Theologorum, ac præter alios τῶν Μακαρίτων noſtrorum Præceptorum, *Sam. Werenfelſii*, & *Joh. Lud. Freyii*, judicium ſequi, cum exiſtimarent, duos eſſe pariter infenſos Religionis veræ hoſtes, *Incredulitatem* & *Fanaticiſmum*. Quemadmodum enim illa veritates rationis lumine ſtabilitas abolere

lere ſtudet, ut ipſam evertat Revelationem; ita & hic fictam & comentitiam Revelationem urgendo, ac cœcæ mentis impetum ſequendo, rationalem pariter cum revelata Religione pervertit. Nihil eſt præterea, quod Religionem magis Incredulorum ludibrio exponat, quam Fanaticiſmus, qui pro vera pietate umbram ejus, & pro Fidei certitudine temerariam quandam animi obſtinationem amplectitur.

Eſt & aliud Caput Polemicæ noſtræ Theologiæ, de quo hic aliquid dicendum eſt; illud ſcilicet, quod ultimo loco poſitum de *Proteſtantibus diſſentientibus* inſcribitur. Tædebat me jam dudum iſtarum controverſiarum, quæ dicuntur eſſe inter *Lutheranos* & *Reformatos*, nec ſane æquo animo ferebam, Clariſſ. Virum, *Joh. Erneſtum Schubertum*, Theologum Helmſtadienſem, in Parte tertia Inſtitutionum Theologiæ Polemicæ, quæ A. 1757. edita eſt, Capite II. ita de Eccleſia Reformata egiſſe, ut non eas modo Controverſias, quæ adhuc dicuntur eſſe, perſtudioſe tractaret, ſed & illas, quæ dudum ſunt antiquatæ ac ſepultæ, quaſi ab Inferis ſuſcitaret. Quid enim quæſo Eccleſiæ univerſæ intereſt, quid hic aut ille ex Theologis, qui in ea docuerunt, aliquando ſenſerit, ac defenderit? Qui

Refor-

Reformatam noſſe cupit Eccleſiam, ille nec *Calvinum*, nec *Bezam*, nec *Zanchium*, utcunque magnos Viros, conſulat, niſi & *Oecolampadium* & *Zuinglium*, Viros æque magnos, ſed mitioris ingenii, conferre velit. Adeat potius *Confeſſionem* noſtram *Helveticam;* ac modeſte indicet, ſi quid in ea diſpliceat. Hac nos contenti vivimus, illud unice optantes, ut & Lutherani *Confeſſione Auguſtana* contenti vivant. Non ergo tractandas ſuſcepi ullas cum Lutheranis controverſias; immo & quantum fieri potuit, ipſo nomine partium abſtinui. Controverſiarum ſolummodo expendi momentum; quod cum tale non videretur, ut Eccleſiis eſſet diſceſſio facienda, collegi, unam eſſe debere Eccleſiam, nec τῆς φιλαδελφίας officia ceſſare. Num errem, judicabunt peritiores. Ego ſane ſtudio pacis, quam ex animo contentionum cupido, errare malim. Nec unquam ex animo deponam auream illam *Inſtituti Freyio-Grynæani* Legem, quæ illi, qui ex eo Inſtituto Lectoris publici munere fungitur, una cum *S. Scripturæ divinitate* & *genuina expoſitione*, *pacem & concordiam Chriſtianorum* propoſitam eſſe jubet.

Poſtulavit a me nonnemo, ut de Libello *Chriſtophori Auguſti Heumanni*, Gœtting. Theologi,

logi, aliquid dicerem. Sed non eſt certe, quod iis, quæ *Theol. Polem.* Cap. ult. §. 22. not. dicta ſunt, addam. Num bene, num male egerit *Heumannus* eum Libellum conſcribendo, ac conſenſum ſuum nobiscum teſtando, quem per omnem vitam diſſimulaverat, dijudicare poſſunt, qui volunt. Qui ſatetur, diſſenſum Proteſtantium in ea quæſtione, de qua agitur, non eſſe eſſentialem, ille fortaſſis facillime excuſabit eum Virum. Mihi ſane bonus ſemper, & egregie eruditus eſt viſus.

Tranſeo ad ultimam partem noſtræ Synopſeos. Ea eſt *Theologia Practica*, cujus quænam ſint Capita, index in fine adjectus docebit. Fateor equidem, illam mihi partem imprimis neceſſariam videri. Quis non veræ pietatis Studioſus omni tempore conqueſtus eſt, in Scholis Theologorum plerumque ſolam partem Theologiæ theoreticam tractari, practicam negligi, aut perfunctorie tangi? Non defuerunt tamen, qui ab ea culpa immunes fuerunt, & veteres & novi Compendiorum Theologicorum auctores. Ex veteribus *Joh. Wollebium*; ex novis V.C. *Danielem Wytebachium*; quem in amicis noſtris haud poſtremum numeramus, nominaverim. Hic ſane a longo veluti intervallo omiſſam conſuetudinem. practicam quoque Theologiam in Compendio Academico pertractandi, quaſi poſtliminio reduxit, cum a. 1754. *Compendium Theologiæ dogmaticæ & moralis* ederet. Id ſane vel hoc nomine non potui non in Encyclopædia theologica commendare. Illud etiam

magis

magis mihi placuit, ut uno quaſi corpore diſciplina moralis exhiberetur, quam ut ſingulis Capitibus theologiæ uſus practici ſubjiciantur. Non caret quidem hoc ſua utilitate. Interim nullum exhibet plenum moralis doctrinæ Syſtema. Hæc tamen præcipuum conſtituit Religionis Chriſtianæ ornamentum. Quamvis enim Dogmata divinæ Majeſtati ſint digniſſima, non tamen ſufficerent ad Religionis Chriſtianæ dignitatem commendandam, niſi ex illis flueret, atque adeo arctiſſime unita eſſet moralis doctrina, quæ homines redderet meliores, immo optimos, ſi modo ejus præceptis parere vellent. Hac itaque re moti paullo pluribus moralem doctrinam pertractavimus.

Sic ſane ſpero, opuſculum haud inutile compoſitum, quod primas lineas omnium theologiæ partium duceret, atque adeo occaſionem præberet, de omnibus, quantum ſufficit dicendi. Habemus Theologiam Naturalem & Revelatam, & hanc quidem dogmaticam atque polemicam. Habemus Theologiam practicam, ſeu moralem. Nec deſiderari poteſt exegetica, de qua in Capite de S. Scriptura áctum; nec homiletica ac paſtoralis, quippe quam Cap. ult. Theol. pract. delineavi. His ergo ſi Inſtitutiones Philologiæ S. & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ addantur, habebit S. Theologiæ Studioſus, quæ ad pleniſſimam ejus inſtructionem pertinent.

Stilo uſus ſum nec comto nimis, atque ad puritatem omnem latini ſermonis caſtigato, nec minis tamen neglecto. Nam utrum-

que

que extremum mihi vitandum eſſe videbatur. Scio nonnullos fuiſſe olim, & nunc quoque eſſe, qui latini ſermonis culturam in tradendis diſciplinis prorſus neglexerint; illa præcipue ratione ducti, quod rerum potius quàm verborum cura habenda ſit. Sed alii, quamvis confiteantur, veriſſimam eam rationem eſſe, tamen haut conſultum eſſe putant, ut veritas incomto ſtilo, ac velut ſquallida veſte in medium prodeat. Digna certe ea eſt, quam omni modo exornemus, & Lectoribus amabilem reddamus. Interim cùm negari non poſſit, multas eſſe dictiones & loquendi modos ſic inter Philoſophos & Theologos in uſu receptos, ut obſcurus ille ſermo eſſe videatur, qui illis prorſus carere, & alios ex puriore Scriptorum genere hauſtos adhibere velit: Eam ob cauſſam non cenſuimus nobis omnem dictionis puritatem adfectandam eſſe. Vitavimus tamen Barbariſmos & Solœciſmus, ne offenderemus primo ſtatim intuitu eos, qui aliquem Latinitatis guſtum haberent, Lectoribusque faſtidium crearemus,

Quod ſupereſt, DEVM oramus, ut iſtud, quodcunque eſt, opuſculum, Eccleſiæ ad informandos fideles ejus Adminiſtros aliquid emolumenti adferre jubeat! Scriptum Baſileæ Menſe Januario A. 1765.

ENCY-

ENCYCLOPÆDIA
THEOLOGICA,
SEU INTRODUCTIO GENERALIS
in
S. THEOLOGIÆ STUDIUM.

PROLEGOMENON.

1. Nemo dubitare poteſt, quin omnino neceſſarium ſit, ut *Methodum* aliquam in tractandis ſtudiis Litterarum, adeoque & *S. Theologiæ* teneamus.

Quid *Theologia*; quid *bonæ Litteræ*; quid *Studium*; quid *Methodus*; quid *neceſſarium* ſeu ad hoc, ut fiat, ſeu ut bene fiat? paucis exponi poteſt.

2. Hinc tot Viri egregii præcepta cum de *Studiorum Methodo* in genere, tum de *Methodo Studii Theol.* tradidere; quorum enumeratio minime neceſſaria: Paucos nominaſſe ſufficiet.

Huc pertinet A. H. *Franckius*, cujus Methodus

Studii Theol. Hal. 1723. prodiit, conſiliorum ſalutarium plena. J. H. *Hottingeri* Heidelb. Theol. typus Studioſi Theologiæ minime contemnendus. Nuperque in lucem editus Libellus J. L. *Moshemii* Anweiſ. die Gottsgel. vernünftig zu erlernen. 8. 1756.

3. Sunt in his & aliis Libris quædam Conſilia generalia, alia ſpecialia. Illa omnibus fere temporibus conveniunt: Hæc pro temporum varietate etiam mutantur.

Sic *Andr. Gerb. Hyperius* in Libris de Theologo, ſeu de ratione Studii Theol. Baſil. 1572. & ſæpius editis, egregia continet præcepta, quæ omnibus fere temporib. paucis exceptis, conveniunt. Eum ergo de meliore nota commendamus. Addi poteſt *Erasmus* in Methodo veræ Theol. quæ & in Operibus exſtat, & ſcorſim ſæpius edita eſt. Editione utor Baſil. 1522. 8. Nec non *St. Gauſſeni* Differt. de Meth. Stud. Theol. quæ cum aliis ejus Differt. Salmurii prodiit, & recenti ætate recuſa eſt aliquoties.

4. Cum ergo varietas temporum etiam Conſiliorum de Studiis inſtituendis varietatem requirat, utiliſſimum eſt, ſi ii, qui tempore quovis publice privatimque docent, ſuis Auditoribus ejuscemodi Præcepta ſuppeditent, quibus in rectam viam dirigantur.

Hoc modo haud mediocriter Studii Theologici, aut *rei Theologicæ incrementa* promoventur; id quod nobis ex *Inſtituto F. G.* mandatum eſt. Publicis vero id Lectionibus & ſcriptis faciendum cenſeo, ut tanto plures cognoſcere ea poſſint.

5. Qui accuratiore Methodo Studia Litterarum tractat, ille non modo facilius, celerius, & ſolidius diſcit, quæ diſcenda ſunt;
ſed

ſed & alios docere deinceps poterit. Nam in docendo qui Methodo certa non utitur, aut penitus, aut ſaltem ex magna parte, fruſtra laborat.

Quæ diſcimus, non tantum nobis, ſed & aliis, diſcimus. Plerique propria ſcientia contenti aut uſum aut voluptatem inde capiunt. Nonnulli tamen præter illud & hoc quærunt, ut aliis docendis idonei reddantur. Tales ſunt plerumque, qui dicuntur *Studioſi.*

CAPUT I. *De Fine & Natura Studii Theologici.*

1. *Theologia* eſt Cognitio rerum ad Religionem pertinentium, quam 1. quærit; 2. explicat; 3. confirmat, ac defendit; 4. vita & praxi exprimere docet.

Non eſt ergo *theoretica* diſciplina, ſed *practica;* nec in cognoſcendo ſolum ac diſputando, ſed in agendo conſiſtit. Ceterum hæc Theologiæ definitio verbis, non re, differt ab illa, quæ *Fund. Th.* Cap. I. §. 2. poſita a nobis fuit.

2. Quinam ſit Studii Theologici *Finis* hinc intelligitur, ſcil. veram Religionem quærere, explicare, confirmare ac defendere, vita & praxi exprimere, ac ab aliis exprimendam docere.

Proprium hunc & proximum eſſe finem ſtatuimus. Alios aut minus proprios, aut remotiores haud negamus. Idem aliis verbis exprimitur, ſi dicamus, finem Studii Theol. eſſe, ut ipſi fiamus vere Chriſtiani, & alios, tales ut fiant, permoveamus.

3. Dubitari non poteſt, quin ad hunc fi-

nem obtinendum *Eruditione* aliqua opus ſit; id eſt, variarum rerum cognitione, quas prius ſcire, dein alios docere debemus.

Qui caret Eruditione ſi alios docere conetur, cœcus cœcum ducit, ac ſecum in foveam præcipitat, Matth. XV. 14. Pietas ad omnia utilis. Sed nec ipſa ſine cognitione eſt vera, nec alios docere poteſt.

4. Non ſunt amplius illa tempora, quibus applicari poſſint, quæ dicuntur Apoſtolis, Matth. X. 19. 20. Sed nunc ſtudio & labore opus eſt, ac omnibus illis mediis, quibus, docente experientia, homo & ipſe acquirit, & aliis tradit veram rerum cognitionem.

Promiſſio eo loco; & Joh. XIV. ac XVI. Apoſtolis data, non pertinet, eodem prorſus ſenſu, ad Chriſtianos reliquos, nec etiam ad ordinarios Eccleſiæ Miniſtros; ſed limitato ac tenuiore quodam modo.

5. Ad eundem quoque finem neceſſe eſt, ut acquiramus nobis *Sapientiam* ac *Prudentiam Spiritualem*, ut parta eruditione bene uti poſſimus, atque ſic finem nobis propoſitum attingere. Multos enim eruditos fuiſſe intelligimus, nec tamen Eccleſiæ multum profuiſſe:

Tales ſunt, qui eruditione ad oſtentationem utuntur, & propriam potiſſimum gloriam quærunt. Tales, qui magis operam dant, ut facundi, quam ut pii Oratores habeantur. Tales, qui nimio eruditionis propriæ augendæ ſtudio occupati, haut ſatis Muneris Evangelici partibus obeundis ſunt intenti &c.

CAPUT

CAPUT II. *De Requiſitis & Dotibus Studioſi Theologiæ.*

1. Nemo ullum ſuſcipere debet opus, cui non par eſſe videatur, ne triſti experientia diſcat, inanem ſuum fuiſſe laborem. Judicium vero de noſtris viribus non tam noſtrum eſt, qui plerumque Philautia laboramus; quam aliorum, artis peritorum.

Hæc eſt, quæ cum de S. Miniſterio agitur, dici ſolet *Vocatio interna;* quia, niſi quis *Requiſita* ad id habeat, non intelligi poteſt, DEVM velle, ut S. Miniſterio admoveatur.

2. Vires illæ, quibus, quodcunque bonum eſt, efficimus, quia a DEO Creatore accipiuntur, vocari debent *Dona* ſ. *Dotes.* ſunt hæ vel Naturales vel ſpirituales. *Naturales*, quæ natura inſunt. *Spirituales*, quas Gratia DEI producit.

Falluntur, qui meris Naturæ viribus, quidquid ad Regnum Dei pertinet, effici poſſe cenſent. Id poſtea clarius patebit.

3. Naturæ Dona tria potiſſimum huc pertinent; *Ingenium, Judicium* & *Memoria.* Hæc ad animum pertinent. In corpore ſi adſit, præter *vocem* ſonoram & diſtinctam, *firmitas* quædam ac valetudo, multum omnino & in ſtudio & in Praxi prodeſſe id poterit.

Cum animus miniſterio corporis indigeat, haud eſt ſane hujus corporis cura prorſus negligenda, ſed opera danda, ut ſit *mens ſana in corpore ſano.* Animi tamen potiorem habent curam, quam corporis, qui ſapiunt.

4. *Ingenium* facultas eſt animi humani, res propoſitas facile arripiendi, notiones diſtinctas ſibi formandi, inter ſe comparandi, & appoſita inde ratiocinia per conſequentiarum connexionem formandi.

Oppoſita eſt tarditas, confuſio conceptuum, obtuſa mentis acies, ejusdem anguſtiæ, quibus impeditur, ne omnia, quæ ſunt neceſſaria, capiat.

5. *Judicandi* facultas efficit, ut, poſt diligentiorem rerum conſiderationem, verum a falſo, bonum a malo diſcernere accurate diſcamus; quod in graviſſimo Religionis negotio præcipue eſt neceſſarium.

Caret judicio, qui aut in ſententia ferenda nimis præceps eſt, aut laborem rei expendendæ neceſſarium fugit. Illud eſt vitium præcipitantiæ, hoc deſidiæ.

6. *Memoria* cum Notiones tum Judicia ante in nobis efformata tam firmiter retinet, ut pro re nata, ac neceſſitate exigente poſtea promte revocare in mentem, & quaſi repræſentare abſentium ac præteritarum rerum imagines queat.

Ea cum ad diſcendum, tum ad docendum valde eſt neceſſaria, ejusque eſt ſpecies quoque illa, qua *Orationes* publice ad Populum habendæ nobis imprimuntur, ut absque hæſitatione ac trepidatione, ita ut decet, poſſint recitari.

7. Sunt iſtorum Donorum varii *Gradus*. Qui illis prorſus deſtituitur, alia potius agere, quam Studiis Litterarum incumbere debet. Qui mediocrem eorum menſuram habet,

bet, diligentia, ſtudio, exercitatione augere poteſt, ac debet.

Non ergo deſperabit is, cui mediocres ſunt facultates animi. In paucis ſummus deprehenditur Gradus. Nec omnes ad ſumma perveniunt, quamvis omnes eo tendere debeant, niſi animi abjectioris indicia præbere velint.

8. *Exercitatio* Ingenii & Iudicii audiendo, legendo, meditando continetur. Audiendi Viri non docti tantum, ſed & ingenioſi & acuti. Tales quoque ſunt Libri legendi. Meditandum de omnibus, quæ vel audivimus, vel legimus. Summa meditationum calamo concipienda, & aliis ſive in colloquio ſive in diſputatione proponenda.

Sunt & Libri, quorum ad id comparata eſt ratio, ut ingenium ac judicium formetur, & augeatur. In iis continentur diſciplinæ, de quibus mox agetur. Quum vero & Luſus honeſti animo aliquando ſint concedendi, haud alienum fuerit, ſi ingenioſiores quidam ſeu *Poëtarum* ſeu aliorum Libelli nonnunquam legantur, aliorumque de illis cognoſcantur judicia.

9. Memoriæ vero *Exercitatio* in ediſcendis dictis ac ſententiis præſtantioribus, aut continuis Orationibus, iisque deinde recitandis conſiſtit, quæ quo frequentius fiant, eo celerius arripientur omnia, ac fidelius reddentur.

Non multum ad hoc conferet, qui ſingulis modo vocabulis, eorumque ſignificationibus memoriæ imprimendis operam dabit. Machinalis hæc potius, quam rationalis memoria eſt, quamvis nec ea, ob Linguas imprimis, & Hiſtorias cognoſcendas carere queamus. Ediſcimus autem per fre-

quentem eorum, quæ legimus, audivimus, meditati ſumus, repetitionem. Apta rerum diſpoſitio, nec non ſcriptio, haud mediocriter memoriam juvant.

10. Si quis vel maxime iis animi dotibus ſit præditus, quas diximus; non tamen habeat *voluntatis* pronitatem ad laborem Studiorum conſtanter & aſſidue obeundum, nihil efficiet. Illa vero φιλοπονία excitatur amore veritatis, pulchritudine Muneris, cui nos dedimus, præſtantia præmii inde conſequendi.

Non ergo juſſu & auctoritate Parentum aliorumque, ſed animi quadam proclivitate, quæ idoneis & blandis rationibus excitatur & alitur, ſtudia promoventur bonarum Litterarum.

11. *Corporis* dotes, licet minus nobiles, non minus tamen neceſſariæ, ac utiles; qualis eſt certa quædam corporis firmitas ac valetudo. Ea corrumpi facilius poterunt, quam reſtaurari. Corrumpuntur intemperantia in Cibo, Potu, Somno, Labore, Otio, Adfectibus. Servantur omnium rerum viciſſitudine ac moderatione. Exercitia corporis, & nonnunquam ſudor ac defatigatio modica, minime negligenda.

Nolint ergo Parentes pueros debiles, emaciati ac contabeſcentis corpuſculi infirmitate laborantes, ſine ulla ſpe convaleſcendi, Studiis Litterarum applicare, quibus quod reliquum eſt ſucci vitalis, brevi penitus exhauriatur, animique impetus miſerum in modum refrenetur.

12. Nec ad animum nec ad corpus pertinent *Bona*, quæ dicuntur, *Fortunæ*; nec tamen penitus heic negligenda. Eo refertur

naſcendi

naſcendi ſors, quæ ſi nimium humilis aut abjecta fuerit, haud facile ingenia emergere ſinit. Cumque haud ſine ſumtibus Litterarum Studia tractentur, oportet ut ſaltem ad ea, quæ ſunt neceſſaria, ſuppetant.

Habent & iſtud vitii plerunque pauperrimorum hominum Liberi, ut educationis neglectu ad negotia excelſioris animi haud apti ſint. Pauperiores qui ſunt Codro, fami potius, quam ingenio & ſapientiæ proſpiciunt. Cum vero tenuitas honorum ac ſtipendiorum, quæ per Studia, imprimis theologica, conſequimur, haud permoveat multos nobiles aut divites, ut ea diligant; factum eſt DEI Providentia, ut varia humilioribus & pauperioribus propoſita ſint ſubſidia; quorum tamen abuſus cavendus, ne deſides alantur, ac inutilia terræ pondera.

13. *Spiritualia* dona Studioſo Theologiæ neceſſaria ſunt primum ea, quæ *Chriſtianum* faciunt. Talem enim prius eſſe oportet, quam Theologus eſſe cupias. Eo pertinent Fides & Caritas, ceteræque virtutes, cum his connexæ.

Qui de pietatis in Studio Theol. neceſſitate dubitat, idem facit, ac ſi virtutem promoveri ab eo poſſe cenſeat, qui vitioſus ipſe eſt; ac Oratorem alios movere, qui ipſe haud moveatur. Ut taceam de eo, quod legitur Luc. XII. 47.

14. Dein ea, quæ ſunt *Theologo* propria: Ardentior Dei & Proximi amor: Studium intenſiſſimum Dei Gloriam, & Eccleſiæ ædificationem promovendi: Zelus, cum prudentia conjunctus: decora *παῤῥησία*, quam virtutis & doctrinæ modeſta conſcientia gignit, ſpiritualibus donis accenſenda ſunt.

Non ſufficit ergo, pium eſſe & Chriſtianum, ut ſis Theologus. Non tamen ſperandum eſt, absque divini Spiritus ope ea te conſecuturum, quæ Theologum conſtituunt. Nec ipſa eruditio genuina eſt, niſi per illum ſanctificata.

CAPUT III. *de Mediis & Adminiculis Studii Theologici.*

1. *Media* & *Adminicula* Studii Theologici ſunt primum, quæ a Deo ſuppeditantur; dein, quæ a nobis adhibentur. Priora uno nomine *Gratiæ Sp. S.* continentur. Ea eſt operatio divina, qua illuminatur intellectus & ſanctificatur voluntas, ut & amor cœleſtis veritatis & intelligentia producatur.

Quæri ſolet, an ſine Gratia Dei nulla prorſus S. Theologiæ cognitio detur? R. Datur, ſed non ſalutaris, non efficax, nec talis, qualis eſſe veri Theologi cognitio debet.

2. Gratia Dei impetratur *Oratione*, Luc. XI. 13. Jac. I. 5. 1 Cor. II. 14. Huic ergo ſedulo incumbet genuinus S. Theologiæ Studioſus. Sic & ſeipſum indies magis ſanctificat, & cum DEO comercium habere diſcit per omnem deinde vitam continuandum.

Cum in *Oratione* præcipua Cultus divini pars conſiſtat, hinc Studioſus Litterarum S. etiam Cultus divini ejuſque & privati & publici Studioſus eſt.

3. Eſt & aliud inſigne commodum, quod Oratio ad Studium S. Theologiæ confert. Nam Eccleſiæ qui futurus eſt Miniſter fidelis, ille & ad hoc ſe comparare debet, ut precibus cum publice tum privatim, pro re nata

aliis

aliis præire poſſit. Familiarem ergo ſibi mature *Artem orandi* facere debet, id quod non aliter facilius, quam exercitio quotidiano impetratur.

Uti ad hanc rem ſubſidio poteſt; primum illis formulis, quas ipſæ S. Litteræ ſuppeditant. Dein Confeſſionibus *Auguſtini*, Meditationibus *Gerhardi*, & vernaculis nonnullis Precationum Libris, qualis apud Germ. eſt *Buxtorfii*, apud Gallos *Oſterwaldii*, apud Anglos *Patricii* &c.

4. Addet S. Theol. Studioſus alia, quibus excitatur & alitur animi devotio, qualis eſt *Jurieu* L. de Devotione; *Kempiſius* de Imitatione Chriſti, *Lucæ* doctrina moralis Evangelica, *Dodrigii* varii Libri.

Quotidie aliquot horæ quadrantes tali Lectioni conſecrandi, ut animus mature guſtui rerum ſpiritualium adſueſcat.

5. Sic expetita & impetrata DEI gratia ad reliqua Studii Theol. Media progrediendum. Duobus hæc Claſſibus comprehendere licet; *Auditione*, & *Lectione.* His enim omnis rerum quarumcunque ſcientia acquiritur, eaque ſolidiſſima, ſi modo & accedat *Meditatio.*

Nonnulli prius de *Meditatione* præcipiunt, quam de ceteris. Sed quid meditabitur is, qui nondum vel audiendo vel legendo ullam ſibi cognitionem pararit? Sunt & qui legere prius, quam audire velint. Sed hi quoque ordinem pervertunt. Doctores adſunt publici, qui & quid legendum, & quomodo indicent, ne varia & incerta Lectione vagetur Tiro.

6. Audire oportet idoneos *Doctores*, quales haud dubie credendi illi ſunt, qui Scholis & Aca-

Academiis publice præficiuntur. Nemo facile ad id munus pervenit, niſi publicis documentis eruditum ſe in ſua arte comprobaverit idoneis judicibus. Hisque adeo magis confidere poſſunt juvenes, quam iis, qui ſine publica vocatione alios inſtituere conantur.

Inutilis eſt quæſtio, utrum Audire an Legere præſtet. Qui ſapit faciet utrumque, ſi habeat occaſionem; & ut habeat, operam dabit, ni ultro altero ſubſidiorum carere velit.

7. Habet *viva inſtitutio* nonnulla, quæ *Lectio* non habet. Acrius menti imprimuntur plerumque audita, quam lecta. Audiuntur una hora, quæ vix integris diebus longa inquiſitione congeri poterunt. Ad captum Auditorum ſuorum accommodat prudens Doctor, quæ dicit, cum Libri univerſis ſcripti non poſſint ſingulis adaptari.

Multis placet *Anglorum* diſcendi ratio, quorum ſinguli juvenes, cum ad Academias ſeſe conferunt, unum ex publicis Doctoribus ſibi ducem Studiorum eligunt, cujus ſequentes conſilium legant, meditentur, ſcribant. In dubiis aut difficilioribus conſulunt. Identidem examinantur, ut de progreſſibus judicari queat, & conſilia ulteriora ſuſpeditari. Habet hæc Methodus ſua commoda. Sed incommodum iſtud eſt maximum, quod ſinguli Doctores nonniſi paucis hoc modo dirigendis ſufficiant, niſi ab omnibus aliis laboribus immunes ſint, quod apud nos minime obtinetur.

8. Nulla eſt politior Natio, quæ non *Scholas* ſuas habeat, in quibus doceant viri idonei. Hoc eſt ergo judicium generale omnium, quod audire oporteat eum Doctores, qui

doctior

doctior ipſe cupit fieri. Suntque in eam rem inſtitutæ cum publicæ tum privatæ Prælectiones. Nec videmus, cur publicæ minus ſint utiles, quam privatæ, niſi ob eam rationem, quod plerumque ſunt rariores.

Publice docturi majorem ſolemus curam adhibere, quam privatim, quoniam ob advenientes nonnunquam hoſpites eruditiores famæ habenda eſt ratio. Utque frequentiores apud nos ſint Theologicæ ac Philologicæ exercitationes curarunt ſuo laudatiſſimo *Inſtituto* eximii Viri, *J. L. Frey*, & *Joh. Grynæus;* quibus adeo publico nomine gratias debemus. De hoc Inſtituto vid. Orat. noſtram de Vita & Meritis J. L. Freyi 1760. excuſam.

9. Sunt tamen & nonnulli αὐτοδίδακτοι, qui ſine duce ac ſine Magiſtro aliquam inſignem ſibi eruditionem compararunt. Sed primum hi rari ſunt; dein certum eſt, etiam hos, ſi idoneis uſi eſſent Doctoribus, longe perfectiorem, diſtinctiorem, & ad uſum aliosque inſtituendos aptiorem Doctrinam acquiſituros fuiſſe.

Nemo temere ſine Doctore ad ſpem ſolidioris eruditionis ſeſe erigere, ac nimium ſibi confidere debet. Si ab idoneis Doctoribus diſcamus, non ipſi modo erudimur; ſed & artem alios docendi percipimus; quod nos demum Eccleſiæ utiles efficit.

10. In *Doctoribus* quærendis Juvenes Studioſi non ſuum judicium ſequi, aut prout fert caſus, cuivis primum obvio ſeſe tradere debent. Sapientior publicum ſequitur judicium, eosque ceteris præfert Doctores, quos aliorum doctorum calculo probatos intelligit.

Opor-

Oportet autem Doctorem eſſe præditum facultate *perſpicue*, *ſolide*, *ordinate* docendi; eique adjungere *ſedulitatem*. Nec id ſufficit, niſi identidem exquirat, numquid Auditores proficiant.

11. Ut vera ex auditione capiatur utilitas, neceſſe eſt, ut audiatur cum *attentione* & *ſedulitate*, ac, ut audita domi repetantur, ſicque & examinentur, & memoriæ imprimantur. *Repetitio* vel a ſolo, vel aliis adjunctis, fieri poteſt; poſterior tamen ratio utilior.

Ut cavenda eſt nimia facilitas in admittendis omnibus, quæ ab aliis traduntur, quod ex *ſocordia* proficiſcitur; ſic vitandus contradicendi pruritus, cujus mater eſt *ſuperbia*.

12. In *legendis Libris* primum quæritur, quinam legendi, dein quomodo. Unus eſt, cujus Lectio omnibus ſemper eſt neceſſaria; Liber ſc. *S. Scripturæ*. Inde ab initio Tyrocinii Theologici ad finem vitæ nulla dies abire debet, quin aliqua hujus Libri pars legatur. In hoc prora & puppis eſt hujus ſtudii, 2 Tim. III, 15.

Legatur ab initio S. Scriptura in Verſione cuivis vernacula, donec originalis Linguæ paullatim ſibi comparaverit cognitionem; de quo poſtea.

13. In ceteris Libris *delectus* eſt adhibendus, ejusque rei cauſa eorum aliqua comparanda *Notitia*. Non tamen nimium Libris cognoſcendis tempus eſt impendendum. Sufficit cognoſcere eos, qui ad præſens noſtrum inſtitutum maxime conducunt. Horum primi ſunt, qui ab eo, qui nos docet, commendantur; proximi, qui in eo, quem legimus, alle-

allegantur: addendi tandem & illi, qui ab aliis peritioribus laudantur.

Non ergo in hoc negotio ſeſe caſui, aut imperitis ducibus permittere debet S. Litterarum Studioſus, nec ea quærere, quæ delectant, aut titulorum ac argumenti ſplendore blandiuntur.

14. Libri ſunt alii *mali*, alii *boni.* Mali non tantum cenſeri debent illi, qui & veritati & bonis moribus nocent; ſed & illi, qui parum aut nihil proſunt. Ab his S. Theol. Studioſus abſtinebit prorſus, niſi tempus perdere, & corrumpi potius, quam erudiri & emendari cupiat.

Incredulorum & Heterodoxorum Libros non prius ſine periculo legere poterit, quam veritatem ſolide cognoverit, ut errorem & vitare & refellere facile ſit.

15. Etiam inter *bonos Libros* delectus eſt habendus. Sunt enim alii aliis meliores. Sunt nonnulli optimi; ſed temporibus & ſtudiis noſtris nondum apti. Sic plerumque ampliores & diffuſiores Libri ad id uſque tempus reſervandi, quo poſitis tirociniis majus ſuppetit otium.

Hinc in quovis genere tironibus *Compendia* primum proponuntur, quibus in ſuccum, ut ajunt, & ſanguinem converſis, ulterius ſit progrediendum. Sic imprimis in curriculo Studiorum *præſtat multum, quam multa legere.*

16. Poſtquam aliquo uſque progreſſus fueris, eruditio Theologica haud parum juvabitur, ſi aliquos, non legere, ſed, ubi res fert, conſulere potueris Libros ex illorum genere,

qui

qui Notitiam aliorum tradunt. Talis eſt, quod ad Scriptores antiquos Eccleſiæ Chriſtianæ, *Guil. Cavei* Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum. De quovis Librorum theologicorum genere agit *J. F. Buddeus* in Iſagoge ad Theologiam univerſam, nec non *J. G. Walchii* Bibliotheca Theologica ſelecta.

Novos ac quotidie prodeuntes ex *Diario* aliquo erudito, aut *Novis litterariis* cognoſcimus. Ea ſane utilitate ſua non carent.

17. Libri legendi ſunt cum *attentione*, cum *examine*, cum frequenti *repetitione*, aut, ſi tales ſint, quos ſæpius relegere haud vacat, aut neceſſarium non eſt, cum eorum, quæ noſtris uſibus convenientiora ſunt, *adnotatione*. Hinc ab eruditis commendatur Ars & ſedulitas *excerpendi*.

Memoriæ, fluxæ alias & confuſioris, ſubſidium minime ſane contemnendum præbent *Excerpta*; quæ vel promiſcua, prout ſeſe res notandæ offerent, vel in certas Claſſes diſtributa conficientur. Huc non ea modo, quæ legimus, ſed & quæ audimus, immo & quæ meditati ſumus ipſi, referri poſſunt; eruntque poſt aliquod tempus inſtar pretioſi theſauri. Colligendi rationem multi tradiderunt, & nos coram trademus, quid experiendo de ea didicerimus.

CAPUT IV. *De Præparatione, ſ. de Diſciplinis, quibus S. Theologiæ Studioſus præparatur.*

1. Qui ad aliquod opus faciendum ſeſe accingit, ille primum ſibi inſtrumenta, quibus illud efficiat, conquirit. Si qui nobiliori alicui

alicui ſtudio ſe tradit, de iis primum ſollicitus eſſe debet, quæ ad id animum præparant, & ſubſidiis neceſſariis inſtruunt. Studium S. Theologiæ quo eſt nobilius, eo pluribus opus habet auxiliis, de quibus nunc videndum.

Qui his ſe carere poſſe credunt, neque eo ſecius cum fructu Eccleſiam docere; ii aut ſunt fanatici, aut deſides, aut utroque vitio ſimul laborant.

2. Tria ſunt horum ſubſidiorum, ſeu *Propædeumatum* genera. Alia ſunt *Grammatica*, alia *Hiſtorica*, alia *Philoſophica*. Grammatica, quæ & *Philologica* poſſumus dicere, in Linguis diſcendis verſantur, & in arte judicandi de ſcriptis, eaque interpretandi conſiſtunt.

Grammaticam vel dicimus ſenſu lato, quo omnia hæc comprehendit; vel ſtricto, quo Linguas ſolas docet. Ars de ſcriptis vel integris, vel de partibus eorum judicandi, eſt *Critica*. Ars ſcripta interpretandi *Hermeneutica* dicitur.

3. *Linguæ* ſunt S. Theologiæ ſtudioſo tres potiſſimum neceſſariæ, *Latina*, *Græca*, *Hebraica*. Illa, ut communi eruditorum Lingua, qua cujusvis Gentis Doctores audire, ac eorum Libros legere debemus, nullus Litterarum cultor carere poteſt. Hac & iſta cum S. Libri noſtræ Religionis ſcripti ſint, patet his inſtructum eſſe debere eum, qui futurus eſt Eccleſiæ Miniſter.

Sunt qui LatinæLinguæ neceſſitatem noſtris temporibus minorem eſſe putent, quam fuit olim; eo quod plurimi eruditorum nunc vernaculis Linguis in ſcribendo uti ſolent, Germani etiam in docendo. Sed ut taceam, plurimos eſſe haud infimi ſubſellii Viros, quibus iſte mos haud placeat; ut qui Reip. Litterariæ plus noceat, quam proſit; haud

ſane per eum tollitur Linguæ Latinæ neceſſitas, ſed potius ſtudioſi præter eam etiam alias diſcere coguntur. Sic Germanos, niſi Gallorum & Anglorum Linguam calleant, plurimis eruditionis Theſauris carere oportet, aut, quod miſerum eſt, ex Verſionibus ſapere, & alienis videre oculis, non ſuis.

4. Nec ad audiendum modo & legendum opus eſt Latina Lingua, ſed & ad loquendum & ſcribendum. Oportet enim, ut & noſtra cogitata facile & perſpicue exprimere, occaſione ſic ferente, norimus. Nec parvo ſe contemtui exponit, quicumque ea facultate deſtituitur.

Elegantiam quoque Latini ſermonis requireremus, ſi de iis ſolis hic ageretur, qui in Academiis aliquando futuri ſunt aliorum Doctores. Sed cum S. Theologiæ ſtudioſos inſtituamus, quorum plerique ad Eccleſiæ Miniſterium adſpirant, non tantum oneris illis imponemus, ſed facilitate aliqua & perſpicuitate dictionis Latinæ contenti erimus.

5. *Græcæ* Linguæ uſum ac neceſſitatem, non ad loquendum & ſcribendum, ſed ad legenda ac intelligenda ea, quæ hac Lingua ſcripta ſunt, valere judicamus. Quod Libri in N. T. Græce ſcripti ſint, notum eſt. Et quamvis ſermonis puritate ac ſtili elegantia non ſint cum aliis Græcorum Libris comparandi, ſunt tamen eo magis neceſſarii, utpote ipſæ voluntatis divinæ tabulæ authenticæ.

Quis non reprehendat Jurisconſultum, qui Imperatorum Rom. Leges in vernaculam Linguam translatas legere malit, quam in ipſo textu Latino? Sic Evangelii Interpretem ipſos adire fontes Græcos convenit, ne pro Verbo Dei aliis tradat verbum hominis, qui f. ex præjudicio, ſive ex alio errore non ipſum Spiritus S. ſenſum, ſed ſuum forte expreſſit.

Id

Id quamvis ubique factum non ſit, plenam tamen certitudinem de ſenſu Auctoris nemo habet, niſi qui ipſum in ſua Lingua conſuluit. Multa porro ſunt in verſione obſcura, quoniam Linguarum plerumque permiſcentur idiomata, quæ in ipſo Textu Linguam callentibus ſunt perſpicua.

6. Accedunt aliæ Linguæ Græcæ utilitates futuro Theologo minime negligendæ. Huc pertinet uſus *Verſionis Græcæ*, quæ ob ſuam vetuſtatem & Hebraiſmi affinitatem haud parum ad illuſtrandas S. Litteras confert. *Libri Apocryphi* Græce exſtantes, & nonnulli *Gentiles Græci*, haud parum cum ad eruditionem in univerſum, tum ad Theologicam imprimis, conferunt. Ut jam de *Patrum ſcriptis* taceamus, quorum quædam ſaltem attingere excelſioris indolis ac induſtriæ conſtantioris juvenem haud poenitebit.

Ex *Gentilibus* ſane *Epictetus*, *M. Antoninus* Imp. *Xenophontis* Socratica, multum Theologo proderunt. Ex *Patribus* illi, qui dicuntur Apoſtolici, *Clemens R. Ignatius*, *Polycarpus*, nec non *Juſtini Martyris* Apologiæ, & *Origenis* contra Celſum Libri, doctrinam primitivæ Eccleſiæ nobis genuinam, cum argumentis, quibus adverſus incredulos defendebatur, ſiſtunt. Cui non data ſunt plura, ei ſaltem *Patres Apoſtolicos* commendaverim, cum Præf. J. L. F. ejusdemque & aliorum Adn.

7. *Hebrææ* Linguæ cognitio non minus neceſſaria eſt quam Græcæ. Primum enim in hac exaratum eſt V. T. ſi pauca excipias Capita Danielis & Ezræ, quæ Chaldaica ſunt, Hebrææ Linguæ ſubſidio facile intelligenda. Dein Græcus N. T. ſermo ſine Hebraiſmi adminiculo intelligi omnino haud poteſt.

Falluntur ergo, qui V. T. lectionem, aut Linguæ

Hebr. cognitionem minus, quam Græcæ, neceſſariam eſſe putant. Græcam diſcimus ob ſolum N. T., Hebræam ob V. pariter & N.

8. Ad *Rabbinorum* Commentarios, haud quaquam plane ſpernendos, ſcriptaque *Talmudica* haud omnes S. Theol. ſtudioſos voco, ne vel terream rerum diſcendarum multitudine, vel tempus aliis magis neceſſariis diſcendis eripiam. Sed Academicum Doctorem illis haud uti poſſe, ubi opus eſt, non modo noxium, ſed & turpe eſſe cenſemus.

Ex iis, quæ ſunt utilia, nonnulla ſunt *neceſſaria*, ſine quibus Theologus *nec eſſe* quisquam poteſt: Alia *minus neceſſaria*, quæ illis, ſi vacat, addere potius, quam, quod reliquum eſt temporis, in otio tranſigere, par eſt.

9. Orientales ceteras Linguas, *Chaldæam*, *Syram*, *Arabicam* præcipue, ſi quis addere poterit, ſentiet ſe in ſtudio S. Litterarum haud mediocriter juvari. Nec ſunt adeo difficiles, ut vulgo exiſtimatur.

Quod ſi ſtudioſi juvenes non eas horas, quas neceſſariis impendunt, ſed eas, quas in otio, ac legendis inutilibus Libris tranſigunt, his impenderent, ſentirent plerique, haud deeſſe ſibi etiam ad hæc, & ad alia plura, tempus.

10. *Criticæ* Artis cognitio cum Linguis conjungenda. Docet enim hæc de αὐθέντεια, & ipſorumLibrorum acTextuum originalium integritate judicare, & argumenta expendere, quibus ea aut impugnatur aut defenditur. Sed hic potiſſimum id eſt fugiendum, quod nimium eſt, & temeritatem potius ſapit, quam religioſam S. Codicum venerationem.

Non

Non dubito, quin *J. Clerici* Ars Critica hujus vitii haud uno in loco rea ſit, alias cum ad hoc, tum ad omne Philologiæ Studium haud parum utilis. Quæ ad Criticam S. propius pertinent, in *Conſpectu Philolog.* S. Sect. I. indicavimus.

11. *Hermeneutica* a nonnullis pro Philoſophiæ parte habetur, cum ad Philologiam potius pertineat. Tradit enim regulas rectæ interpretationis, & omnia ſubſidia verum ſenſum ſcriptorum eruendi, & conquirere ſedulo, & dextre applicare docet.

In eo genere præter Philologiam *Glaſſianam*, *Jac. Rambachii* Hermeneutica S. præ aliis hactenus placuit.

12. *Hiſtorica* nunc Propædeumata ſequuntur. Huc pertinet primum ea, quæ *Univerſalis Hiſtoria* appellatur, cujus Compendium in brevi quaſi tabella nobis Regnorum & Imperiorum ſucceſſiones, ac eventus maxime notabiles ſiſtit, ſimul cum Eccleſiæ originibus ac præcipuis fatis. Hæc dein per *Sacram* & *Eccleſiaſticam* Hiſtoriam uberius explicantur. Non negligenda *Litteraria*, quæ eruditorum & eruditionis, ipſiusque Philoſophiæ fata pandit. *Antiquitatum* ſtudium haud omittendum.

Hæc partim S. Litteris, partim Controverſiis fidei lucem adferunt, partim ad Sapientiæ adyta nos ducunt. Unde multiplex Hiſtoriarum utilitas, immo neceſſitas patet. In Compendiis Univ. Hiſt. maxime probo *Petavii* Rationarium temporum; in Hiſt. Eccl. *Turrettini*, *Jablonskii*, *Moshemii* Compendia. Uberiora tradunt *Uſſerii* Annales V. & N. T. ac *Spanhemii* Introductio plenior, in qua & quæ ad Litterariam Hiſt. faciunt, adnotantur. Qui plura de Philoſophis, eorumque Sectis & Placitis ſcire cupit, *Jac. Bruckeri* Hiſtoriam Criticam Philoſophiæ evolvat.

13. *Philoſophica* Theologiæ ſubſidia primum quidem ex *Logica*, dein etiam ex *Metaphyſica*, & tandem ex *Philoſophia morali* deſumuntur. In genere autem cenſemus, Philoſophiam Theologiæ ſtudioſo non utilem modo, ſed & neceſſariam eſſe, dummodo recte excolatur, Prima vero cautela eſt; *ne quid nimis*. Porro nihil quidem rationi oppoſitum, nonnulla tamen ejus limites egredientia ſunt admittenda.

Errant ergo, & qui nimis extollunt, & qui nimis deprimunt hanc ſcientiarum humanarum Reginam. Si increduli arma ex ea depromunt, cur non ex eodem armamentario nos auxilia depromemus, & veneno parabimus antidotum? Si Philoſophia fuerit modeſta, plurimum adferet Theologiæ commodum. Sin modeſtiæ fines exceſſerit, iisdem armis debellabitur, quibus Theologiæ bellum aliquando infert.

14. *Logica* intellectus noſtri facultates in cognoſcendo vero, detegendo errore, inque illo tradendo ac defendendo, hoc autem refutando, dirigit. *Metaphyſica* veritatum prima elementa, de Deo, Mundo & Homine proponit. *Philoſophia Moralis* Boni & Mali, Juſti & Injuſti diſcrimina, officiorum fundamenta, Virtutis præſtantiam, Vitiorum turpitudinem pandit.

Quis dubitet hæc eſſe utilia, atque adeo neceſſaria? Diſceptatur potius de Methodo, qua hæc ſint tractanda; ac dum omnes libertatem philoſophandi tuentur, multi tamen *unius in verba Magiſtri jurant*. Quid aliud illi faciunt, qui de Philoſophia actum eſſe clamant, niſi *ſcientifice* omnia tradantur? Quaſi vero ante hos novitios nulla fuerit in Mundo ſcientia, nulla certa veritatis demonſtratio, nulla errorum refutatio. Quid ergo fiet de *Lockio*, quid de

de *Boyleo*, quid de *Newtono*? Quid de ceteris omnibus, qui ante hos 60. annos floruerunt? Tironibus tamen ſuademus, ut temporum rationi ſua quoque ſtudia accommodent, prout veſtes accommodant. Si enim veſtes easdem, quæ fuerunt olim, & nunc geſtaremus, non minus rideremur, quam exploduntur illi, qui veterum more philoſophantur. Neque tamen eo ſecius & olim decenter veſtiti fuimus, & veteres bene ſunt philoſophati.

15. Vaſtiſſima *Wolfii* opera totam fere requirunt hominis vitam. Nos *Baumeiſteri* Elementis contenti ſumus. Uberiora ex *Lockio* haurientur. Addimus *Clarkii* Demonſtrationem de Exiſtentia & Attributis Dei, *Grotii* & *Pufendorfii* Libros de Legibus Naturalibus.

Ceteras Philoſophiæ partes, Matheſin, Phyſicam non ſpernimus. Sed alia neceſſaria, alia utilia cenſemus. Prima ſunt neceſſaria. Sequuntur deinceps utilia. Inutilia aut ſupervacanea prorſus omittenda, cum vix ad neceſſaria ac utilia tempus ſufficiat. Ne tamen noſter S. Theologiæ Studioſus phyſicarum & mathematicarum rerum prorſus expers ſit, commendamus *Derhami* phyſicotheologiam, ejuſdemque aſtrotheologiam, aliosque ſimiles Libellos, divinorum Operum aliquam notitiam tradentes.

16. His inſtructus, ac rite præparatus, ex conſilio periti Doctoris ad ipſam Theologiam accedat Juvenis Studioſus, Quod ſi citius ad eam acceſſerit, quam de illis Præſidiis proſpectum fuerit, tum quidem quæ deſunt, accuratiſſima diligentia ſibi acquirere ſtudeat, ſic tamen omnia moderante prudente Præceptore, ut a ſuo primario Scopo ne latum quidem unquem recedat.

CAPUT V. *de ipſis S. Theologiæ partibus ordine addiſcendis.*

1. Ipſa noſtra *Theologia*, quæ Doctrinam omnem de Deo comprehendit, dividitur in *Naturalem* & *Revelatam.* Prior eſt, quam Naturæ Lumen docet; altera, quæ ex Revelatione hauritur. Illa quamvis hac multo ſit inferior, antecedit tamen ordine, ut prius quid recta ratio doceat, dein quid Dei Revelatio addat cognoſcamus.

Errant ergo, qui a Studioſis aut negligendam prorſus, aut nonniſi poſt Revelatam tractandam putant Theologiam Naturalem. Eſt & hæc ratio iſtam præmittendi, quod citius rationis uſus invaleſcit, quam Lingg. Orient. Artisque criticæ ac hermeneuticæ ſufficiens haberi poterit peritia, ſine qua tamen revelata Theologia plene cognoſci non poteſt.

2. Quamvis & Philoſophiæ pars ſit Theologia Naturalis, rectiſſime tamen facere cenſemus eos, qui ipſi Studio Theologiæ hanc velut partem eſſentialem adjungunt. Quapropter integrum id demum eſt *Syſtema Theologiæ*, quod 1. Naturalem ſiſtit; 2. Demonſtrat Veritatem Religionis Chriſt. 3. Veritatem ac divinitatem ceteraque attributa S. Scripturæ perpendit; 4. Dogmata iſtius pertractat; 5. Diſſentientium errores refellit. 6. Officia Hominis Chriſtiani cujusvis, & imprimis V. D. Miniſtri complectitur.

Fuerunt, qui de Syſtematibus Theologiæ male ſentirent. Sed hi vel Heterodoxi fuerunt, qui ea ſuo novas res moliendi pruritui obſtare videbant;

bant; vel tales; quos vitia nonnulla in Syſtematibus occurrentia offendebant. Sed priores quidem nullo jure id, quod ſuis conatibus obſtat, amoliri conantur. Ceteri cogitare debent, nihil in hominum operibus omnino perfectum eſſe.

3. Nullus eſt Liber, qui omnes eas partes, de quibus modo dictum contineat. Quapropter parvulam *Studioſi Theologiæ Bibliothecam* hic efformabimus. Plura deinceps partim proprio judicio, partim conſilio aliorum addet ipſe cum primum iſtud curriculum fuerit emenſus.

Diſtrahunt potius animum, ac Studia impediunt, qui nimis multos Libros Tironibus commendant. Tirones vero omnes illos cenſemus, qui eousque nondum progreſſi ſunt, ut de ſummis doctrinæ Theologicæ Capitibus appoſite reſpondere poſſint. Nos enim iſtos demum habemus pro idoneis hominibus, qui illud, quod deſignavimus Stadium, aliqua cum induſtria ſint emenſi, ut in V. D. Miniſtrorum numerum recipiantur.

4. Priora tria Capita nobis propoſita fuerunt, cum *Fundamenta Theologiæ Naturalis & Revelatæ* ederemus. His enim innituntur cetera; nec ſine iis ſua ædificio firmitas conſtat. Eo Libello probe percepto, addendas cenſemus *J. A. Turrettini* Diſſertationes de Theologia Naturali. *Wytebachii* Tentamen Theologiæ dogmaticæ Loco ſeu Capite I. Theologiam Naturalem ſcientifice demonſtratam exhibet, eoque conducit, quod recentiorum Philoſophorum principia & methodum docet.

Ejusdem *Wytebachii Comp.* Theologiæ dogmaticæ & moralis expoſitioni docentis accommoda-

tius eſt quam privatis Studiis. Conqueruntur noſtri Studioſi, id nec ſatis perſpicuum eſſe, nec ſat concinno uti Stilo. Id maxime nobis in eo placet, quod præmiſſis Fundamentis, doctrinas Theologiæ Revelatæ theoreticas pariter & practicas apto quodam ordine conjungit. In *Tentaminis* Cap. I. quo Theol. Nat. continetur, nihil deſideramus, niſi quod ad *Wolfii* Libros remittit, quos Studioſis noſtris utiles quidem, ſed minus neceſſarios judicamus, nec ſemper in promtu eſſe poſſunt.

5. Subjungimus his ejuſdem *Turrettini* Diſſertationes alias, quæ de Veritate Religionis Judaicæ & Chriſt. agunt, *Wytebachiani* Tentaminis Loc, ſeu Cap, 2. & S *Clarkium* de Exiſtentia & Attributis Dei, nec non de Veritate R. C. aut *Abbadie* de Verit. R. C. *Grotii* vero aureum de eodem Argumento opuſculum familiariſſimum S. Theologiæ Conſecraneis eſſe debere, ac omnium inſtar exiſtimamus.

Sunt multi alii, qui Incredulis omnis generis ſatisfacere ſtuduerunt, apud Anglos potiſſimum *Inſtituti Boyleani* Lectores, quorum complures in Compendium miſit *G. Burnetus* in Defenſione Religionis. De ipſis vero Incredulis eorumque Antagoniſtis *Leland.* agit, in dem Abriß deiſtiſcher Schriften. His legendis cum otium ſupererit, haud parum fructus percipietur.

6. *Dogmata* Religionis, quæ quartam conſtituunt Syſtematis noſtri Theologici partem, ſecundum ordinem *Symboli Apoſt.*, quod Fidei Chriſt. pleniſſimum ſimul & breviſſimum Compendium eſt, pertractare nos quoque inſtituimus. Porro commendamus *Witſium* in Symb,

Symb. Apoſt. ac *Pearſonium.* Addetur Tentaminis *Wytebachiani* Locus 3. ad 12. ſeu Libri finem; ſicque optime & Dogmata, & eorum connexio ſyſtematica perdiſcetur.

Poterit & in pertractando Symb. Apoſt. ſingulorum Dogmatum ratio, & cum ceteris Analogia demonſtrari, quamvis ea ſcientifice non tractentur.

7. Id vero monendum vix eſſe videtur, ut Studioſus illud imprimis *Compendium*, ſeu quemcunque aliumLibellum,exillis,qui publicis aut privatisLectionibus,pro arbitrio docentium exponuntur, ſibi quam maxime familiarem reddat. Nam per ſe quilibet ejus rei neceſſitatem intelligit. Itaque & antequam audiat Prælectionem, & poſtquam audivit, leget relegetque illud, quod tractatur caput, ac memoriæ probe imprimet.

Præ aliis vero opera danda, ut Loca S. Scripturæ, quæ probationis cauſa adducuntur, in ipſo Textu originali, collata Verſione Latina & Vernacula exquiras, expendas, & memoriæ firmiter imprimas.

8. Iſtud interim haud prætermittendum, quod miror a paucis fieri, ut & *Catechiſmus* in noſtra Eccleſia receptus, Heidelbergenſis ſcil. aut ejus ſynopſis,& *Confeſſio Fidei Helvetica* cum *Baſilienſi,* utpote *Libri Symbolici* Reformatorum in his regionibus, attente legantur, & cum S. Scripturis conferantur. Exhibent iſta ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, qua Reformatæ Religionis ſumma continetur.

Symbolicis Libris nullam tribuimus auctoritatem, niſi cernamus ipſi, eos cum S. Litteris conve-

convenire, & ex illis depromtos eſſe, quod inſtituto ſerio & modeſto examine facile intelligetur.

9. Ad reliquas partes Theologiæ progredimur, eo ordine, quo eas §. 2. propoſuimus. Prior ex illis eſt, quæ Diſſentientium errores refellit, ac *Polemica*, ſeu *Elenchtica* dicitur. Ea vel generalis eſt, quæ omnia adverſariorum genera tangit; vel ſpecialis, quæ ſingula adgreditur. Huc pertinet generalis tantum, quoniam ſpecialis ſingulorum diſſentientium refutatio non convenit breviori illi tempori, quod curriculo ordinario deſtinatum eſt.

Polemica Theologia non tam Adverſarios oppugnare, quam noſtram doctrinam defendere docet. Quam ob rem plerique hactenus ita eam tractarunt, ut ad Objectiones potius reſpondere, quam oppoſita Syſtemata impugnare diſceremus. Hac methodo *Franc. Turrettinus*, & ex eo *Kyſſenius*, ſunt uſi Sed illa altera, qua Religiones a noſtra diverſæ per omnes ſuas partes expenduntur, non minus videtur neceſſaria; unde laudamus quosdam recentiores, qui hanc ſunt ſecuti. Huc pertinent ex Reformatis *Stapferus*, ex Lutheranis *Schubertus*.

10. Theologiam Polemicam generalem qui, quantum neceſſe eſt, perdiſcere cupit, adeat, legat, relegatque *Friderici Stapferi* Opus quinque partium, quod eſſe inſtar plurium aliorum poteſt. In hoc enim poſitis quibusdam fundamentis, de omni genere aberrantium modeſte, ac ſolide agitur. Attendendum imprimis ad refutationem Naturaliſtarum, Socinianorum, Pontificiorum, Fanaticorum; in quo genere præcipuos quosdam aucto-

auctores indicat, conſulendos potius durante curriculo Studiorum, quam legendos.

Illa IV. genera his quidem temporibus maxime nobis debent eſſe curæ, quia præ aliis errorum generibus invaluerunt: ceteris, a quibus minus eſt periculi, tantiſper ſepoſitis.

11. Pleniſſimam Controverſiarum cum Pontificiis continet tractationem, præter eos, qui prolixius inter noſtros S. Theologiam univerſam tradiderunt, in quibus maxime *Heideggeri* Corpore Theologiæ utimur; *Chamierus* in Panſtratia Catholica, nec non *Sedanenſium* Theologorum Diſſertationes, quibus adderem *Lud. le Blanc* Theſes Theologicas, ſolidiſſime & admodum perſpicue ſcriptas, niſi rariorem Librum eſſe viderem. Facilius haberi, ac cum fructu ſtudiorum legi poteſt *Stakhouſe* Corpus Theologiæ, Anglorum Ling. ſcriptum; quod nunc & Gallice & Germanice exſtat.

Si non capit iſtorum ac ſimilium Librorum Lectionem brevitas temporis, curriculo Theologico præſcripti; evolvi ſaltem ac conſuli poſſunt, ubi neceſſe eſt.

12. Eodem pertinent & illi Libri, qui ad ſingula Genera errorum refutanda pertinent. Eos non capit curriculum ordinarium. Sunt igitur ad aliud tempus, vel ad ſolum uſum conſulendi a nobis ſervandi. Idem de eo dicimus, ut Adverſariorum ſcita ex ipſorum Libris accuratius cognoſcamus. Opera imprimis eſt danda, ut Eccleſiæ Lutheranæ doctrinam a noſtra parum diverſam ex bono quodam

quodam ejus Theologo hauriamus, in quibus nobis utilior multis aliis, & concinnior videtur *Buddeus* in Theol. Dogmatica.

Non bene judicat de ſententiis diſſentientium, qui ex ſolis adverſariis eas didicit, non ex ipſorum Libris. Hanc ob cauſſam nec *Limborghii* Theolog. negligimus, ut Theologia Remonſtrantium cognoſcatur.

13. Agendum nunc quoque eſt de *Theologia morali* ſeu *practica*. Ea male a plerisque negligitur, ut nec doceatur nec diſcatur eadem induſtria, qua tractantur diſciplinæ theoreticæ. Non enim minus, ſed magis eſt neceſſaria; nec aliam ob cauſam poſt theoreticam tractatur, niſi quod in iſta poni debent fundamenta, quibus Praxis innititur. Nec eſt facilior, ſed multis involuta difficilioribus quæſtionibus, in quibus duce ſapiente opus eſt.

Non ad diſputandum, ſed ad agendum hæc cognoſcitur. *Praxis* vero duplex eſt, alia ad propriam, alia ad ceterorum ædificationem. Utriusque rationem V. D. Miniſtro ſollicite habendam oonſtat.

14. Duplici quoque ratione docetur *Theologiæ Praxis*. 1. ſi Dogmatibus fidei ſingulis ſubjungas *uſus morales*, unde pateat, quomodo cujusque meditatio ad Vitam piam & Chriſtianam conducat. Altera, ſi ordine ipſa *Capita* illius conjunctim tractentur. Utraque non utilis modo, ſed & neceſſaria eſt.

Sicut inutile eſt Dogma, quod nihil ad Praxin facit; ſic utiliſſimi Dogmatis inutilis eſt tractatio, niſi oſtendatur, quomodo ad Praxin ſit revocandum.

dum. Non eſt hæc ratio ſolis V. D. Miniſtris ad Populum dicentibus relinquenda : ſed adhibenda prius in ipſis Academiis ad Studioſos.

15. *Syſtematice* ut tractetur Theologiá practica, opus eſt, ut habeamus aliquod velut *Compendium*, unde generalem ejus notionem animo noſtro imprimamus. Sed neſcio qua Doctorum ſocordia factum eſt, ut tali Compendio, quod omnes exhibeat partes, hactenus careamus. Multi ſunt ejusmodi Libelli; ſed alii hanc, alii illam tantum partem exhibent.

Plerique Doctorum erudita magis, & ad famam acquirendam pertinentia, quam utilia, ſcribere contendunt.

16. Integrum *Theologiæ practicæ ſyſtema* illud eſt, quod omnes ejus Diſciplinæ partes complectitur. Parum quidem inde abeſt *Buddei* Liber Inſtitutionum Theologiæ moralis. Non deſunt tamen, quæ & in eo deſideremus. Sed hæc facile aliunde ſupplentur. In prima parte tractatur Diſcrimen Naturæ & Gratiæ, in quacunque hominis conditione. Sic ſane convenit, ut homo primum conſideretur, qualis in Statu peccati; dein qualis in Statu converſionis eſt. In altera parte Officia enarrat ſingula, quæ homini Chriſtiano incumbunt, eamque vocat *Jurisprudentiam divinam.* Addit tertio loco *Prudentiam* Chriſtianam & Paſtoralem.

In hoc Libro præter alia minoris momenti deſidero uberiorem tractationem *Incitamentorum* ad virtutem, nec non Impedimentorum ſeu Obſtaculorum in via ſalutis obviorum.

17. *Com-*

17. *Compendium* Theologiæ moralis exhibere quibusdam viſus eſt *Oſterwald* in Ethica Chriſtiana. Sed ipſius animum haud fuiſſe alium, niſi ut generalia tantum quædam Capita, ac velut Prolegomena traderet, ex ipſa re patet, dum nihil omnino de officiis Hominis Chriſtiani præcipit, nec reliquas Practicæ noſtræ diſciplinæ partes complexus eſt.

Interim hic Libellus cum duobus aliis, quorum alter de S. *Miniſterio*, alter de *Fontibus* corruptionis, quæ inter Chriſtianos deprehenditur, agit, Tironibus, immo & V. D. Miniſtris, imprimis accommodatus eſt & utilis. Ad uſum uberioris cognitionis, ubi ea opus eſt, *Picteti* ac *Placetii* Opera moralia plurimum conferent.

18. Illud demum eſt plenum *Theologiæ Practicæ Syſtema*, quod primum quidem Legem Dei, atque Conſcientiam Hominis conſiderat. Dein Officia tam generalia, quam ſpecialia. Porro Virtutis Vitiorumque Naturam. Mox Reſipiſcentiam veram & genuinam. Poſt hanc Motiva ad Virtutem Chriſtianam, Impedimenta & Media. Tum de Precatione in genere, & de Oratione Dominica in ſpecie; de reliquis partibus Cultus divini; de Uſu ſacramentorum; de S.Miniſterio, & modo illius partibus rite fungendi, nec non de ratione concionandi, catechiſandi, ægrotos viſitandi, cum ceteris hominibus pro diverſo eorum Statu agendi, ſeu de Animarum cura, agit.

Ex variis nunc Libris hæc ſunt conquirenda & perdiſcenda. Si quis §. præc. dictis Libellis adjungat

jungat *Wytebachii* Compendium Theol. Mor. ac *Miegii* Meletemata S. de Officio Paſtoris Evangelici, haud parum proficiet.

19. Non eſt ergo, quod ſeorſim de *Homiletica* præcipiamus. Nam in Libris jam dictis ſufficiens de ea continetur inſtructio. Oportet autem, ut accedat ſedulum exercitium, quod conſiſtit, 1. in Analyſi ſententiarum S. Scripturæ: 2. In ejus Analyſeos per compoſitionem tractatione: 3. In Orationum illarum, audientibus nonnullis, ac præcipue idoneo Doctore, frequenti recitatione.

Memoriæ probe mandari debere Orationes recitandas per ſe patet, cum nihil magis vim dictorum imminuat, apud Populum præcipue, quam ſi ex Libello prælegatur, aut timide ac cum hæſitatione recitetur.

20. Cum vero nihil eorum, quæ ante dicta ſunt, ita ut decet, fieri poſſit, niſi S. Litterarum auctoritate confirmare omnia, aut potius inde deducere valeamus: patet *Studium Biblicum* utramque in Theologia paginam implere. Huc ergo pertinet *Exegetica*, quæ Regulas Hermeneuticæ S. ad uſum deducit, & ſenſus noſtros in S. Scripturis exercitatos efficit. Quare poſt pleniorem de S. Libris notitiam Criticam & Hiſtoricam ipſa exegeſis adgredienda eſt.

Nullam equidem video rationem, propter quam ipſi illi Proteſtantes, qui unicum veræ Religionis fontem, & unicam Credendorum & Faciendorum normam S. Scripturam eſſe veriſſime contendunt, non par tamen Studium ad eam conferant, ut ad Dogmaticam & Moralem Theologiam. Mi-

 nime

nime certe ſufficit, ut ea tantum Loca S. S. excutiamus, quæ in Compendiis & ſyſtematibus noſtris allegari ſolent; ſed omnis ille divinus Liber, quantum fieri poteſt, legendus & intelligendus erit: Nec minore diligentia Prælectiones Exegeticæ audiendæ, quam Dogmaticæ aut Polemicæ.

21. Plenior de *S. Libris Notitia* conſtat omni illo Hiſtoriæ Artisque Criticæ ac Philologiæ S. apparatu, qui ab illis congeri ſolet, qui *Introductiones* aut *Prolegomena* in S. S. conſcripſere. Eorum Compendium aliquod exhibet *Heideggerus* in Enchiridio Biblico, nec non *Leusdenius* in Philologis tribus. De N.T. ſcorſim quæ ſunt cognitu neceſſaria collegit *Fritius* in Introductione cum Adnotationibus & ſupplementis *Hofmanni.* Qui plures conſulere voluerit, ille adeat *Carpzovii* Introductionem in Libros V. T. *Millii* Prolegomena in N. T. & *Præfationes* Libris Sacris plerumque præfixas.

Multam lucem hæc in ipſa Lectione S. S. adferunt, nec ſupereſſe patiuntur difficultates illas generaliores, quibus illi premuntur, qui ſunt Hiſtoriæ criticæ S. Scripturæ ignari.

22. Sequuntur *Commentarii* ac Adnotationes, quibus in S. Litteris intelligendis juvamur. Hi vel ſunt breviores, vel uberiores. Sunt porro alii Litterales & Exegetici, alii Reales, qui non tam ſenſum S. S. quam Dogmata & Controverſias cum uſu practico pertractant, & Locos Communes potius congerunt, quam Exegeſin. Hos non capit Curriculi propoſiti brevitas; ſed oportet,

ut

ut unum itemque alterum ex brevioribus Exegetis deligamus.

Uberiores vel ad commodiora tempora ſeponi, vel ubi opus eſt, paſſim tantum inſpici & evolvi poſſunt.

23. Quænam nobis maxime placeat in S. Scripturam commentandi ratio, dictum in *Conſpectus Philol. S. Sect.* I. Ibi §. 25. Studioſis noſtris pro tirocinii annis tres potiſſimum commendavimus auctores, quorum unus eſt *Joh. Piſcator*, qui univerſam S. Script. illuſtravit; alter *Franc Junius*, qui V. T. Verſioni Latinæ a *Tremellio* confectæ Adnotationes haud contemnendas addidit; tertius *Th. Beza*, a quo N. T. græce & latine ſæpius cum Adnotationibus uberioribus, quæ ſeorſim quoque proſtant, editum eſt. His ſi addas *Joh. Calvini* Comment. in utriusque T. Libros, haud facile præſtantiorem Exegetam deſiderabis.

Quibus Vetera diſplicent, quia ſunt Vetera; ac ſola ſapiunt Nova, quia ſunt Nova; illi certo ſciant, ſibi corruptum eſſe guſtum. Nova pleriſque præ veteribus arrident, quod ſunt his peiora, non meliora.

24. Sunt illa latine ſcripta, eamque ob em omnibus nationibus communia. Utie interim fuerit, & vernacula quædam habere, quæ legi & conſuli queant. Germani Biblia habent cum *Toſſani* adnotationibus, nec non *Starckii* Bibliothecam exegeticam. Novum Teſt. *Heumannus* Adnotationibus egregiis illuſtravit. Galli *Calmetum* in V. & N.

Beauſobre & *Lenfant* in N. T. laudant. Angli Commentarios *Patricii* & *Lowthii* in V. *Witbyi* & *Dodridge* in N. T. inter alios commendant.

Non omnia hæc quilibet ſibi neceſſaria putet. Interim ſi hæc & alia ſucceſſu temporis haberi poterunt, tanto magis inſtructum ſe eſſe non modo S. Litterarum Studioſus, ſed & V. D. Miniſter ſentiet. *Criticos S.*, *Polum*, *Grotium*, *Hammondum*, *Clericum* & ſimiles, Academicis Doctoribus concedere poterit, aut maturiori ætati reſervare.

25. Plurimum vero in S. Scripturæ Exegeſi ille juvabitur, qui primo compendiariam, dein uberiorem Antiquitatum Sacrarum ſibi comparaverit notitiam. Huc pertinent *Goodwini* Moſes & Aaron, *Ikenii* & *Relandi* Antiquitates. Plura ex *Carpzovii* Apparatu Antiquitatum S. Codicis & Gentis Hebrææ, & ex *Lundio*, quo plurimum Germani utuntur, cognoſcemus. Ipſos enim hic fontes adire haud cuivis contingit.

Sic inſtructum noſtrum Juvenem S. Litterarum Studioſum tot ſubſidiis exiſtimamus, ut ſi modo laboris haud ſit impatiens, parum ei ad eruditionem ſacram ſit defuturum. Sunt tamen & aliæ quædam S. Theologiæ aut partes, aut ſpecies, quæ partim in iis, quæ ſunt dictæ, jam continentur, partim poſtea demum pertractari poſſunt. Quæ enim appellatur *Symbolica* & *Catechetica* Theologia, ad *Dogmaticam* pertinet. Quæ vero *Patriſtica*, partim *Polemicæ*, partim *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* accenſenda. Theologia *Prophetica*, *Typica*, *Emblematica*, *Parabolica*, ſunt partes *Exegeticæ*. *Homiletica* denique, *Caſuiſtica*, *Pöracle-*

racletica, *Experimentalis*, *Aſcetica*, pertinet ad *Practicam Theologiam*. Quare in partibus ante a nobis poſitis, omne hoc noſtrum Studium, ὡς ἐν συνόψει, continetur.

CAPVT VI. *De Temporis Diſtributione.*

1. *Tempore* ad hæc pertractanda opus eſſe, eoque ſatis longo, nobis tacentibus, liquet. Quantum illud requiri videatur, deinceps dicetur. Interim certum eſt, plurimum in ordine & diſtributione ſitum eſſe. Nihil confuſione peius. Nihil magis impedit progreſſum.*

Qui alios in Studiis Litterarum ducit, æque diſcenda ac diſcendorum ordinem & rationem docere debet.

2. Sunt, qui *Biennium* Studiis Sacris tribuunt, alii *Triennium*, nonnulli *Quadriennium*, pauci *Quinquennium*. Neque ſane Quinquennium, ſi Studioſos noſtros ſpectemus, quales plerumque a Philoſophorum Scholis ad nos dimittuntur, nimis longum eſt, ob rerum diſcendarum copiam & momentum.

Qui anno æt. XVI. vel XVII. vix eo usque progreſſi ſunt, ut faciliores ex Latinis Scriptoribus, E. g. Corn. Nepotem aut Juſtinum; in Græcis N. T. mediocriter interpretari norint, vixque Rhetoricæ ac Logicæ Elementa prima, cum nonnullis ex Hiſtoria Univerſali, Matheſi, Phyſica & Philoſophia Morali didicerint; non debent ſperare, ſe intra proximum *Quinquennium* nimis eruditos in Theologicis Diſciplinis futuros eſſe.

3. Triennio *Moſhemius* ita incluſit Curriculum theologicum, ut Doctoribus audiendis quaternas quotidie horas deſtinaret. Tot interim Libros commendavit, quos ne ſtudioſiſſimus quidem Juvenis toto quinquennio cum fructu & neceſſaria repetitione, perlegere poſſit. Sapienter tamen proſpexit, ut cum hoc triennio, & Philoſophiæ partes, Logica, Metaphyſica, ac M ralis; porro Linguæ, Hebræa & Græca; Hiſtoria Eccleſiaſtica V. & N. T Antiquitates Jud & Chriſt. Theologia dogmatica, moralis, polemica, paſtoralis, catechetica, Homiletica, Hermeneutica & Exegeſis V. & N T. pertractanda; cum ſit Exercitiis Diſputatoriis & Concionatoriis vacandum: Severe admodum præcipiat, ut nonniſi tenuiſſima *Compendia* adhibeantur, eaque quam maxime breviter a Doctore exponantur.

Nimis ſane multa hic videntur coacervari, quibus progreſſus impediatur potius, quam promoveatur. Vid. J. L von Mosheim Anweiſung die Gottsgelehrtheit vernünftig zu erlernen. 8. 1756.

4. Triennium quoque Curriculo Theologico adſignant alii, & in his *Tubingenſes*, quorum hæc eſt ratio, ut id tempus inter Theſin, ſ. Dogmaticam, Exegeſin, ſ. Expoſitionem S. S. Controverſias, ſ. Polemicam, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, cui tertio anno ſubſtituitur Homiletica, ſ. Ars Concionandi, diſtribuatur. Sed poſtulat hoc Schema, ut S. Theologiæ Studioſus jam ſatis & in Philogicis

logicis & in Philoſophicis ſit exercitatus, ſine quibus nihil eorum, quæ propoſita ſunt, rite tractari poteſt.

Vid. *Acta* Hiſtorico-Eccleſiaſtica parte 44. Weimar. 1744. 8. Adduntur illis publicis Lectionibus quædam privatæ, quibus Theologia moralis; itemque paſtoralis, & aliæ quædam Diſciplinæ tradi ſolent. Illud vero poſtulatur in hac diſtributione, ut Linguæ, Philoſophia, Hiſtoria S. jam cognitæ ſint Studioſo, atque adeo nihil temporis ſibi abripiant.

5. Apud nos in hac *Baſilienſi* ſtudiorum Univerſitate, cum tales ſint Juvenes S. Litterarum Studioſi, quales §. 2. diximus, aliter partiri debemus tempora. Hi enim in Philologicis & Philoſophicis, tum etiam in Hiſtoricis diſciplinis primum ita ſunt exercendi, ut ſufficientes acquirant ad Theologiam ipſam adgrediendam vires.

Sed iſtud de *Baſilienſibus* noſtris, & qui illis ſimiles ſunt, intelligendum. Nam de iis, qui peregre adveniunt, & plerumque firmiores ætate ac eruditione ſunt, aliter deinde conſtituemus.

6. Tres qui ſunt apud nos ordinarii S. Theologiæ *Profeſſores* hoc ſibi negotium ex antiquo uſu incumbere ſentiunt, ut binas per Hebdomadem habeant publicas Prælectiones; primus quidem in Librum aut loca ſelecta *Novi* alter, *Veteris Teſt.* tertius in *Loca*, ſeu Capita Theologiæ ſ. theoreticæ ſeu practicæ. His additur una publica, nec non quædam privatæ, ſed omnibus apertæ, *Diſputationes*, cum Manuductione ad *Artem homileticam*.

Inde ab a. 1759. acceſſit quartum par publicarum Lectionum, quo ex *Inſtituto Freyio-Grynæano* ſucceſſive aut Philologia S. univerſa, aut Veritas ac Divinitas Revelationis & S. Scripturæ, aliaque ad incrementum Rei Theologicæ facientia, quæ in Penſis Theologorum ordinariis non continentur, tradi ſolent. Præter has, quatuor per hebdomadem Lectiones habentur a Profeſſore *Ling. Hebr.* quibus Grammatica Librorum S. analyſis traditur.

7. Has *publicas Lectiones* omnes, quarum binæ aut ternæ ad ſummum in unum diem cadunt, una cum *Diſputationibus*, omnes S. Theologiæ Conſecranei inde ab initio curriculi ad finem audient, ſi ſapiunt; eoque facto inſignem ſibi colligent theſaurum. Qui aliquos jam progreſſus fecerint, addent inſtitutionem & exercitationem *Homileticam.* Nec ullis hic ſumtibus opus eſt, niſi qui in Libros expendentur, quibus uti ſolent docentes.

Errant, qui humanioribus ſe aiunt litteris incumbere, eoque prætextu publicis abſtinent Theologorum Prælectionibus & exercitiis. Binæ enim aut ternæ in diem horæ nihil privatis eorum ſtudiis, ſi modo ea ex peritorum, non ex proprio, conſilio inſtituant, impedimenti adferunt, ſed ea potius juvant, ac uſum eorum continuo in rebus Theologicis commonſtrant.

8. *Privata* ergo induſtriæ, & privatæ Profeſſorum, ut idoneorum Doctorum, inſtitutioni relicta ſunt cetera, quæ univerſum hoc ſtudium abſolvunt. Cum publice habeant ſtudioſi Juvenes Linguam Hebr. Exegeſin, & Theologiæ Dogmaticæ ac moralis multas

multas partes, nec non homileticam; item Philologiam S. in qua & Hermeneutica & Critica S. continetur, cum demonſtratione Revelationis & S. Scripturæ; ſuperſunt Hiſtoriæ, Antiquitates, Compendium Theologiæ dogmaticæ, moralis, & polemicæ, quæ ſuis nunc temporibus dividentur.

Qui aut Linguas, aut Hiſtorias, aut Antiquitates jam didicerit, aut ſaltem partem aliquam harum diſciplinarum jam teneat, quod in *peregrinis* ad nos venientibus plerumque deprehenditur; is continuo ad cetera procedet, ac tanto citius curriculum abſolvet, quod vel intra triennium vel ab exercitatioribus etiam intra biennium fieri poterit. Vidimus &, qui uno anno alibi coeptum curriculum apud nos abſolverint.

9. Noſter ergo S. Theologiæ Studioſus, ſi noſtro conſilio uti voluerit, primos Curriculi VI. Menſes tribuet *Latinæ* & *Græcæ Linguæ.* Ex Latinis leget *Ciceronem* de Officiis, *Minutii Felicis* Octavium, & *Lactantii* Opera. His deinde in Theologia haud mediocriter ſe juvari ſentiet. In Græcis *Novo Teſt.* addet *Epicteti* Enchiridion cum Tabula *Cebetis*, & *Antonini* Imp. opuſculum de ſeipſo ad ſeipſum.

Scripta Gentilium haud carere in moralibus ſua utilitate docebit experientia.

10. Altero ſemeſtri Latina omittet, ſi modo etiam in ſcribendo ſe quoque aliquantulum exercuerit, quavis hebdomade aliquid componendo, quod a peritiore corrigatur. Conjunget deinceps cum Græcis *Hebræa.* In Græcis leget *Libros Apocryphos*, & partem

Verſionis LXX. Interpr. ac *Patres Apoſtolicos.* In Hebraicis diſcet præcepta *Grammaticæ* a fido Præceptore commendata, ac cum primum id fieri poterit, addet praxin in Lectione ac Analyſi Locorum ſelectorum V. T. qualia collegit H. *Opitius* in Bibliis parvis. *Lexico* utetur *Buxtorfiano*, quod Tironibus eſt commodiſſimum.

Aurea Regula: *Præcepta pauca; uſus multus.* Linguæ diſcuntur ſi poſt prima Grammaticæ Elementa inſtituatur crebra Lectio & Interpretatio.

11. Sic primus annus transactus. Secundo anno ſepoſitis Græcis, niſi quod N. T. Græci quotidie pars aliqua legetur, perget noſter in *Hebrais*, uberiorem diſcens *Grammaticam*, qualis *Buxtorfii* Theſaurus, Libris II. & Etymologiam, & Syntaxin, atque ſic etiam *Idiotiſmos* L. H. tradens; Addet Librum aliquem Biblicum ex facilioribus, v. g. *Geneſin.* Adjunget *Rambachii* Hermeneuticam S. & dein *Bruiningſii* Antiquitates Græcas N. T. illuſtrantes.

Romanarum Antiquitatum haud rudem eſſe oportet N. T. Lectorem. Conſulet ergo nonnunquam breviſſimum *Cellarii*, aut concinnum *Nieuporti* Compendium.

12. Tertius annus *Hiſtoricis* deſtinatus eſt diſciplinis. Earum prima eſt *Hiſtoria univerſalis*, præcipue antiqua, a M. C. ad C. N. ac inde ad Imperii Chriſtianorum in Oriente finem. Hæc vel *Cellarius* ſuſpeditabit, Hiſt. Univ. Antiqua & Media; vel, qui uberior eſt, *Petavius* in Rationario temporum. Conjun-

jungetur cum ea *Hiſtoria Eccleſ.* V. & N. T. Illius quia deeſt ſat concinnum compendium, a nobis aliquod conſcriptum eſt privatim enarrandum: Hujus vero enarrationem hactenus ex *Turrettino* inſtituimus.

Uno hoc anno id abſolvi poteſt, ſic, ut & *Antiquitates Eccleſiaſticæ* adnotentur, & quæ recentiora tempora habent memorabilia addantur. Si quid habebit Studioſus vacui temporis, leget Geographiæ aliquod Compendium, & conferet Chartas Geographicas.

13. Quartus annus poſt animum rite, eo, quo diximus modo, præparatum, *Theologiæ dogmaticæ & Elenchticæ* conſecrabitur. Incipimus per lectionem atque expoſitionem noſtrorum *Fundamentorum* Theologiæ Nat. & Revelatæ. Succedit dein *Compendium* aliquod Theologiæ vel a nobis compoſitum, vel ab Auditoribus deſideratum. Theſi ſ. Dogmatibus additur Antitheſis, & Errorum oppoſitorum refutatio, cum Polemicæ Theol. Compendio.

Non fuerit nimium laboris, ſi Studioſus præter binas publicas, binas quoque hoc & ſeq. anno quotidie audiat privatas Lectiones, ut eo citius progrediatur.

14. Quintus tandem annus *Theologiæ practicæ*, una cum reliquarum partium Theologiæ brevi repetitione, exercitiis item diſputatoriis & concionatoriis impendetur. Quo modo illa ſit diſcenda, ſupra traditum eſt Cap. V. §. 13-18. *Wytebachii* Compendium Theologiæ moralis tantiſper noſtris prælectionibus

priva-

privatis inſerviet, donec aliud compoſitum fuerit plenius ac noſtris uſibus adaptatum. Repetitio vero dogmatica & polemica commodiſſime per *Collegium examinatorium* inſtituetur.

Abſoluto hoc curriculo ordinario, cetera cujusvis judicio relinquuntur & induſtriæ propriæ.

15. Quæ alia a nobis tum in Propædeuticis tum in Theologicis ipſis Studioſo diſcenda diximus, ea pro re nata & occaſione ſe offerente, ſuis temporibus adſignari poſſunt, ſive legere, ſive a Doctore enarrata audire oporteat. Ipſa imprimis S. Scripturæ lectio in originalibus Linguis nunquam eſt omittenda, ſed quotidiana prorſus ab initio ſtudiorum ad finem uſque eſſe debet noſtra hæc exercitatio.

Si noſtræ res ferant, in quovis genere docentem audire longe utiliſſimum foret, ut fortius imprimi, & facilius intelligi omnia poſſint. Sin minus; propriæ ſedulitati ſunt cetera relinquenda.

16. Illud imprimis tempus, quod pro more Academiarum feriatum eſſe ſolet, Studioſi iis legendis ac repetendis impendere debent, quibus alias tempus deeſſe videbatur. Quænam vero illa ſint ex Cap. 4. & 5. intelligi potuit. Nullum itaque tempus otioſe tranſigendum; ſed utiliter collocandum omne id eſt, quod non neceſſariæ curæ corporis debetur.

Valetudinis curam habendam, ne illa nimiis vigiliis & lucubrationibus atteratur, vix eſt opus

ut

ut moneamus. Plerique enim abſque monitore id ſedulo cavent. Quare ad diligentiam potius excitandi, quam inde retrahendi ſunt.

17. Horarum per ſingulos labores diſtributionem cuivis permittimus. Id tantum monemus, ut precibus & Lectioni Scripturarum S. & primum & ultimum diei tempus attribuatur. Hæc enim eſt certiſſima cum in pietate, tum in eruditione vera ac ſalutari, proficiendi ratio.

CAP. VII. *Bibliothecam Studioſi Theologiæ, & V. D. Miniſtri compendiariam ſiſtit.*

Bibliorum Vernaculorum Exempla bina, unum manuale ad quotidianum evolvendi uſum; qualia ſunt Imhofiana Baſilienſia ſæpius recuſa in 8vo. ex *Verſ. Lutheri*, cum locis parallelis; altera majora cum Annotationibus, ſeu Battierii & Gernleri, ſeu D. Toſſani, fol. Baſil. ap. Thurniſ.

Ii, quorum Eccleſiæ *Tigurina* Verſione utuntur, & manualia Tig. edita, & cum Annotat. Ven. *Ulrici* habere ac legere debent.

Galli itidem Baſileæ ap. Imhofium invenient elegantiſſima Biblia manualia. His addent majora apud eundem, aut cum Adnot. *J. F. Oſterwaldi.* fol.

Nouveau Teſtament avec les Préf. & Notes de *Beauſobre* & *Lenfant*. 4to. 2. Vol. Amſtel. 1718. recuſum Baſil.

Sim.

Sim. Patrick, Commentarius in Libros Hiſtoricos V. T. fol. Lond. 1730. Angl.

D. Whitby Paraphraſis & Annotationes in N. T. f. 2. Vol. Lond. 1709. & 1710. Angl.

Biblia Hebraica, edit. Reineccii. 8. Lipſ. 1725. ac dein iterum recuſa, forma commoda. Præſtantiores ſunt Edit. Athiæ & Leusd. Michaëlis, Jablonski, Van der Hooght, ſed hæc omnium ſplendidiſſima & maxime emendata. Recuſa Lipſiæ cum Verſ. Lat. *S. Schmidii*. 4 1740.

Biblia Græca LXX. Interpr. cum Libris Apocryphis ex Cod. Alex. edidit. *J. E. Grabe*; recudi curavit *J. J. Breitingerus*, 4. Vol. Tig. 1730. 4to.

N. T. Græcum cum Locis Parallelis & Præf. A. Birrii 8. Baſil. 1749 aut alia commoda & emendata editio: qualis eſt Amſt. cura G. a Maſtricht cum Var. Lect.

Biblia Latina V. T. ex Verſ Junii & Tremellii, cum Not. N. T. ex Verſ. Bezæ; accedit Tremellii Lat. Interpret. Verſionis Syræ, cum Not 4. & f.

Biblia Latina, ex Verſione & cum Annot. Joh. Piſcatoris. 8. & f.

Buxtorfii Lexicon Hebr. & Chald. 8. Baſil. ſæpius editum.

Lexicon Hebr. & Chald. *Joh Cocceji* cum Addit. Joh. Henr. Maji. f. Francof. & Lipſ. 1714. provectiorib. adaptatum.

Buxtorfii Epitome Grammaticæ Hebr. 8. Baſil. ſæpius.

Ejusd.

Ejuſd. Theſaurus Grammaticæ hebr. 8. ib. ſæpius.

J. H. Hirzelii Fundamenta punctationis. 8. Tig.

A. Schultens Inſtitutiones L. Hebr. 4. Lugd. Bat. 1737.

Ejusd. Via Regia hebraizandi. 4. ib. 1738. Duo hi ad id quoque inſerviunt, ut recentiorum Philologorum obſervationes Grammaticæ cognoſcantur.

H. Opitii Biblia parva. 12. Lipſ. 1681. & nuper denuo recuſa.

G. Paſoris Lexicon græc. & lat. N. T. 8. Herborn. 1632. & ſæpius. Majoris pretii ac molis eſt *Stockii* Clavis Ling. Græc. N. T. 8.

J. Clerici, Ars Critica. Tomi III. 8. Amſt. & in Germ. recuſ.

S. Glaſſii Philologia S. 4. ſæpius recuſa.

J. Rambachii, Hermeneutica S. 8. Jen. 1743.

Chr. Cellarii Compendium Hiſtoriæ Univerſalis, 12. Partes III. ſæpius.

D. Petavii Rationarium temporum, 8. Partes II. ſæpius. Edit. præſtantior eſt Lugd. B. 1724. 2 Vol.

H. Prideaux Connexio Hiſtoriæ V. & N. T. Angl. 8. 3 Vol. Lond. 1716. In Gall. & Germ. L. translat.

A. H. Frankii Methodus Studii Theolog. 8. Hal. 1723.

J. Heinr. Hottingeri Typus Studioſi Theologiæ. 8. Baſil. 1738. Ejusd. Typus Paſtoris Evangelici. 8. ib.

J. L. Moſheims Anweiſung die Gottsgelehrtheit vernünftig zu erlehrnen, 8. 1756.

A. Hyperius de Theologo, ſ. de Ratione Studii Theologici, 8. Baſil. 1572. & ſæpius.

D. Eraſmi methodus veræ Theologiæ. 8. Baſil. 1522.

St. Gauſſeni Diſſertationes, in quibus 1. eſt de Ratione Studii Theologici, 12. Ultraj. 1678.

S. Auguſtini Confeſſiones & Soliloquia. 12. Colon. 1647.

J. Gerhardi Meditationes & Exercitia pietatis. 24. Lugd. B. 1629.

A. J. Buxtorfii Betender Chriſt. 8. Baſel, 1758.

J. R. Oſtervald Recueil des Prières. 8. Basle 1756.

S. Patrick Andächtiger Chriſt. Angl. 8. Lond. 1711. Germ. Baſel, 1725.

P. Jurieu, Traité de la Devotion. 12. ſæpius.

Th. a Kempis de Imitatione Chriſti. 8. Antw. 1691. ac ſæpius.

Lucas, Morale Chrêtienne, trad. de l'Angl. 8. Amſt. 1691.

Idem, Liber Anglice: Practical Chriſtianity, With Chriſtian Thoughts. Lond. 1721.

La Nature & l'Excellence de la Religion Chrêtienne, avec une Préface de Mr. *G. Burnet.* Lettre de l'Archevêque *Tillotſon.* Penſées Chrêtiennes de Mr. *Lucas.* trad. de l'Angl.

l'Angl. 8. Délf. 1722. recuſus Baſil. 8. 1739.

Doddridge Commencemens & Progrès de la Piété 8. in Germ. transl.

W. Cavei Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum. f. 2 Vol. Baſil. 1741.

J. F. Buddei Iſagoge in Univerſam Theologiam & ſingulas ejus partes 4. 2 Vol. Lipſ. 1727.

J. G. Walchii Bibliotheca Theologica ſelecta. 8. 3 Vol. Jen. 1757, 58, 62. Exſpectatur Volumen IV.

Epicteti Enchiridion & Cebetis Tabula, græce & lat. edit. Berkelii 8. Amſt. 1670.

M. Antonini Imp. de ſeipſo Libri, græce, cum Verſ. lat. & not. Iſ. Caſauboni. 8. Lond. 1643.

Patres Apoſtolici, Clemens R. Ignatius, Polycarpus, cum Præfat. & Not. *J. L. Freyi*, Baſil. 8. 1742.

Joh. Chryſoſtomus de Sacerdotio, græce & lat. cum Diſſ. *Joh. Hughes*. 8. Cantabr. 1710. & alibi.

Juſtini Martyris Apologiæ pro Chriſtianis; græce & lat. ex edit. Grabe & Hutchinſon. 8. Oxon. 1700. & 1703.

Origenes contra Celſum, Græce & Latine. 4. edit. G. Spenceri, Cantabrig. 1658. Idem in Germ. Ling. translatus a J. L. Moshemio, 4. Hamb. 1745.

J. A. Turrettini Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a C. N. ad finem Sæc. XVII. Gen. 8. 1737.

1737. Alia Edit. cum continuat. Joh. Simonis 8. Hal. 1750.

J. L. Moſhemii Compendium Hiſt. Eccleſ. 8. Helmſt. 1752.

Ejusd Inſtitutiones Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquæ & recentioris. L. IV. 4. Helmſt. 1755.

J. Uſſerii Annales V. & N. T. f. 2. Vol. Lond. 1650. it. Brem. & Gen.

F. Spanhemii F. Introductio in Geographiam, Chronologiam & Hiſtoriam S. & Eccleſiaſticam uberior; exſtat in ejus operibus T. I. f. Aliæ ſunt editiones compendiariæ.

Jac. Bruckeri Hiſtoria Critica Philoſophiæ, a Mundi Incunabulis ad noſtram uſque ætatem deducta. 5. Vol. 4. Lipſ. 1742. Antea Germanice quoque edita, ſed minus plene.

F. C. Baumeiſteri Elementa Philoſophiæ recentioris. 8. Lipſ. 1755.

S. Clarkii Demonſtratio de Exiſtentia & de Attributis Dei, ac de Veritate R. C. Angl. 2. Vol. Lond. 1706. & 1708.

J. Lockius de Intellectu humano; Angl. 2. Vol. 8. Lond. 1710. Gallice. 4. Amſt. 1700. Exſtat & Latine.

H. Grotii de Jure Belli & Pacis. 8. Amſt. 1660. Gallice ex Verſ. & cum not. J. Barbeyrac. 4. Amſt. 1724.

S. Pufendorf de Jure Naturæ & Gentium, cum not. Hertii. 4. Francof. 1716. &

Gall.

Gall. per eund. Barbeyrac. 2. Vol. 4. Amſt. 1712.

Ejusd. de Officio Hominis & Civis, cum Obſerv. Carmichaël, 8. Baſil. 1739.

W. Derham Phyſico-Theologia. Angl. 8. Lond. 1716. Eſt in Gall. & Germ. Ling. translatus.

Ejusd. Aſtro Theologia. Angl. ib. 1715. etiam translatus.

J. C. Beckii Fundamenta Theologiæ Naturalis & Revelatæ. 8. Baſil. 1757.

J. *A. Turrettini* Cogitationes & Diſſertationes Theologicæ, 3. Vol. 4. Gen. 1737. Recuſus Baſileæ ſub Tit. Elucidationes Theol.

D. Wytebachii Tentamen Theologiæ dogmaticæ, 3. Vol. 8. Francof. 1747.

Ejusd. Compendium Theologiæ dogmaticæ & moralis. 8. ibid. 1754

Abbadie de la Vérité de la Religion Chrétienne. 8. 2. Vol. Rotterd. 1689.

H. Grotius de Veritate Relig. Chriſt. cum ipſius & Joh. Clerici Not. 8. Amſt. 1724.

G. Burnet Defenſio Religionis tam Naturalis quam Revelatæ. 8. 4. Vol. Lond. 1737. translat. in Gall. & Germ. L

J. *Leland*, Abriß der vornehmſten Deiſtiſchen Schrifften. 8. 3. Vol. Hamb. 1755.

H. Witſius in Symbolum Apoſtolicum. 4to. Amſt. 1697. alibique.

J. *Pearſonius* in Symbolum Apoſtolicum. fol. Angl. 7. ed. Lond. 1701. & in Lat. Ling. translat. 4.

J. *F. Oſterwald*, Compendium Theologiæ Chriſtianæ. 8. Baſil. 1737. &c.

J. *Urſini* Explicatio Catecheſeos Heidelbergenſis. 8. Heidelb. 1621.

Confeſſio & Expoſitio orthodoxæ Fidei (Helvet. Confeſſ.) 4. Tig. 1566. & ſæpius deinceps. Et Germ. cum Conf. Baſil. & Catech. Heidelb. in dem Kleinod der K. zu Baſel. 8. 1666.

F. Turrettini Theologia Elenchtica. 3. Vol. 4. Gen. 1688.

Ejusd. de ſatisfactione Chriſti, & de neceſſaria ſeceſſione ab Eccleſia Rom. 4. ib. 1692.

L. Ryſſenii Theologia Elenchtica. 8. Bern. 1703.

Fr. Stapferi Theologia Polemica. 8. 5. Vol. Tig. 1743.

J. *E. Schuberti* Inſtitutiones Theologiæ Polemicæ. 8. 4. Vol. Jen. & Lipſ. 1756.

J. *H. Heideggeri* Corpus Theologiæ. 2. Vol. f. Tig. 1700.

D. Chamieri Panſtratia Catholica. 4. Tom. f. Gen. 1626. Add. dein ab Alſtedio Tom. V.

Fr. Burmanni Synopſis Theologiæ. 2. Vol. 4. Amſt. & Genevæ.

Diſputationes Sedanenſes. 4. 2. Vol. Gen. 1661.

L. le

L. le Blanc Theſes Theologicæ. f. Lond. 1675.

T. Stackhouſe Corpus Theologiæ; Angl. fol. Lond. 1729. In Gall. & Germ. Ling. translat. Addatur Ejusd. Defenſio Hiſtoriæ S. Scripturæ, & Religionis Revelatæ, Angl. f. & Germ. 8. Vol. Roſtock 1752-1759. 8vo.

J. F. Buddei Theologiæ dogmaticæ Inſtitutiones. 4. 2. Vol. Lipſ. 1723.

Ph. a Limborgh, Theologia Chriſtiana. fol. Amſt. 1715.

J. F. Oſterwald Ethica Chriſtiana. 8. Baſil. 1737.

Ejusd. de S. Miniſterio, Gallice. 8. ib. eod.

Ejusd. Sources de la Corruption, qui regne parmi les Chrétiens. 8. Amſt. 1700.

B. Picteti la Morale Chrétienne. 4. & 8. ſæpius: & Germ.

la Placette Libri morales Gall. & Germ.

L. C. Miegii Meletemata S. de Officio Paſtoris Evang. 4. Francof. 1747.

J. H. Heideggeri Enchiridion Biblicum. 8. Tig. 1703.

Chr. Bruiningſii Antiquitates Græcæ N. T. illuſtrantes. 8. bis edit.

G. H. Nieuport, Ritus Romanorum. 8. Ultraject. 1723.

J. Leusdeni Philologus Hebræus, Hebræo-Mixtus, & Græcus. 4. Amſt. & Baſil.

J. *G Pritii* Introductio in Libros N. T. cum add. C. G *Hofmanni.* 8. Lipſ. 1737.

J. *G. Carpzovii* Introductio in Libros V. T. 4. Lipſ 1721.

Ejusd. Critica S. V. T. 4. ib. 1728.

J. *Millii* Prolegomena in N. T. f. Rotterd. 1710.

N. T. Græcum cum Annotationib. uberiorib. *T. Bezæ.* f. vel eædem Annotationes ſeorſim. 8. 2. Vol.

J. *Calvini* Commentarii in omnes Libros V. & N. T. excepta Apocalypſi, & in Operibus, & ſeorſim editi.

Opus Biblicum *Starckianum* iis commodum, qui ſumtus facere poſſunt. VIII. Vol. f.

A. Heumanni Erklärung des N. Teſtaments, XII. Theile. 8. Hanover 1750-1763.

Ph. Dodridge Paraphraſtiſche Erklärung des N. Teſtaments, 4. 5. Theile, Angl. & Germ. Lipſ. & Bienn.

Goodwini Moſes & Aaron, cum Apparatu J. *G. Carpzovii.* 4. Lipſ 1748.

C. Ikenii, Compendium Antiquitatum Hebr. 8. Brem. 1735. aut *H. Relandi* Antiquitates Hebr. 8. Amſt. 1708.

J. *Lundii* Jüdiſche Heiligthümmer, f. Hamb. 1711.

A. G. Buxtorf, Catechiſmus-Predigten, 8. 2. Baſel 1747.

G. H. Gernler Catechiſmus-Predigten. 4. ib. 1714.

P. We-

P. Werenfels Sonntägliche Evangelia. 4. ib. 1702.
G. L. Moßheims Predigten. 8. 6. Theile. Frf. und Leipz. 1741.
S. *Werenfels* Sermons. 8. etiam Germ. tranſlat.
J. *Tillotſon* Sermons, Angl. Gallice & Germ. proſtant.
J. J. Rambachs Paßions-Betrachtungen. 8. und 4. Baſel.
Ol. Bowles, de Paſtore Evangelico, Tractatus. 12. Lond. 1659.
G. Burnet de Cura Paſtorali, Angl. of Care Paſtorale. 8. Lond. 1692.
P. Roques, le Paſteur Evangélique. 4. Basle. 1723.

Alios addet quisque pro ſuo judicio & doctorum. *Bonos* Libros habere præſtat, quam *multos*; & *multum* legere, quam *multa* doctiores facit.

TANTUM.

Index Capitum Encyclopædiæ Theologicæ.

Prolegomenon pag. 1.
Cap. I. De fine & Natura ſtudii Theologici p. 3.
Cap. II. De Requiſitis & dotibus Studioſi Theologiæ. p. 5.
Cap. III. De Mediis & Adminiculis ſtudii Theologici. p. 10.
Cap. IV. De Præparatione, S. de Diſciplinis, quibus S. Theologiæ Studioſus præparatur. p. 16.
Cap. V. De ipſis S. Theologiæ partibus ordine addiſcendis. p. 24.
Cap. VI. De Temporis diſtributione. p. 37.
Cap. VII. Bibliothecam Studioſi Theologiæ & V. D. Miniſtri compendiariam ſiſtit. p. 45.

FINIS.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ SYNOPSIS.

SECTIO I. DE CREDENDIS.

PROLEGOMENA.

1. THeologia eſt illa Diſciplina, quæ homines Deum recte cognoſcere & colere docet, ut veram felicitatem aſſequantur.

2. Theologia eſt vel *Naturalis* vel *Revelata.*

3. *Theologia Naturalis* illa eſt, quæ per ſolam Rationem, ſive per uſum Facultatum naturalium acquiritur.

4. *Theologia Revelata* eſt, quam ex Dei Revelatione diſcimus. Dicitur etiam *Chriſtiana*, quia Chriſtianorum propria eſt.

5. Datur *Theologia Naturalis*, quia datur Lumen Naturæ, quod nonnullas veritates de cognoſcendo & colendo Deo nobis oſtendit.

6. Theologia *Naturalis* ante *Revelatam* cognoſci debet, quia hujus Veritates ſine illa cognoſci non poſſunt.

7. Non aliunde poſſumus convinci de *Theologiæ Revelatæ neceſſitate*, niſi ex Theologiæ Naturalis defectibus.

8. *Theologiæ Naturalis Capita* ſunt V. Eorum I. eſt de Exiſtentia Dei. II. de Attributis ſive Perfectionibus ejus. III. de Providen-

tia Dei. IV. de Actionum humanarum diſcrimine morali. V. de Immortalitate Animarum.

CAP. I. *de Exiſtentia Dei.*

9. DEVM ut *exiſtere* intelligamus, oportet, quid ſit DEUS per nominis definitionem explicare.

10. DEVS eſt *Ens a ſe, quod omnibus ceteris Entibus ſuam exiſtentiam dedit.*

11. DEVM *exiſtere* intelligimus 1. per *Exiſtentiam aliorum Entium*, quotquot ſunt.

12. Ratiocinium tale eſt. Certum eſt, & nos & multa alia Entia præter nos exiſtere.

13. Omnia hæc Entia ſimul ſumta, ac certo modo diſpoſita, vocantur *Mundus.*

14. *Mundus non eſt Ens a ſe.* Nam eſt mutabilis & contingens, non neceſſario exiſtit, quippe cujus non exiſtentia quoque poſſibilis, & formæ immutatio nullam contradictionem involvit.

15: *Mundus non eſt cauſa aliorum Entium*; quia alias deberet haberi pro cauſſa ſui ipſius, cum Mundus & omnia Entia præter DEVM ſint unum idemque. §. 13.

16. Si Mundus non eſt Ens a ſe, nec cauſſa aliorum omnium Entium, tum is non eſt DEVS §. 10.

17. Mundus rationem ſuæ exiſtentiæ non habet in ſe, quia non eſt a ſe §. 14.

18. Habet ergo eam in alio Ente, quod eſt a ſe, & cauſſa omnium aliorum Entium. Ergo exiſtit DEVS. Q. e. d.

19. DEVM exiſtere intelligimus 2. ex eo, quod Mundus ſuæ exiſtentiæ initium habuit.

20. Quidquid enim a ſe non eſt, illud exiſtentiæ initium habuit. Mundus autem non eſt a ſe §. 14.

21. Si Mundus exiſtentiæ ſuæ initium habuit, tum habuit cauſam. Nam *a Nihilo nihil fit.*

22 Cauſſa omnium rerum, quæ ſunt, eſt Deus §. 10. Ergo DEVS exiſtit.

23. Mundum habuiſſe initium ex eo quoque colligitur, quod *genus humanum non ſemper exſtitit.* Nam ſi mundus ſemper exſtitiſſet, etiam genus humanum nullum initium habuiſſet.

24. Humanum autem Genus initium habuiſſe præter alia hinc colligitur 1. *Quod non habemus probabiles Hiſtorias, quæ ultra Antiquitatem VI. M. annorum adſcendunt.*

25. *Nam Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinenſium* vulgo jactatas Antiquitates fabuloſas eſſe inter eruditos conſtat.

26. Ex probabilioribus etiam Hiſtoriis diſcimus *Migrationem Gentium,* & *Colonias* deductas, unde cæteræ Gentes ab Orientalibus ortæ intelliguntur, ac terra paullatim incolis repleta.

27. Sic & *Artes,* quibus Vita hominum indiget, ac redditur ſuavior & commodior, paullatim inventæ. Nec enim genus humanum, ſi ab æterno exſtitiſſet, iis tamdiu carere potuiſſet.

28. Objicitur adverſus hoc ratiocinium; Genus humanum, Monumenta Antiquitatis, Populos,

Populos, Artes, *diluviis* aliisque univerſalibus calamitatibus periiſſe.

29. Reſpondemus: I. Diluvia aliasque univerſales calamitates nullis probabilibus Hiſtoriis commemorari, ſi excipias illud, de quo Hiſtoria Sacra teſtatur. Atqui hoc confirmat potius Dei exiſtentiam, quam ut ei obeſſe poſſit.

30. II. Si tales fuiſſent univerſales per totam terram calamitates, aut omnes ſimul periiſſent homines aut aliqui ſuperfuiſſent. Si prius; unde orti poſtea? Si poſterius; Cur nulla ejus mali conſervata memoria?

31. Alii concedunt quidem, Mundum initium habere, ſed negant cauſſam. Dicunt enim Materiam Mundi æternam, & in æterno motu conſtitutam fuiſſe. Inde tandem *caſu* ortum hûnc Mundum.

32. Sed quomodo *caſus* rem bene ordinatam producere potuerit? 1. Caſus eſt non Ens, ſ. Nihilum. Atqui a Nihilo Nihil producitur. 2. Repugnat omnium rerum ad certos fines ordinatio & apta conformatio.

33. DEVM exiſtere omnes ſemper Gentes crediderunt, iis exceptis, quæ ab omni cultu & humanitate remotæ ſunt.

34. *Conſenſus* iſte *Gentium* vel ab ipſius rei *Evidentia*, vel a *Naturæ* quodam *Inſtinctu*, vel ab antiquiſſima *Traditione* eſt.

35. Undecunque ſit, rem illam, de qua tantus eſt conſenſus, veram eſſe demonſtrat.

36. Eadem eſt *Conſcientiæ* vis & origo, ut homo

homo alia *bona*, & præmio Numinis digna; alia *mala*, & indignationem ejuſdem provocantia credat.

37. Non hæc ab educatione ac inſtitutione proficiſci potuiſſent, niſi fundamenta firmiora, de quibus §. 34. haberent.

38. Minime certe *aſtus politicorum* eum conſenſum producere, ſed tantum ad ſuos fines eo uti potuit.

39. Non *primus in Orbe Deos fecit Timor:* Sed certa de Numinis exiſtentia perſuaſio in aliis ſuperſtitionem, in aliis legitimum & juſtum ejus reſpectum produxit.

40. Omnes enim Sapientes facile intellexerunt, maximam eſſe *Religionis*, quæ Numinis reſpectu continetur, vim & efficaciam, ad hominum Societatem conſtituendam.

41. *Atheiſmus* e contrario, Religioni oppoſitus vinculum inter homines ſolvit, dum illam de Exiſtentia Numinis perſuaſionem tollit.

42. Eſt ergo Religio utiliſſima Generi humano; Atheiſmus nocentiſſimus.

43 Atheiſmus non ex rei difficultate, de qua agitur; ſed ex pravis hominum Cupiditatibus, aut ex ſocordia, aut ex Conſcientiæ morſibus oritur.

44. Cavetur Atheiſmus præjudiciorum & pravorum adfectuum abjectione, ſedula rerum conſideratione, & ad Conſcientiæ dictamen attentione.

CAP. II.

CAP. II. *de Attributis Dei.*

45. *Attributa Dei*, ſeu *Perfectiones*, pro noſtro concipiendi modo multæ, re ipſa una tantum eſt Perfectio, ob quam DEVS dicitur *Ens perfectiſſimum.*

46. Eſt autem Ens perfectiſſimum illud, quod omnia illa Attributa poſſidet, quæ ad hoc requiruntur, ut ſit Cauſſa omnium reliquorum Entium. Quapropter ex hoc principio videntur omnia illa Attributa derivanda & demonſtranda eſſe.

47. Primum neceſſe eſt, ut omnium rerum Cauſſa ſit *æterna.* Eſt autem æternitas exiſtentia initio & fine carens.

48. DEVS caret initio exiſtentiæ, quia alias haberet cauſſam, nec ipſe omnium Entium cauſſa eſſe poſſet §. 21.

49. DEVS non habebit finem exiſtentiæ. Nam id quod habet finem vel ipſum ſe deſtruit, vel ab alio deſtruitur. Neutrum dici poteſt, quia utrumque eſt contradictorium.

50. Cauſſa omnis prior eſt ſuo opere; omnes autem res, adeoque Mundus univerſus eſt opus DEI §. 20 Oportet ergo, ut DEVS ſit prior Mundo, quæ eſt ipſa *Aeternitas.*

51. Niſi DEVS ab æterno eſſet, tum Nihil eſſet æternum, & in æternum Nihil factum fuiſſet, quia a Nihilo Nihil fit. §. 21. Atqui Mundus factus eſt; ergo DEVS tamquam auctor Mundi ab æterno fuit.

52. DEVS

52. DEVS eſt *a ſe*, id eſt, nullum habet ſuæ Exiſtentiæ auctorem, quia ipſe omnium Entium cauſſa eſt.

53. DEVS eſt *Ens neceſſarium*, quia rationem ſuæ exiſtentiæ in ſe ipſo habet.

54. DEVS eſt *Ens immutabile*, quia nulla poteſt cogitari mutationis ratio nec in Deo, nec extra DEVM.

55. DEVS eſt *independens*, quia eſt a ſe, neceſſarius & immutabilis. Quod enim ab alio Ente pendet, tale non poteſt eſſe.

56. DEVS eſt *Immenſus*, ſ. *Infinitus* & *ubique præſens*. Nulla enim poteſt eſſe res, quæ omnium rerum cauſſam comprehendere & limitibus includere queat.

57. Colligitur etiam *Omnipræſentia* ex eo, qnod DEVS eſt Ens neceſſarium §. 53. Neceſſarium non poteſt non eſſe, adeoque nullus datur Locus, in quo non ſit.

58. DEVS eſt *Unus*, ſ. *Unicus*. Unitas DEI æque certa eſt, ac Exiſtentia. Quod enim eſt omnium aliorum Entium cauſſa, id unicum eſſe debet.

59. Idem conſequitur ex omnimoda DEI perfectione, quæ plura non admittit. Nec Ens neceſſarium poteſt eſſe niſi unum. Cum enim id ſit cauſſa omnium aliorum Entium, plura non ſunt neceſſaria.

60. *Polytheiſmus*, ſive opinio de plurium Deorum exiſtentia contradictionem involvit. Aut enim plures Dii ſunt æquales aut inæquales. Æquales non poſſunt eſſe, quia immen-

immmenſus §. 56. non habet aqualem. Inæquales vero non ſunt immenſi.

61. Si plures eſſent Dii, unus eſſet alterius cauſa: ſed DEUS eſt omnium rerum cauſa. Ergo Deus, cujus eſſet alius Deus cauſa, eſt contradictio.

62. DEUS eſt *Ens intelligens*, ſ. intellectu & Voluntate præditum. Nam cauſa univerſi Mundi, in qua 1. omnium rerum ad certos fines apta conformatio; 2. Entia complura intelligentia deprehenduntur, non poteſt eſſe ſine intellectu & voluntate.

63. *Intellectus* eſt facultas ſibi repræſentandi res quaſcunque tam in ſe quam extra ſe exiſtentes ac poſſibiles. *Voluntas* eſt facultas agenda & non agenda determinandi.

64. Quodcunque Ens omnia & repræſentare ſibi, & determinare poteſt, illud eſt *perfecte liberum*. Quare DEO Libertas, & quidem perfecta tribuitur.

65. Eſt ergo *perfecta Libertas* illa, quæ nec in repræſentationibus ſuis, nec in determinationibus, ab ullo alio Ente limitatur aut impeditur.

66. Quoniam Deus eſt immenſus §. 56. etiam Intellectus ejus eſt immenſus. Hoc attributum Dei appellatur *Omniſcientia*, quæ non præſentia ſolum & præterita, ſed & futura comprehendit, hocque reſpectu dicitur *Præſcientia*.

67. Quia vero futura ſunt alia neceſſaria, alia libera, ob diverſam Entium, a quibus agun-

aguntur, naturam; hinc DEVS neceſſaria & contingentia futura præſcit.

68. Per Voluntatem ſuam DEVS omnia agenda aut non agenda determinavit §. 63. Nihil ergo fit, niſi per Voluntatem DEI.

69. Quia vero non omnia in Mundo neceſſaria, ſed multa contingentia ſunt ac libera §. 67. Hinc intelligitur Voluntatem DEI non omnia *efficere*, ſed nonnulla tantum *permittere*.

70. Rem *efficere*, eſt rem quamcunque ad agendum permovere. *Permittere* vero eſt rem intellectu & voluntate præditam in agendo haud impedire, ſeu facultatem agendi non auferre.

71. Facultas omnia pro Voluntate ſua efficiendi aut impediendi, vocatur *Omnipotentia.* Eſt ergo & hoc Attributum in DEO.

72. Cum DEVS omnes res poſſibiles ſibi repræſentet, §. 63. intelligit etiam rerum omnium inter ſe relationes. Cumque has Relationes DEVS cum ipſis rebus produxerit, etiam ad ſuos fines coordinavit. Hæc autem appellatur *Sapientia*; Ergo Deo quoque attribuenda *ſumma Sapientia.*

73. *Bonitas* eſt Voluntatis Virtus, qua Ens intelligens tantum boni in alia Entia confert, quantum illis conferri poteſt. Deus autem ſicut eſt cauſſa omnium Entium §. 10. ita & cauſſa eſt omnis boni, quod in illis eſt. Propterea dicitur *ſumma* ejus *Bonitas.*

74. Nullo ſuorum Attributorum Deus

utitur, niſi prout ceteris quoque Attributis convenit, alias DEVS ſibi repugnaret. Hinc ergo & Bonitatem ita exercet, ut Sapientiæ ſuæ convenit. Iſtud Attributum vocatur *Juſtitia Dei.*

75. *Juſtitia* in diſtribuendis aut ſubtrahendis bonis conſiſtit, ſeu in ſapiente bonorum diſpenſatione. Cum ergo nec Bonitas, nec Sapientia a Natura Dei ſejungi poſſint, ſequitur *Juſtitiam*, æque ac reliqua Attributa, *DEO eſſe eſſentialem.*

76. *Arbitrarium* eſt id, ad quod Ens per ſua eſſentialia attributa non determinatur. Ad Juſtitiam vero exercendam DEVS per eſſentialia Attributa determinatur; adeoque Juſtitiam exercere aut non exercere in DEO haud eſt arbitrarium.

CAP. III. *De Providentia Dei.*

77. Qui omnibus Entibus exiſtentiam dedit, ille ſicut dare ab initio, aut non dare poterat, ſic eamdem & diutius concedere & adimere poteſt. DEVS ergo iſtud in ſua habet poteſtate.

78. Quapropter ſicut omne, quod eſt, per DEI voluntatem eſſe cœpit, ita idem, quamdiu pergit eſſe, a Deo habet, ut eſſe pergat.

79. Efficere ut res, quæ eſt, pergat eſſe, eſt rem *conſervare.* Ergo DEVS omnia, quæ ſunt, *conſervat.*

80. Omnia

80. Omnia quæcunque agunt, nonniſi ea agunt, quæ Deus aut efficere aut permittere vult. §. 68. DEVS autem in omnibus rebus finem ſibi proponit, adeoque omnia ad finem ſuum dirigit. §. 72.

81. Rem quamcunque ad certum finem dirigere dicitur eam *gubernare*. Ergo *DEVS omnia gubernat.*

82. Conſervatio & Gubernatio omnium rerum ſunt duo Actus DEI, qui conſtituunt ejus *Providentiam*. Unde conſequitur, quod detur *Providentia Dei.*

83. Providentia Dei *ad omnïa* ſe extendit. Nihil enim excipitur, quod non cauſſam exiſtentiæ ſuæ in Deo habeat, & cujus non actiones in ejus poteſtate ſint.

84. Illa facit, ut Ordo ille concinnus & mirabilis omnium rerum tam naturalium quam moralium ſ. liberarum absque interruptione & confuſione ſubſiſtere pergat.

85. Quoniam vero res naturales aliis Legibus, phyſicis ſcilicet & mechanicis, & conſervantur & gubernantur; Res vero morales ſeu liberæ, Legibus moralibus; hinc & DEVS, qui utriusque generis Legum auctor æque eſt ac ipſarum rerum, unumquodque genus rerum ſuo modo & ſervat & regit.

86. Leges phyſicæ ac mechanicæ ipſis ſunt Corporibus inſitæ; morales vero intellectui Entium intelligentium propoſitæ, ſecundum quas per repræſentationes relationum, quas tum res inter ſe, tum reſpectu Dei habent, voluntates determinentur.

87. Quæ videntur in Mundo eſſe aut evenire Sapientiæ, Bonitati, Juſtitiæ DEI contraria, eo tantum talia videntur, quoniam eorum rationes nobis ſunt ignotæ.

88. Qui ergo ſapiunt, illi haud temere judicant, ſed tantiſper judicium ſuſpendunt, donec major nobis lux adferatur; ne ſapientiam infinitam ingenii noſtri modulo metiri videamur.

89. Id enim pro certo nos habere oportet, quidquid eveniat, qualecunque nobis eſſe videatur, id ex divinæ Sapientiæ præſcripto evenire, nec quidquam niſi optimum a DEO productum eſſe.

90. Nihil eſt tam *parvum* aut vile, quod dignum fuit divina Virtute, ut produceretur, quod non eadem dignum ſit, ut Providentia DEI comprehendatur.

91. Ea, quæ dicuntur, *Fortuita*, non minus ac cetera Providentiæ ſubſunt, ſuntque haud in ſe, ſed noſtri reſpectu fortuita, quoniam cauſſas ignoramus.

92. Providentia Dei non ſic immutat Actionum humanarum naturam, ut ex moralibus ſeu liberis neceſſariæ reddantur, quoniam illæ non ex phyſicis, ſed moralibus Legibus & producuntur & reguntur §. 85.

CAP. IV. *De Actionum humanarum Diſcrimine morali.*

93. Eſt autem *Libertas* Attributum Entis intelli-

telligentis ſeu rationalis, quo efficitur, ut ipſum illud Ens ſuarum actionum cauſſa ſit, ac ratio ab illo repeti queat.

94. Conſiſtit autem *Libertas* in potentia agendi vel non agendi, & inter plura objecta eligendi, quæ inde oritur, ſi intellectus ea una cum rationibus ſuis repræſentet, voluntatemque determinet.

95. Libertate hominem gaudere conſtat 1. ex eo, quod eſt Ens intelligens, præditus intellectu & voluntate, de quo experientia nos certos facit.

96. Probatur 2. quod nulla eſt actio, quam homo vel edit, vel omittit, quam non ipſe ſentiat, ſe non edere vel non omittere poſſe, nec ullam ſibi adeſſe agendi vel omittendi neceſſitatem.

97. Probatur 3. ex ipſa Actionum natura, quæ minime neceſſariæ, ſed contingentes eſſe deprehenduntur; adeoque potuerunt & evenire & non evenire, ſicque aut aliter evenire.

98. Ut ergo libera ſit Actio adeſſe debet 1. Intellectus, qui eam repræſentet, atque rationes vel agendi, vel non agendi proponat. 2. Voluntas, quæ hominem ad agendum vel non agendum moveat. Hic ſtatus hominis appellatur *Spontaneitas.*

99. Oppoſita ſpontaneitati eſt 1. *Coactio*, ubi homo cognoſcit quidem, quid agat; ſed per vim majorem ad agendum adigitur, vel in agendo impeditur.

100. Oppoſitus eidem 2. ille ſtatus, quo Intellectus penitus eſt *obnubilatus*, qualis eſt amentium & reliquorum, qui mentis compotes haud ſunt.

101. Ad libertatem requiritur porro, ut & ipſa res ita comparata ſit, ut & fieri & non fieri poſſit; & hominis facultates ad utrumque ſufficiant. Hanc vocamus Actionum *Indifferentiam.*

102. In utroque ſtatu, ſpontaneitatis & Indifferentiæ, homo per rationes fortiores ad agendum vel non agendum determinatur. Cum vero in æquilibrio eſt animus, poteſt actionem ſuſpendere, aut leviſſimo quoque accedente momento in alterutram partem determinare.

103. Non eſt ergo Libertati Entium intelligentium contrarium, ſi vel fortiſſima adſint *Motiva*, i. e. agendi vel non agendi rationes: Sed hoc eſt maxime in Libertate notandum, quod nonniſi ob motiva agat, aut actiones omittat.

104. *Intellectus dictamen* ultimum determinat Voluntatem, quoniam Voluntas id ſequitur: ſed hoc ipſum Libertatem indicat & conſtituit.

105 *Præſcientia futurorum*, quæ in DEO eſt. § 66. non tollit Libertatem Entium intelligentium, quia non tollit eventuum contingentiam, nec ullam infert neceſſitatem: ibid.

106. In DEO conſtituit eventuum certitudinem, ipſam vero eventuum naturam non mutat,

tat, nec illa eſt cauſſa eorum quæ eveniunt, ſed voluntas Entis rationalis.

107. Libertas actionum humanarum facit, ut ab eo rationes earum repeti poſſint; hoc appellamus *Imputationem.*

108. Cum omnes res habeant inter ſe & cum DEO, tanquam primo omnium Auctore, certam quandam Relationem §. 72. hinc fit, ut aliæ *Bonæ* dicantur actiones, aliæ *Malæ.*

109. *Bonæ* ſunt, quæ Relationi a DEO ab initio conſtitutæ, inter ipſum & entia reliqua ſunt conformes; *malæ* vero quæ ei contrariæ.

110. Hoc ipſum eſt, quod conſtituit *Leges naturales*, quæ ſunt illæ veritates, quibus indicatur, quænam ſint bonæ, quænam malæ actiones.

111. *Naturales* dicuntur, quia in rerum Natura fundantur, ac ſolis etiam Naturæ facultatibus cognoſci poſſunt. *Leges* vero, quia Normam præbent, ad quam actiones componi & de iis judicari debeat.

112. Ea, quæ naturali Lege præſcribuntur ſeu agenda ſeu omittenda, & omnes actionum per eam conformationes dicuntur Officia hominis,eaque triplicia, ob triplex eorum objectum, DEVM, Nos ipſos, & alios Homines.

113. In his conſiſtit id, quod vocamus *Religionem naturalem.* Eſt autem *Religio naturalis* ea Dei cognitio, isque Dei cultus, quem Theologia naturalis tradit. §. 3.

114. Unde conſequitur, *obligari* hominem

certa officia, ſic ut Deo gratum ſit ea obſervari, diſpliceat vero, ſi violentur.

115. Fundamentum hujus obligationis eſt, quod Homo a Deo & exiſtentiam ſuam acceperit, & Providentiæ ejus, cum omnibus aliis Entibus ſit obnoxius. §. 77.

116. Cum autem id fundamentum ſit immutabile, nec etiam Relationes rerum a Natura conſtitutæ immutari queant; colligitur *Leges Naturales eſſe immutabiles.*

117. Leges illæ Naturales conſtituunt *diſcrimen Actionum bonarum & malarum* §. 109. Adeoque hoc diſcrimen etiam *naturale* & *immutabile* dici poteſt. Non eſt ergo *Arbitrarium* ſ. varietati obnoxium.

118. Arbitrarium Deo eſt, ad quod ſuis Attributis non determinatur. Atqui ad ea probanda, quæ ſunt relationibus rerum conformia per ſua attributa determinatur. §. 72, 76. Itaque non ex *arbitrio*, ſed ex *natura rerum* conſtitutæ ſunt Leges naturales.

119. Non poteſt ergo Actio bona non bona eſſe, aut mala non mala; nec poteſt DEVS velle, ut id quod bonum aut malum eſt, tale non ſit.

120. Ratio; cur actiones tales ſint, ſive dicatur in *Rerum Natura*, ſive in *Voluntate DEI* eſſe, perinde eſt, quia Natura rerum per Voluntatem DEI conſtituta eſt, §. 68. & Voluntas Dei nunquam non rerum Naturæ conformis eſt. §. 74.

121. *Juſtum* dicitur in actionibus hominum, quod

quod alter alteri debet, ſecundum Relationes, in quibus ejus reſpectu poſitus eſt. Contrarium ejus eſt *injuſtum.* Inde liquet omne juſtum eſſe bonum, & omne injuſtum malum, §. 109.

122. Sicut ergo boni & mali, ita & juſti ac injuſti differentia eſſentialis ac immutabilis eſt: eaque dicitur actionum *Moralitas.*

123. Non ergo ab ulla hominum conſtitutione moralitas pendet, ſed ab ipſa rerum Natura & DEI Voluntate.

124. Regulæ, differentiam boni & mali moralis, juſti & injuſti declarantes, ſunt *Leges divinæ*, quia Deum habent auctorem.

125. Qui Leges divinas obſervat, bene agit. Habitus bene agendi eſt *Virtus.* Qui easdem negligit, aut contrarium agit, *peccat;* & habitus peccandi *Vitium* dicitur.

126. Sequitur ergo *Virtuti ſtudendum*, ſeu operam dandam eſſe, ut habitum bene agendi acquiramus. E contrario *Vitium fugiendum*, id eſt, cavendum, ne habitum peccandi contrahamus.

127. Virtuti ſtudere homines Deo gratum eſt, diſplicet autem Vitium. Nec fieri poteſt, ut Deus non demonſtret homini, gratam ſibi eſſe Virtutem, ingratum vero vitium.

128. Ea demonſtratio non intellectui modo ſiſtitur, ſed & voluntatem adficit, conſiſtitque in eo, ut Virtutem bono quodam majore adficiat DEVS, quod dicimus *Remunerari;* Vitium vero boni privatione ac mali impoſitione compenſet, quod appellatur *Punire.*

129. Hinc ergo *Præmia* bonarum Actionum, ac *Pœnæ* malarum emergunt, quibus adeo efficit DEVS, ut homines ſentiant, Virtutem ſibi placere, Vitium diſplicere.

130. In hoc conſiſtit *Juſtitia*, ut Bonis præmia, malis pœnæ, & ita cuique ſuum tribuatur. Nam hoc requirit Sapientia Dei, ut convenienter agat Relationibus rerum §. 74. Unde emergit Juſtitia §. 75. Relatio autem eorum, qui Virtuti ſtudent, contraria prorſus ei eſt, quam habent vitioſi. Non poteſt ergo tantundem boni his tribuere, quantum illis. Hinc illos *remuneratur*, hos *punit*. §. 128.

131. Quemadmodum autem homo ratione cognoſcit, quænum ſint ſua officia; §. 111. Sic eadem ratione intelligere poteſt, Bonis præmia, Malis pœnas inſtare. Hæ dicuntur *Promiſſiones* & *Comminationes* Legis naturalis, quibus ea ſancitur.

132. Hæ ſanctiones ſunt ratio illa, qua Ens intelligens ad agendum vel omittendum impellitur. Hoc vocatur *Motivum.* Habet ergo Lex naturalis ſua *Motiva*, quæ vim ſuam inde ducunt, quod homo Bonum ſ. Felicitatem deſiderat, a Malo autem ſeu Miſeria abhorret.

CAP. V. *de Immortalitate Animarum.*

133. Nexus ille inter Bonum Malumque morale, & præmia ac pœnas, eſt neceſſarius, quia Juſtitiæ divinæ exercitium eſt neceſſarium §. 75, 76. Sunt ergo hæ illius Sequelæ; nec tamen apud omnes in hac Vita ſequuntur.

Vide-

Videmus enim multos malos homines iisdem bonis frui, quibus fruuntur Boni, ac vice verſa hos iisdem malis adfligi, quibus illi adfliguntur

134. Sequitur inde, aliud *poſt hanc vitam* tempus eſſe, quo Juſtitiæ divinæ plena fiat executio.

135. Sed Corpus hominis poſt hanc vitam, quantum Ratio & experientia docet, nec Præmii nec Pœnæ eſt capax. Oportet ergo, ut præter Corpus alia ſit Hominis pars, in quam ea cadant. Hanc vocamus *Animam.*

136. Hanc a Corpore diſtinctam, ſeu diverſæ ab eo naturæ, jam hinc diſcitur, quod ſenſus & perceptionis capax ſit poſt ipſius Corporis, cui per hanc vitam unita fuit, deſtructionem. Ea dicitur *Animæ Vita*, & *Vita altera.*

137. Eam Animæ humanæ competere, licet a Corpore ſejuncta ſit, conſtat etiam ex illius Natura, quam ex facultatibus & operationibus Animæ colligimus. Hæ uno nomine Cogitationis comprehenduntur.

138. *Cogitatio* nullum habet nexum cum ullo Corporis ſeu Materiæ attributo, ſed potius ab omnibus, quæcunque de Corpore cognoſcuntur, aliena eſt. Ea ergo Subſtantia, quæ facultatem cogitandi habet, Spiritus dicitur.

139. Dari Spiritus æque certum eſt, ac dari Entia cogitantia. Nec objici vere poteſt Deum ſua omnipotentia materiam ita conformare poſſe, ut habeat cogitandi facultatem. Talis enim materia non eſſet materia, ſed Spiritus; quod eſt contradictorium.

140. Quum

140. Quum Cogitatio ſit actio quædam interna Animæ, quam ipſa in ſe excitat, ac, quoties vult, excitare poteſt, eo certius eſt, Animam non eſſe materialem. Nam Materia non poteſt in ſe ipſa Motum ſeu Actionem excitare; propptereaque tribuitur illi *Inertia*, ut non poſſit moveri, niſi ab alio.

141. Sententia de *Immortalitate Animæ* æque antiqua & univerſalis eſt, ac ſententia de Exiſtentia Dei.

142. Nec vanum eſſe videtur univerſale illud hominum deſiderium immortalitatis, ac vis conſcientiæ, poſt hanc vitam vel præmia vel pœnas portendens.

143. Nec denique probabile eſt, homines ad breve tantum iſtius Vitæ tempus productos eſſe, cum Deum in æternum glorificari a Creatura nobiliſſima conveniat.

CAP. VI. *de Neceſſitate divinæ Revelationis.*

144. Ex Veritatum hactenus propoſitarum compage conſiſtit *Religio*, §. 113. Eaque *vera*, quia ex Vero nonniſi Verum oritur. Sed cum varii ſint variorum hominum de DEO ſenſus, variique Cultus, ſequitur varias quoque eſſe Religiones.

145. Non poteſt eſſe, niſi *unica vera Religio.* Nulla enim eſt vera præter illam, quæ ex Veritatibus antea traditis exſurgit.

146. Ceteræ ergo, quæ illis Veritatibus vel omnibus, vel aliquibus repugnant, ſunt *falſæ Religiones.*

147. Nec

147. Nec ulla Religio, niſi vera, DEO placere poteſt. DEUS enim per ſuam perfectionem nonniſi verum probat, falſum vero rejicit.

148. Cum ergo exſtiterint in orbe terrarum *Gentiles*, *Mohammedani*, *Judæi*, & *Chriſtiani*, inquiri debet, apud quos ex iſtis vera Religio deprehendatur.

149. *Falluntur enim, qui exiſtimant, parum intereſſe, quam Religionem ſequaris;* dummodo illa nobis commoda ſit, aut Principi, cujus imperio ſubjecti ſumus, placeat.

150. Qui *indifferentes* putat eſſe Religiones, ille nullam habet pro vera, nec multum ab Atheo differt.

151. Eodem & illi pertinent, qui aliam ſe *publice* profiteri, aliam *in animo* fovere ſe poſſe exiſtimant. Hi enim eam, quam profitentur, pro falſa habent, & tamen eam pro vera ſe habere ſimulant; qui ſunt *mendaces*, ac *Hypocritæ.*

152. Ergo *vera Religio* indaganda, animo recipienda, & ore atque factis indicanda eſt.

153. Ut veram Religionem indagare poſſimus, opus eſt, ut illarum, quæ ſunt, Religionum notitiam acquiramus, ſingulasque ad illas, quæ antea poſitæ, veritates examinemus.

154. *Gentilium* Religio ea eſt, quæ plures agnoſcit & colit Deos; eaque ex Luminis Naturalis & vetuſtæ Traditionis corruptione nata eſt, & falſis Oraculis Principum Virorum ac Sacerdotum aſtu confirmata.

155.

155. Non poteſt ergo vera eſſe, cum in multis partibus cum Religione naturali, quam recta Ratio ſola informat, pugnare deprehendatur.

156. Quænam ſit vera inter tres reliquas Religiones, *Mohammedanam*, *Judaicam* & *Chriſtianam* tum ex collatione earum cum Religione naturali, tum ex *divinæ Revelationis*, quam omnes jactant, examine intelligi poteſt.

157. *Revelatio divina* eſt modus, quo Deus partim veritates, Natura notas, clariores ac certiores facit, partim alias, Natura ignotas & imperveſtigabiles, certis hominibus immediate, aliis per hos mediate, cognoſcendas præbet.

158. Creditum eſt ab omni ævo, talem Revelationem eſſe *neceſſariam*, ob defectus Religionis ac Theologiæ Naturalis. §. 7.

159. Naturalis Religionis *defectus præcipuus* ille eſt, quod *Medium verum* ac certum non indicat, quo Peccator, ſeu homo, qui multis in rebus Leges Naturæ violavit, ac ſemper ad earum violationem proclivis eſt, cum DEO *reconciliari*, & ſalutis, qua excidit, compos fieri poteſt.

160. Experientia enim monſtrat, homines peccaſſe omnes, ac ſæpius peccare. Ratio docet, peccatorem felicitatem veram conſequi non poſſe §. 131. Aut ergo pereundum omnibus, aut Medium aliquod reconciliationis cum DEO inveniendum eſt.

161.

161. Ratio illud invenire haud poteſt. Nihil enim aliud docet, quam faciendum eſſe officium; ſi vero id neglectum fuerit, Deum neceſſario pœnas inflicturum §. 133. Ergo aut *pereundum*, aut *medium* aliquod Juſtitiæ divinæ aliter ſatisfaciendi inveniendum.

162. Quodnam illud Medium ſit poteſt DEUS hominibus patefacere. Hæc dicitur *Revelationis divinæ poſſibilitas.* Cum enim DEUS Mentem hominis, ſicut & cetera omnia, produxerit, adeoque in poteſtate ſemper habeat; cur non poſſit in ea cogitationes, quascunque velit, excitare? Idque non tantum ope Ratiocinii naturalis, ſed & per immediatam Revelationem, quæ dicitur *Inſpiratio.*

163. Si ergo poteſt cognitionem talium veritatum hominibus inſpirare, poteſt eosdem ita commovere, ut alios de iis doceant, ſive id oratione ſeu ſcriptis fiat. Poteſt etiam eos in loquendo & ſcribendo ita dirigere, ut revelatas ſibi veritates ſincere & absque ullo errore tradant.

164. Si hæc poteſt DEUS; quæritur an fecerit? Aiunt hoc, ut *Gentilium* vates & Oracula taceamus, *Mohammedani*, *Judæi* & *Chriſtiani* §. 156. Ea tamen, quæ iſti, ut a Deo revelata tradunt, multis modis inter ſe diſcrepant, & alia ab aliis damnantur.

165. Non poſſunt ergo omnia vere a Deo proficiſci. Sic enim ille ſibi ac *Veritati* repugnaret, nullaque eſſet convenientia Re-

Rerum, quod repugnat Dei ſapientiæ, Bonitati & Juſtitiæ §. 72-74.

CAP. VII. *De Veritate Chriſtianæ Religionis.*

166. Verum a Falſo diſcerni non poteſt, niſi quibusdam *Characteribus* ſeu *Criteriis*, quod ex Principiis Logicis conſtat. Oportet ergo, ut inquiramus, quænam ſint *Criteria veræ Revelationis*, ut eam, quæ a DEO profecta ſit, ab iis diſtinquamus, quæ nonniſi pravorum Entium aſtutia excogitavit.

167. Character I. eſt: *Vera Revelatio cum Ratione non pugnat*, id eſt, non contradicit certis & evidentibus ejus principiis. Tum enim falſum eſt, quicquid ſub nomine divinæ Revelationis jactatur.

168. Cavendum interim, ne vel *præjudicia* vel *νοήματα τῆς σαρκὸς*, *ſenſus carnis*, ſ. pravos adfectus, pro Ratione accipiamus, aut ea, quæ Rationis humanæ *captum* ſuperant, pro Contradictoriis habeamus.

169. Character II. *Vera Revelatio continere debet quædam, quæ ſolo Lumine Naturæ cognoſci non poſſunt.* Si enim ſola ea contineret, quæ Lumen Naturæ monſtrat, tum non eſſet neceſſaria.

170. Character III. *Revelatio non continet contradictoria*, ut uno in loco quæ afferuntur, in alio haud negentur. Contradictoria enim vera eſſe, aut a DEO proficiſci, non poſſunt.

171.

171. Character IV. *Revelatio divina debet continere Doctrinam omnibus aliis præſtantiorem.* Si hoc non eſſet, tum nulla eſſet inter divinam & humanam doctrinam differentia, quod a ratione abhorret.

172. Character V. *Oportet ut illi, qui divinam Revelationem tradunt*, ſeu primi ejus auctores & præcones, *habeant quædam externa divinæ ſuæ miſſionis argumenta*, quibus illam aliis comprobare valeant. Non enim ſufficerent Characteres priores, ſi hic deeſſet.

173. Iſtud ſic demonſtratur. Quod cum Ratione non pugnat, §. 168. nec ſecum ipſo §. 170. id intelligitur ex ſolo Lumine Naturali proficiſci poſſe. Ergo non opus eſt, ut id a DEO reveletur. Porro, doctrina aliis doctrinis præſtantior §. 171. etiam inter humanas diſciplinas invenitur, in quibus ſæpe fit, ut una alteram ſuperet. Tandem ea, quæ ſolo Lumine Naturæ cognoſci non poſſunt §. 169. credi non debent, niſi argumentis ſolidis divina eorum origo conprobetur §. 172. Alias enim ſine ulla ratione admitterentur, quod eſt abſurdum.

174. Externa illa divinæ Miſſionis argumenta evidentiſſima ſunt *Miracula & Prophetiæ*, quippe quæ nonniſi DEVM poſſunt habere auctorem.

175. *Miracula* ſunt Actiones hominum & Naturæ vires ſuperantes, adeoque extraordinariæ & inſolitæ, Fund. Theol. XIX. 8

176. Quouſque *Natura vires* ſe extendant,

 ignora-

ignoramus. Nullis tamen Legibus aut Motibus naturalibus fieri poſſe certum eſt, ut ægrotus dicto aut tactu ſanetur; ut cœcus viſum, aut mortuus vitam recuperet; ut aquæ momento temporis ita dividantur, ut tutum ingenti Populo tranſitum præbeant &c.

177. Oportet interim, ut *Miracula* ab Impoſtorum *artificiis*, quæ incautorum admirationem excitant, evidenter diſtingui poſſint. Id enim niſi fieret, haud poſſent eſſe Miracula divinæ originis argumenta.

178. Miraculum ab Artificio humano diſtinguitur 1. *Magnitudine.* Fieri enim non poteſt, ut homo tantum perficiat opus, quantum DEVS; id quod per ſe patet.

179. Secundo; *Varietate.* Nam Ars humana nonniſi pauca & uniformia efficere poteſt, quæ alios ignaros artificii in admirationem rapiant. DEVS autem cum ſit omnipotens, innumera, circumſtantiis omnibus a ſe diverſa, efficiet, ſi velit.

180. Tertio *Duratione*, dum tempore longiore continuentur, & ipſe effectus miraculorum diutius perſiſtat. Sic fortaſſis artificium humanum oculos ſpectantium perſtringere, & momentanea quadam repræſentatione deludere poſſit; non poſſit autem efficere; ut res diutius duret, ac ſatis explorari poſſit.

181. Quarto; *Uſu* ac *Fine.* Quæcunque enim a DEO proficiſcuntur, non poſſunt non eo digna eſſe, ac ad ejus Perfectionum mani-

manifeſtationem, quam Gloriam Numinis dicimus, & Generis humani veram felicitatem tendere.

182. Porro oportet, ut de Miraculis *hiſtoricam* habeamus *certitudinem*, & ita cognoſcamus, ea *vere facta* eſſe. Falſæ enim aut incertæ relationes nonniſi ad incautos decipiendos adaptatæ ſunt.

183. Hiſtorica certitudo in *Rebus facti*, ſeu in Eventibus, non ratiocinio, ſed *Teſtimonio* conſtituitur, quod ſi *fide dignum* eſt, ita ut ei ſine evidenti erroris periculo acquieſcere poſſimus, omnem eximit nobis dubitationem.

184. Teſtis eſt vel *Amicus*, vel *Inimicus*, vel *neutrius Generis*. Hi ſunt fide digniſſimi omnium, quia omnes amoris & odii cauſſas procul habent. Amicorum Teſtimonia ſeverius examinanda. Inimici vero, ſi vi veritatis victi idem aſſeverent, maximum adferunt momentum.

185. Primum omnium, quod in *Teſte* requiritur, ut poſſit eſſe *fide dignus*, eſt, ut conſtet, eum rei, de qua agitur, *cognitionem habere potuiſſe*, quod cum ex ipſius rei natura, tum ex Teſtis ipſius conditione & ſtatu intelligitur.

186. Secundo opus eſt, ut de ejus *voluntate* in ea re, quam refert, verum dicendi conſtet. Id ex eo colligitur, ſi ſit Vir bonus, veritatis ſtudioſus, & qui ex fraude nullum commodum ſperet, ſed potius infamiam

ac pœnam metuat. Certiſſimum vero illud tum erit, ſi ex Teſtimonio dicto incommoda potius ſibi eventura haud ignoret, neque tamen eo ſecius in propoſito perſeveret.

187. Fieri autem poteſt, ut Res ipſa, de qua Teſtimonium dicitur, ut tempus, locus, homines ita ſint comparati, ut *fallere Teſtes, etiamſi vellent, non poſſent.* Ita, ſi Res ſit omnibus nota, eoque referatur tempore, eoque loco, quo geſta eſſe dicitur, apud eos homines, qui aut interfuerunt, aut proximi fuerunt; non facile fraus ulla locum habere poteſt.

188. Accedit *multitudo* & *conſtantia Teſtium, efficacia* Teſtimonii, gravioribus quoque obſtaculis victis perſiſtens, & *eventus* ipſe veritatem Teſtimonii confirmans. Hoc enim pacto Rationi prorſus repugnat veritatem rei aut negare, aut de ea dubitare.

189. *Prophetiæ*, quod eſt alterum eorum Argumentorum, quibus divina Miſſio ejus, qui Revelationem adfert, comprobari debet §. 174. ſunt diſertæ prædictiones futurorum, libere & velut caſu, aut ita contingentium, ut nulla inter cauſſas & eventus connexio ab hominibus antea cognoſci potuerit. *Fund. Theol.* XX. 3.

190. *Prophetiæ a ſolo DEO proficiſci poſſunt.* Sunt enim talium eventuum prædictiones, quorum connexio cum ſuis cauſſis ab hominibus antea cognoſci non potuit, §. præced. Ergo a ſolo DEO.

191. Tales itaque Prophetiæ certitudinis atque divinæ originis *characteres* ſecum ferunt, ac illos, qui eas adferunt, nobis ut *DEI Legatos* ſiſtunt.

192. Quamvis autem de Prophetiarum certitudine præcipue per *eventum* edoceamur; poſſunt tamen & ante eventum aliquo modo certæ eſſe, ſi aut illi, qui res prædicunt, miraculo jam comprobaverint ſuam divinam miſſionem, aut aliis prædictionibus jam eventu comprobatis.

193. Characteres-iſtos veræ Revelationis nusquam, niſi in *Chriſtiana* inveniemus. Non ſane in *Mohammedana*; quæ a *Mohammede* inter Arabes paullo poſt initia Sæculi VII. a C. N. propoſita eſt, dum ſe *Legatum* DEI, & divina Oracula in *Alcorano* perſcripta ſe accepiſſe jactavit.

194. Nam 1. *Mohammedana Religio* talia continet, quæ rectæ Rationi ſunt oppoſita. 2. Non ſupplet defectum Religionis Naturalis §. 159. 3. Nulla exhibet argumenta, quibus aſſertum Mohammedis de divina ſua Legatione comprobetur §. 172. Conf. *Fund. Theol.* XVI. 3. 9. *H. Grotius* de V. R. C. Lib. VI.

195. Neque *Judæorum*, quales nunc inde ab origine Chriſtianæ Religionis ſunt, vera eſt Revelatio. Nam hi a doctrina Majorum ſuorum, qui a Dei Legatis edocti erant, in tantum defecerunt, ut præter nomen & pauca externa nihil retineant.

196. Ipſa etiam illa divina Revelatio, quam *Judæi* pro vera habent, promiſerat alium quendam DEI Legatum, quem *Meſſiam* & ipſi & Chriſtiani dicunt, qui Moſis & Prophetarum Oracula complere debeat. Inde quæſtio orta utrum iſte jam miſſus fuerit, an demum exſpectandus. Illud affirmant Chriſtiani, hoc Judæi. Cum ergo Chriſtiani & priorem illam Revelationem magis a Meſſia illuſtratam, & nova auctam credant; hinc non poſſunt in ea, quam Judæi recipiunt, acquieſcere. *Fund. Theol.* XVI. 10-12. *H.Grotius* de V. R. C. Libr. V.

197. *Chriſtianorum vero Revelationem veram ac divinam eſſe*, ſic probamus. Illud vere pro divino traditur, quod nec cum Ratione pugnat §. 167. & tamen continet quædam, quæ ſolo Lumine Naturæ non cognoſcuntur §. 169. nec ſibi ipſi contradicit §. 170. continet doctrinam aliis omnibus præſtantiorem §. 171. cujus denique præcones primi divinam ſuam Legationem Miraculis & Prophetiis comprobarunt §. 172. ſ.

198. *Chriſtianam* vero *Religionem*, ſ. Revelationem talem eſſe, quoad IV. priora Capita tum demum patere poterit, cum illa accuratius fuerit cognita. Iſtud ergo tantiſper differetur.

199. *Quintus* vero *Character*, *Argumenta* ſcilicet *externa divinæ Legationis*, jam nunc paucis demonſtrabuntur primis præconibus Chriſtianæ Religionis adfuiſſe; ſcil. Eos &

Mira-

Miraculis & Prophetiis ſuam divinam miſſionem comprobaſſe.

200. Conſtat inter omnes, Auctorem Chriſtianæ Religionis *Chriſtum* fuiſſe, de quo præter ejus Diſcipulos & eorum ſucceſſores, omnium reliquarum Religionum Scriptores teſtantur.

201. *Chriſtus* ſibi adjunxit præcipue XII. Viros, qui *Apoſtoli* dicti, ut & Ipſius factorum dictorumque teſtes eſſent, & poſt ejus a terris migrationem per omnem Orbem terrarum, quoad fieri poſſet, ejus doctrinam propagarent, alioſque etiam ſibi ſucceſſuros doctores conſtituerent. Id extra controverſiam poſitum demonſtratione haud indigere exiſtimamus.

202. Nam *Chriſtum* ejusque *Diſcipulos* certo tempore in Terris vixiſſe ac docuiſſe, æque certum eſt, ac ulla aliarum quarumcunque rerum geſtarum Hiſtoria §. 200.

203. *Miracula vero a Chriſto peracta* fuiſſe teſtantur & Amici & inimici & neutrius partis homines, qui teſtes ſi fide ſunt digni, nihil eſt, quod ulterius dubitetur §. 180.

204. *Amici* ſunt ii ex Chriſti Diſcipulis, qui Scriptis ſuis ad poſteros res geſtas & doctrinam Magiſtri ſui propagarunt, Evangeliorum ſcilicet ac Epiſtolarum quarundam Scriptores, quos Chriſtiani omnes communi conſenſu receperunt. De hujus opinionis & conſenſus cauſſis deinde ſuo loco agetur.

205. Hos autem *fide dignos Teſtes* eſſe ex eo patet, quod omnia ea in iis deprehenduntur, quæ ad ejuſcemodi Teſtes pertinent §. 185. ſ.

206. *Potuerunt* Diſcipuli Chriſti *habere accuratam* eorum, de quibus ſcribunt, *cognitionem.* Nam partim ipſi præſentes adfuerunt, partim ab aliis, qui adfuerunt, audiverunt. 1 Joh. I. 1. Luc. I. 1, 2. Act. I. 21, 22. IV. 20.

207. *Non potuerunt decipi*; quia fuerunt Viri ſapientes, haud creduli aut præjudiciis occupati, complures, & in omni genere malorum, quæ ipſis propter Teſtimonium perferenda erant, conſtantes, adeo ut multi ſanguine ſuo dictorum veritatem confirmarent. Conf. Hiſtoriæ &c.

208. Iidem & *voluerunt verum dicere Teſtimonium.* Nam 1. fuerunt Viri boni & veritatis amantes, nec ulla in Vita aut ſcriptis ſuſpicio fraudis locum invenit. 2. Ex fraude nullum nec Gloriæ, nec commodi fructum ſperare potuerunt. Ipſi commemorant, ſibi a Magiſtro mandatum Gloriæ contemtum, prædictam ignominiam & calamitates, quod & experientia quotidiana confirmabat.

209. Inter cetera *ſinceritatis* horum ſcriptorum *indicia* eminet narrationis ſimplicitas, nullis Rhetorum pigmentis ornata, non eorum modo, quæ ad laudem pertinent, ſed & illorum, quæ vituperantur, commemoratio, quales proprii nævi, qualia pro-

pria

pria peccata, Magiſtrique propterea ſeveræ reprehenſiones.

210. *Fallere alios*, etiamſi voluiſſent, *non potuerunt*, Non enim in longinquis regionibus ſuum dixerunt ſtatim teſtimonium; ſed in illis, in quibus res geſtæ dicebantur; apud eos homines, qui aut interfuerant, aut prope illos vivebant; qui rem & poterant explorare, & ex magna parte volebant, quoniam & Magiſtri & ipſorum erant adverſarii,

211. Hæc cum de univerſa, quam tradunt de ſe & de Magiſtro ſuo, Hiſtoria; tum imprimis de eo, quod fuit inter omnia ejus Miracula maximum, de *Reſurrectione* ſcil. ejus, vera ac certa ſunt: unde & Teſtimonii eorum fides ita confirmatur, ut nulla juſta dubitatio locum habeat. *Fund. Theol.* XXI. 48. ſ.

212. *Teſtimonia Inimicorum* ſunt 1. *Judæorum*, inter quos res ſunt geſtæ. Vid. Matth. XII. 24. Joh. V. 10. ſ. XI. 47. Marc. VI. 14. Act. XIX. 13. &c. Quapropter & multa millia Judæorum Chriſtianam Religionem amplexa. De *Talmudiſtarum* dictis huc pertinentibus tacemus. 2. *Mohammedanorum*, de quibus vid. *J. L. Frey Diſſ. de Sentent. Moh. de J. C.* 3. Gentilium ex quibus *Celſus* & *Julianus*. De illo vid. *Origenes*, de hoc *Cyrillus*.

213. Adde, quod nullus iſtorum Religionis Chriſtianæ Inimicorum fraudis accuſaverit Chriſti Apoſtolos, quod tamen & facile, & ipſis Adverſariis percommodum fuiſſet, ſi cum ulla probabilitate fieri potuiſſet.

214. *Neutri parti*, nec Chriſto, nec Inimicis ejus addictus fuiſſe videtur *Fl. Joſephus*, Judæus quidem, ſed nullo odio Chriſtianæ Religionis flagrans. Patet hoc cum ex eo, quod cum eo tempore viveret ac hiſtoriam ſcriberet, quibus omnes de rebus ad Chriſtum pertinentibus plurimum loquebantur, nihil contra ipſum aut Religionem ab ipſo ortam ſcripſit: tum inde, quod de *Jacobo*, uno ex illuſtrioribus Chriſtianorum Antiſtitibus optima quæque tradidit, *Ant. Jud.* XX. IX. I. *Ed. Havercamp*.

215. Illud vero eximium *Joſephi* de Chriſto teſtimonium, quod A. J. XVIII. III. 3. exſtat, cur multis ſuſpectum *νοθείας* videatur, non ſatis cauſſæ eſſe cenſeo, niſi Incredulitati nimium indulgere, & omnem iis, quæ Chriſtianæ Religioni favent, fidem detrahere velimus.

216. Teſtimoniorum iſtorum veritas ipſo *Eventu* comprobatur, & *ſequelis*, quas Miracula Chriſti habuerunt. Nam Chriſtiana Religio intra breve tempus & in Judæa ac vicinis Regionibus a plurimis recepta fuit, & apud remotiſſimas Gentes propagata, non aliis Mediis, quam Diſcipulorum Chriſti præconio, Miraculis ipſorum, Vitæ innocentia ac ſuppliciorum patientia confirmato.

217. Si ipſius Religionis Chriſtianæ naturam, ſi obſtacula propenſionum ac præjudiciorum humanorum, ſi vim potentum ei oppoſitam &c. conſideremus; illa ejus *pro-*

pagatio,

pagatio, ſi absque Miraculis facta eſſet, maximi omnium Miraculorum loco haberi deberet.

218. *Prophetiis* confirmatam Chriſti & Apoſtolorum auctoritatem intelligimus, cum in horum ſcriptis multa de ipſius Magiſtri paſſionibus, morte ac reſurrectione; de Diſcipulorum laboribus ac periculis; de Hieroſolymorum Excidio; de univerſali Religionis Chr. propagatione &c. futura prædicantur, quæ ipſe eventus comprobavit. Dicta vero illa & ſcripta ante fuiſſe, quam evenerint, ſuo loco docebitur.

CAP. VIII. *De Libris, quibus Religio Chriſt. continetur, ſ. de S. Scriptura.*

219. Cum enim præconium Diſcipulorum Chriſti diutius durare non poſſet, quam viverent; hinc *Scriptis* placuit DEO illius ſummam conſignare, atque ſic univerſæ poſteritati tradere §. 204. Hæc conſtituunt partem ejus Libri, quem Chriſtiani *Bibliorum* ſ. *Scripturæ Sacræ* nomine habent, ac Religionis ſuæ perpetuum ac certum documentum eſſe credunt.

220. Præter Scripta *Evangeliſtarum* & *Apoſtolorum* alia quoque ſunt *Moſis* & *Prophetarum*, quibus Liber iſte *Bibliorum*, ſ. *Scripturæ S.* conſtat. Unde diviſio ejus in *V.* & *N.* *Teſtamentum* oritur. *Veteris Teſtamenti* Libri ab omnibus Chriſtianis habentur ſequen-

ſequentes: Moſis V. ſeu Pentateuchus, Joſuæ, Judicum, Samuelis II. Regum II. Eſajas, Jeremias, Ezechiel, XII. Prophetæ minores, Pſalmi, Jobus, Proverbia, Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Eccleſiaſtes, Eſter, Daniel, Eſdras, Nehemias, Chronicorum II.

221. *Novi Teſtamenti* Libri ſunt Evangelia IV. Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis; Acta Ap. Pauli Apoſtoli Epiſtolæ XIV. ſcil. ad Romanos, Corinthios II. Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes II. Tim. II. Titum, Philemonem, Hebræos; Epiſtolæ aliorum Apoſtolorum, Jacobi, Petri II. Johannis III. Judæ; quibus accedit Johannis Apocalypſis.

222. Cur partes iſtæ *Teſtamenti* nomine appellentur poſtea, indicabitur. *Veteris* Teſtamenti dicuntur Libri ante Chriſtum natum; *Novi* autem poſtea ſcripti.

223. Hujus *Scripturæ S.* credunt Chriſtiani 1. *Neceſſitatem.* 2. *Θεοπνευστίαν*, ſeu divinam *Inſpirationem.* 3. *Integritatem.* 4. *Perfectionem.* 5. *Perſpicuitatem.* 6. *Uſum.* Hæc dicuntur Scripturæ S. *attributa.*

224. *Neceſſitas* ejus ſic probatur: Neceſſaria eſt hominibus Revelatio divina §. 158. ſ. Neceſſarium etiam eſt, ut Revelatio non paucis ſolum detur, ſed ita, ut ad plures vel omnes potius, qui eam deſiderant, pervenire poſſit. Eædem enim rationes neceſſitatis apud omnes ſunt homines.

225. Ut

225. Ut ad omnes pervenire poſſit divina *Revelatio*, vel ſingulis *immediate* ab ipſo DEO danda, vel *Traditione* propaganda, vel *Scripto* comprehendenda erat. *Primum* poſtulabat multiplicationem Miraculorum, quæ ob Dei Sapientiam locum habere non poteſt, absque neceſſitate.

226. Ratio eſt, quia Ens Sapientiſſimum omnia diſponit tali modo, ut fines per media obtineantur, ubi talia locum habent, ſeu ſunt poſſibilia §. 72. Atqui poſſibiles fuerunt alii modi, divinam Revelationem conſervandi præter immediatam inſpirationem §: præced. Ergo hæc, quæ fuiſſet miraculum, haud erat neceſſaria.

227. *Traditio* eſt ille modus alicujus rei notitiam conſervandi, quo illi, qui primum acceperunt, eam cum aliis ſermone ſuo communicant, qui eandem rurſus aliis notam faciunt, a quibus deinceps ulterius propagatur.

228. *Traditio* poteſt eſſe tutum Medium, Revelationem divinam conſervandi & propagandi: 1. ſi ea Revelatio paucis tantum & ſimplicioribus Capitibus contineatur. 2. ſi per paucos homines ad numeroſam poſteritatem perferatur. 3. ſi iſti eam rem curæ habeant, ut veritas ſarta tecta ſervetur. 4. ſi illa ſæpius ab ipſo Deo renovetur. Rationes aſſertorum iſtorum facile intelliguntur.

229. Hiſtoria illa, quæ Scriptura S. continetur, docet rem ita fuiſſe comparatam in primis

primis Mundi ætatibus per annos circiter 2500. ab *Adamo* ad *Moſen* elapſos. *Adamus* primus fuit eorum, qui Revelationem divinam acceperunt. *Moſes* primus ſcripto eam conſignavit.

230. *Teſtimonio Moſis* ſua fides conſtat, ſi ejus auctoritatem ad illas modo Leges exploremus, de quibus §. 205. ſ. dictum eſt. Si quæ occurrunt mirabilia, non minus credi poſſunt, ſi modo poſſibilia ſunt. Si nonnulla ſcripſit a ſua ætate remotiora, potuit ea tali accipere Traditione, quam §. 228. tutam eſſe diximus.

231. *Religio primorum hominum*, præter veritates natura notas, nonniſi Revelatione diſcenda, pauciſſima continebat Capita. Id ex Geneſi ſ. Libro I. Moſis intelligitur.

232. Ea per homines paucos ad numeroſam poſteritatem propagabatur, ob illorum primorum hominum, quos *Patriarchas* dicimus, *Longævitatem.* Ab *Adamo* ad *Noam* unus medius *Mathuſelah* ea, quæ a priore audiverat, ad alterum deferre potuit. *Semum* Noæ ſ. *Iſaacus* Abrahami ſ. hunc Jacobi ſ. *Levi*, iſtum *Moſis Pater* audire potuit.

233. Homines pii & religioſi curæ habent, ut & ipſi Religionem veram norint, & ſuis Liberis ſincere tradant. Patriarchæ autem illi fuerunt pii & religioſi. Nulla eſt ergo ratio dubitandi, quin ad ſuam poſteritatem ut vera Religio propagaretur, curæ habuerint.

234. DEVS

234. DEVS Revelatione ſæpius iterata eosdem dignatus eſt, qua & confirmabantur ante cognita, & nova eorum cognitioni addebantur. Non potuit ergo dubitari, quin in eorum Familiis veræ Religionis notitia ſubſiſteret.

235. Interim experientia docuit, non modo extra familias Patriarcharum, numero hominum excreſcente, & nationibus variis conſtitutis, Religionem paullatim corruptam, & veræ Revelationis memoriam obliteratam; ſed & in ipſis illis familiis errores ſenſim obortos, qui manifeſtum indicabant periculum, ne veritas mox penitus interiret.

236. Non potuit propterea *Traditio ſola* tutum ſemper eſſe medium Revelationem divinam conſervandi & propagandi, quia illæ circumſtantiæ, de quibus §. 228. ceſſabant. Inde factum eſt, ut *neceſſaria* fieret *Scriptura*, qua vera Revelatio conſervaretur.

237. *DEVS* eſt *ſumme Bonus.* Eapropter Creaturis ſuis tantum Boni confert, quantum illis convenit §. 73. Revelatio eſt Bonum hominibus neceſſarium §. 158. ſ. Nec ſine Scriptura tuto conſervari & propagari ad omnia tempora poteſt §. præced. Ergo *voluit* DEVS, ut Revelatio Scripto comprehenderetur.

238. Hinc ſequitur Θεοπνευςία, ſeu *divina Inſpiratio S. S.* Eſt enim illud S. S. Attributum, quo exiſtimatur, ex DEI Voluntate & ſecundum hanc ejus Voluntatem exarata

rata eſſe, ut propterea non humanum, ſed divinum Scriptum, & *Verbum DEI* ipſius haberi poſſit ac debeat.

239. In hac ergo divinæ Inſpirationis notione tria iſta continentur. 1. Id quod Moſen primum, dein alios ad ſcribendum impulit, ſeu *Mandatum* expreſſum, ſeu internus *Inſtinctus*. Ob hæc dicuntur ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *a Spiritu S. acti*, 2 Petr. I. 21.

240. Secundo *Notitia rerum ſcribendarum* Scriptoribus ſuppeditanda, cum ſcilicet ea eſſent ſcribenda, quæ per media externa, aut proprio ingenio cognoſci non poterant. Nam hoc eſt proprium objectum Revelationis §. 169.

241. Tertio *Scriptores* in omni ſua Scriptione, cum quoad Res, tum quoad Verba, ita *dirigendi*, ut nihil niſi verum, & nonniſi eo modo ſcriberent, quo id pro rerum natura & dignitate fieri deberet.

242. Nunc ergo quæritur, an *Scriptores eorum Librorum, quibus diximus, S. Scripturam conſtare*, §. 220, 221. fuerint Θεόπνευστοι, ſeu *a Deo Inſpirati?* Affirmant hoc paſſim de ſe, ac ceteris Exod. XVII. 14. Eſaj. VIII. 1. Jerem. XXX. 2. Apoc. I. 11. 2 Tim. III. 16. 2 Petr. I. 21. 1 Cor. II. 13. &c.

243. Narrant *Moſes* & *Prophetæ*, DEVM ſibi, quæ agerent, dicerent aut ſcriberent, mandaſſe, quod in eorum Libris paſſim legitur. *Apoſtoli* dicunt, ſibi a Magiſtro ſuo *promiſſum Spiritum divinum*, Matth. X. 20.

Luc.

Luc. XII. 11, 12. XXI. 14, 15. Joh. XIV. 16, 17. XVI. 13. Commemorant eum quoque ſibi *datum*, Actor. II. V. 3, 4. XV. 28. &c.

244. *Teſtimonium* hoc *fide dignum* eſſe, ex iis conſtat, quæ §. 205. ſ. dicta ſunt. Quibus addenda quædam alia. Primum quidem, quod tales fuerunt res ab illis dictæ & ſcriptæ, talique modo, ut *Characteres divinæ Revelationis* §. 167 - 171. ubivis deprehendantur. Secundo; ne potuiſſent quidem talia talique modo dicere aut ſcribere, niſi Θεόπνευστοι fuiſſent.

245. Ut hujus poſterioris argumenti vis intelligatur, opus eſt ex Hiſtoriis cognoſcere, inter Scriptores V. T. unum *Moſen*, & inter Scriptores N. T. unum *Paulum*, humanis diſciplinis diligentius imbutum fuiſſe: Ceteros tali ſubſidio caruiſſe. Novi imprimis Teſtamenti Scriptores ex infimi ordinis hominibus delectos, cum nihil didiciſſent præter ea, quibus e vulgo homines inſtitui ſolent, ad talem doctrinam DEO dignam, modo conveniente proponendam, nonniſi immediata Dei ope diſponi potuerunt.

246. Omnia autem illa, quæ humano more didicerant illi, quos appellamus, quia ſacra tradunt, *Sacros Scriptores*, avertere potius eos ab illa, quam ſuis in Libris tradiderunt, doctrina debuerunt, quam ad eam ducere, cum iſta eſſet *receptis* eo tempore *dogmatibus* prorſus contraria.

247. *Sapientia Ægyptiorum*, in qua *Moſes* educatus, Exod. II. 10. coll. cum Actor. VII. 21, 22. *Gentiliſmo* favebat. *Pauli* educatio & inſtitutio in diſciplina *Phariſæorum* Judaiſmum depravatum ei inculcabat, in quo & ille inſtituto diu pertinaciſſime ſubſtitit Act. XXVI. 9. ſeq.

248. Tandem & iſti Scriptores, ſaltem plerique eorum, *Miraculis* & *Prophetiis* ſibi fidem fecerunt, adeoque & externa divinæ ſuæ miſſionis argumenta habuerunt §. 174. Nihil ergo ſupereſt, quod ultra deſideretur. Nam *Miracula* ab illis facta & Prophetias *prolatas* ex ipſa eventus certitudine conſtat. Vid. §. 211. & ſequentes.

249. *Integritas* S. Scripturæ duobus modis ſpectatur; vel quoad *Canonem*, vel quoad *Singulos Libros*. *Canon* eſt Recenſio ſeu enumeratio eorum Librorum, quos tanquam *Canonem*, ſeu Regulam ſuæ Religionis Chriſtiani receperunt. Is dicitur *integer*, ſi nullus eorum Librorum, quos Deus in eum finem conſcribi voluit, ac inſpiravit, hodie ex eo numero periiſſe cenſeatur.

250. A quo & quando *Canon* ille S. Librorum conſtitutus, vel Libri omnes in unum Corpus collecti fuerint, non prorſus certum eſt, nec etiam multum ad rem facit. De Libris Moſis & Prophetarum ſic plerique Judæorum & Chriſtianorum ſenſerunt; id factum a *Synagoga magna*, cujus Præſes *Eſdras*, Aſſeſſores Prophetæ, & Populi Judaici poſt Captivitatem Babylonicam Principes.

251. Quos-

251. Quoſnam vero Libros iſti in *Canonem* hunc receperint, diſcimus ex Bibliis Hebræis, in quibus non alii unquam reperti ſunt, præter illos, de quibus §. 220. Iique in tres Claſſes diviſi, ſcil. 1. תורה. *Lex*, ſ. Pentateuchus, 2. נביאים, *Prophetæ*, quorum alii ſunt ראשונים *priores*, alii אחרונים, *poſteriores:* 3. כתובים *ſcripti*, ſ. Spiritu S. ſeu ἁγιόγραφοι.

252. Eadem Canonis recenſio apud *Flav. Joſephum* L. I. Contr. App. Cap. 8. edit. Havercamp. ubi numerus Librorum ad XXII. redigitur, quorum V. Moſis, XIII. Prophetarum, IV. Hymnorum ac vitæ Præceptorum. Conf. *Prideaux* Connex. Hiſt. V. & N. T. P. I. L. V. p. 329. edit. Angl. a. 1716.

253. Neque unquam Judæi alios Libros, præter iſtos, pro divinis agnoverunt, quibus tamen olim tradita & *commiſſa fuerunt Oracula Dei*, Rom. III. 2. & a quibus ea ad Chriſtianos, ducibus Apoſtolis tranſiverunt.

254. De primis Chriſtianorum temporibus idem conſtat, ex *Melitone* Sardium Epiſcopo Sæc. II. *Origene* Sæc. III, *Euſebio Cæſar. Athanaſio*, *Cyrillo Hieroſolymit. Hieronymo*, Concil. Laod. Sæc. IV. & ſic de aliis. Vid. *Humphr. Hody* de Bibl. Text. Orig. ad Calc. unde *Wolfius* in Bibl. Hebr. T. II. p. 49. tranſtulit tabulas Librorum Canonicor. quotquot inveniri potuerunt.

255. Illi ergo merito a Canone excluduntur, & *Apocryphi* dicuntur, quos poſt hæc

tempora a plerisque receptos videmus, præter illos priores. Tales ſunt *Judith*, *Sapientiæ* falſo *Salomonis* nomine notatæ, *Tobiæ*, *Siracidis* ſ. *Eccleſiaſtici*, *Baruchi*, *Maccabæor.* II. & quædam *fragmenta*, quæ Bibliis Græcis & Latinis Vulg. addita reperiuntur.

256. Sunt autem & alia, ob quæ extra Canonem iſti Libri habentur, quæ ſcilicet in ſingulis deprehenduntur humanæ infirmitatis indicia, unde conſtat, haudquaquam divini Spiritus inſtinctu ſcriptos fuiſſe. Hæc vero diſcutere non eſt inſtitutæ brevitatis.

257. Si nunquam ulli alii Libri in Canonem recepti fuerunt, §. 254. ſequitur etiam nullos unquam *Libros Canonicos* periiſſe, ſed omnes eos adhuc ſupereſſe. Qui ergo paſſim in iis nominantur Libri, aut ad Canonem nunquam pertinuerunt, aut ſub aliis nominibus in eo adhuc exſtant.

Vid. *Wolf.* Bibl. Hebr. T. 2. Sect. 4.

258. Qui vero extra S. Scripturam aut jactati ſunt Sanctorum quorundam Libri, aut adhuc circumferuntur, illos omnes nothos eſſe ac falſo ſuppoſitos a Criticis dudum eſt demonſtratum.

259. Quod de V. T. probatum eſt, idem de N. haud minus facile probatur. Quamvis enim tempus, quo Libri iſti in unum Corpus collecti ſunt, non ſatis certo indicari poſſit, conſtat tamen IV. Evangelia, Acta App. XIII. Epiſtolas Pauli, I. Petri & I. Joh. ab omnibus Chriſtianis ipſo jam Sæculo I. & II.

ab

ab Auditoribus Apoſtolorum receptas fuiſſe. Vid. Euſeb. H. E. III. 24, 25.

260. De ceteris, ſcil. de *Ep. ad Hebr. Jacobi*, *2 Petri* 2. & 3. *Joh. Juda* & *Apocalypſi* dubitatum aliquamdiu fuit, donec poſt diligentius examen conſtaret, etiam hæc ab Apoſtolis profecta fuiſſe; id quod Librorum iſtorum γνησιότητα magis confirmat, quam dubiam facit.

261. Certum itaque eſt, & omnes illos, qui recepti ſunt in numerum Librorum N. T. *Canonicos* eſſe, & nullos præterea iis adjungendos, ne humana cum divinis confundantur.

262. *Integritas ſingulorum Librorum* in puritate Textus Originalis conſiſtit, dum ſcilicet V. T. *hebraice*, paucis exceptis, quæ *chaldaica* ſunt; N. græce conſcriptum ab ipſis ſuis auctoribus eſt. Hunc ergo Textum originalem ita nunc adhuc comparatum cenſemus, qualis ab ipſo initio fuit.

263. Integritati iſti oppoſita *corruptio* refellitur 1. Collatione Codicum Mſctorum. 2. Antiquarum Verſionum; 3. Locorum a Patribus allegatorum. Si omnia hæc eandem nobis exhibent Scripturam, ſequitur eam non eſſe corruptam.

264. Collatio hæc a *Criticis* inſtituta, nec ab illis tantum, quibus animus fuit integritatem Textus ſacri confirmare, ſed ab aliis quoque, qui, ſi qua fieri potuiſſet, eam impugnare aut ſuſpectam reddere ſunt conati; rem in clariſſima luce collocavit.

265. *Codicum Mſctorum conſenſus* imprimis notabilis eſt in hebræis Libris, in quibus, ſi manifeſta quædam Librariorum Sphalmata excipiamus, nihil hactenus deprehenſum eſt differentiæ, niſi in punctis quibusdam, & accentibus, quibus in ſenſu parum aut nihil mutatur.

266. *Verſiones antiquæ* imprimis hic obſervandæ Samaritana, *Græca*, quæ dicitur *LXX Interpretum*, *Chaldaica*, quæ dicitur *Targum*, & *Latina*, quam *Vulgatam* appellant. Earum Hiſtoria docet, antiquiſſimam omnium Samaritanam & *Græcam* eſſe, ſed hanc varias ſubiiſſe mutationes; proximam *Chaldaicam Onkeloſi* & *Jonathanis*; ultimam *Latinam*, quam *Hieronymus* refinxerit. Vid. de Gr. & Lat. *H. Hody* Opus de Bibl. Teſt. Orig. de Samar. & Chald. *J. C. Wolfii* Bibl. Hebr. T. II.

267. Non alia ex his Verſionibus Religionis doctrina hauriri poteſt, quam ex Textu originali, quamvis illæ in multis Locis ab hoc & a ſe invicem differant. Ubi ergo cum hebr. conveniunt integritatem ejus confirmant. Ubi diſcrepant, judicio critico Verſiones ſunt corrigendæ, non hebr. Textus immutandus.

268. *Allegationes Patrum* ſunt illa Loca primorum inter Chriſtianos Scriptorum, quibus ſententias ſacrorum Librorum ad probationem & illuſtrationem eorum, quæ ipſi ſcribunt, adhibuerunt. Id quod nonnunquam ipſis Textus Originalis verbis, nonnunquam

quam vero aliis, retento tamen ſenſu, fieri ſolet. Cum ergo & hæc conſentiant, ſequitur Integritatem Textus ſacri his confirmari poſſe.

269. Sunt tamen, qui Textum hebr. a *Judæis*, in quorum poteſtate ille, uſque ad Chriſtianam Religionem exortam, fuit, corruptum aut aſſerunt, aut ſuſpicantur. Hoc faciunt partim ob diſcrepantiam Verſionum antiquarum, partim ob קרי וכתיב, partim ob odium Judæorum in Chriſtianorum Religionem.

270. De Verſionibus antiquis reſpondetur ex §. 267. De *keri* & *Chetibh*, & aliis ejuſcemodi criticis obſervationibus, conſtat, nihil per ea in ſenſu & doctrina S. Scripturæ immutari. Ex odio vero Judæorum non poteſt S. Librorum corruptio colligi.

271. Non enim eſt credibile, Judæos odio Chriſtianorum eos Libros corrupiſſe, quos ipſi ut divinos in hodiernum diem recipiunt, & in ſummo honore habent. Deinde id nec fecerunt, nec facere potuerunt. Non fecerunt; quia Teſtimonia V. T. de Chriſto eadem nunc leguntur, quæ ſunt in N. T. adducta. Nec facere potuerunt, quia ante C. N. nullam ejus rei habuerunt rationem, poſt C. N. non erant omnes Codices ſacri in eorum poteſtate.

272. Cumque Judæi ob tot graviſſima peccata & a Prophetis, & a Chriſto, ſint reprehenſi, non tamen illis unquam hoc ſceleſtiſ-

ſimum facinus objectum eſt, quod Sacras Litteras corruperint. Quin potius continuo ad evolvenda hæc S. Volumina, & fidem illis habendam remiſſi ſunt, ut ex Evangeliis patet.

273. Non eſt dubium, quin *DEI Providentia* in Conſervatione horum Librorum & integritatis illorum interceſſerit. Quamvis enim haud opus fuerit, ut per continuum miraculum Librarios omnes redderet ab errore immunes, id quod factum non eſſe ipſa res docet: tamen ita omnia dirigere potuit, ut in tot caſibus nulla tamen eſſentialis Religionis pars corrumperetur.

274. Cum enim neceſſaria fuerit Revelatio divina §. 158. Cumque pariter neceſſarium fuerit, ut divina Revelatio ſcripto mandaretur §. 224. Fruſtra autem litteris mandata fuiſſet, ſi permittere DEVS voluiſſet, ut hæc Scripta poſtea corrumperentur. Ergo non potuit non Providentia Dei efficere, ut integra manerent.

275. Eadem argumenta, quæ de V. T. allata ſunt, ejuſque Textu hebr. etiam de N. T. ejuſque Textu græco valent. Codices iſtius plurimi exſtant, quorum quamvis ſunt innumeræ Variantes Lectiones, in omnibus tamen Religionis partibus admirabilis eſt conſenſus. Verſiones ſunt antiquiſſimæ, præter *Latinam, Syriaca* & *Coptica*; quarum nullus, niſi in verbis quibusdam, eſt diſſenſus. Idem de Allegationibus Patrum dicendum.

276. Nunc

276. Nunc de *Perfectione* S. Scripturæ eſt agendum. Ea dicitur S. Scripturæ attributum, quo eam credimus omnia ad ſalutem hominis neceſſaria continere, ut nihil porro ſit deſiderandum, nec quidquam addendum.

277. *Perfectio S. Scripturæ* probatur 1. ex cauſſa, ob quam ea data eſt, ſcilicet ut divina Revelatio omnibus innoteſcere, & in omne tempus conſervari poſſet §. 224. Oportet ergo, ut omnem Dei Revelationem, ſeu omnia ad ſalutem hominum neceſſaria contineret.

278. Eadem probatur 2. ex eo, quod ipſe DEVS vetat S. Scripturæ quidquam addi: Deut. IV. 2. XII. 32. Proverb. XXX. 5, 6. idque ex ea cauſſa, quod perfecta eſt Pſ. XIX. 8. 2 Tim. III. 16, 17. &c.

279. Probatur 3. inde, quod nulla indicari poteſt pars eſſentialis Religionis, ſi ritus quosdam externos excipias, de qua non S. Scriptura nos edoceat. Unde & Chriſtus cum Apoſtolis nos ad eam remittunt Joh. V. 39. XX. 31. & primi poſt eos Chriſtianorum Doctores nullis aliis ad Religionem docendam ſubſidiis uſi ſunt.

280. Quod enim ad *Traditionem* attinet, non eſt illa tutum Veritatis conſervandæ medium §. 235. Nec Apoſtoli nomine illius doctrinas Scripto haud comprehenſas intellexerunt; ſed modum, quo doctrinam ſalutarem propagarunt. Fuit enim ille du-

plex, ſcilicet viva vox, quæ eſt orátio, & Epiſtola, quæ eſt ſcripta. Vid. 2 Theſſ. II. 15. 1 Cor. XI. 2. Patres vero Eccleſiæ nihil aliud per Traditionem intellexerunt, quam doctrinam Apoſtolicam, duobus illis modis propagatam, & a Chriſtianis conſervatam.

281. Concidit ergo *Judæorum Lex Oralis, Talmude* comprehenſa. Concidit etiam quorundam inter Chriſtianos *Traditio*, quam vocant *Apoſtolicam*; aliorum *Lumen* ſeu *Verbum internum*, quo plura & perfectiora ſibi revelari exiſtimant, quam in S. Scriptura contineantur.

282. Univerſis illis, præter jam dicta §. 277. ſ. oppono hoc ratiocinium. Aut ea, quæ præter S. Scripturam traduntur, ei conſentiunt, aut ab ea diſſentiunt. Si conſentiunt, non erat neceſſarium, ut adderentur, cum jam in illa continerentur. Si diſſentiunt, tum ſunt rejicienda. Nam Religio vera nihil admittit contradictionis §. 174.

283. *Perſpicuitatem S. Scripturæ* appellamus illud ejus attributum, quo fit, ut quisque attentus & ſedulus ac pius Lector, adhibitis, quæ in promtu ſunt, ſubſidiis, ex ea intelligere poſſit, quæ ipſi ſunt ad ſalutem conſequendam neceſſaria.

284. Probatur illa iisdem prorſus rationibus, quibus ejus *Perfectio* §. 277-281. Nec opus eſt alia demonſtratione.

285. Nemo enim *uti* poteſt S. Scriptura, niſi

niſi adhibeat 1. *Attentionem*, cogitationibus ad id, quod agitur, unice directis. Sine ea enim nihil omnino intelligi poteſt. 2. *Sedulitatem*, ut ſæpius relegat ac repetat eadem, addita quoque meditatione, quod æque neceſſarium eſt ac prius. 3. *Pietatem*, quia non Scripta humana, ſed divina, non Verbum hominis, ſed DEI legimus §. 238. Ea cogitatio multum ad intelligentiam S. Scripturæ facit.

286. *Subſidia* reliqua ſunt, pro Populo quidem; *Verſiones* in Linguas vernaculas, quæ & licitæ & neceſſariæ. Nam ſi licita & neceſſaria eſt omnibus S. Scripturæ *Lectio*, quod cum ex fine, ad quem data eſt, tum ex præceptis & exhortationibus ipſius paſſim obviis liquet; nec non exemplis; *Verſiones* certe etiam licitæ & neceſſariæ ſunt, ſine quibus *Lectio* fieri non poteſt.

287. Cumque tot exſtent antiquæ Verſiones, colligitur, Veteres Chriſtianos id ſemper & licitum & neceſſarium crediſſe, ut omnes legerent atque intelligerent S. Scripturam.

288. Non negamus, Prophetiam nullam ἰδίας ἐπιλύσεως γίνεσθαι, ſeu ut Vulg. *propria interpretatione fieri*. Non enim unquam Voluntate hominum allata eſt Prophetia; ſed a Spiritu S. acti locuti ſunt Sancti Dei homines 2 Petr. I, 20, 21. Sed indicatur iſto loco S. Scripturæ & veræ ejus interpretationis origo, quæ non ab ingenio humano, ſed a divino Spiritu procedit.

289. Certum etiam eſt, cum in Epiſtolis Paulinis,

linis, tum in aliis ſacris Libris eſſe *δύσνοητά τινα*, *quædam obſcura*, ſed ita, ut pius & modeſtus Lector facile in iis, quæ per collationem Scripturarum explicari non poſſunt, judicium ſuſpendat, & in clarioribus acquieſcat; nec niſi *indocilis & inſtabilis ea ad proprium exitium contorqueat* 2 Petr. III. 16.

290. Porro proſpexit DEVS populo Chriſtiano de alio S. Scripturam intelligendi, eoque perpetuo ſubſidio. 1. de *Spiritu S.* quem omnibus petentibus ſe daturum promittit Luc. XI. 13. 2. de *Miniſterio Eccleſiaſtico*, quo doceri debet populus ex Scriptura S. quæ ſint ad ſalutem neceſſaria Epheſ. IV. 11, 12.

291. Nemo ergo pro auctoritate *infallibili* ac *irrefragabili* nobis obtrudere quidquam debet; ſed ex S. Scripturis, quæ credere & facere debeamus docere. *Omnia* enim *ſunt exploranda, nec cuivis Spiritui credendum*, 1 Theſſ. V. 21. 1 Joh. IV. 1. &c.

292. Eruditis autem ſeu Doctoribus reliquorum multo opus eſt ſtudio, ut certam de omnibus veritatem Populo tradere queant. Itaque Linguarum Originalium aliarumque, Hiſtoriarum, Antiquitatum, Artis Criticæ & Hermeneuticæ, aliarum diſciplinarum cognitione inſtructos eſſe oportet. Vid. Encyclop. Theol. Cap. IV. & V.

293. Iidem etiam per recta ratiocinia conſequentias legitimas nectere, atque ita ſententias S. Scripturæ ex verbis ejus eruere, & ad demonſtrationem doctrinæ

atque

atque uſum vitæ adhibere debent, ſicque *uſum* illum multiplicem S. Scripturæ obtinebunt. Sic enim Chriſtum & Apoſtolos feciſſe videmus Matth. XXII, 43. Rom. IV, 2. 1 Cor. XV, 29. &c.

CAP. IX. *De Symboli Apoſtolici Articulo I. qui agit de Deo.*

294. Cum *Theologia* pariter, ac *Religio* inde reſultans, duabus partibus contineatur, cognitione DEI & Cultu ejus §. 1. Cumque jam habeamus *Revelationem divinam* eamque veram, in Scriptura S. comprehenſam, §. 237. & 282. Nunc videndum, quænam ſint Capita 1. eorum, quibus conſtat Dei cognitio, ſeu *Credendorum*, 2. eorum, quæ conſtituunt Cultum Dei ſ. *Agendorum.* His duabus partibus *Theologia Revelata*, quæ & *Chriſtiana*, componitur §. 4.

295. *Credendorum* ſummam ex S. Scriptura collectam jam olim Chriſtiani *Symbolo Apoſtolico* comprehenderunt. Illa erat veluti teſſera Chriſtianorum, qua orthodoxi ab heterodoxis diſcernebantur, Sæculo IV. forte in hanc formam compoſita. Nec *Apoſtolicum* dicitur *Symbolum*, quod collatitia opera ab Apoſtolis confectum, ſed quod Apoſtolorum doctrinam contineret.

296. Dividitur in *tres partes:* 1. de DEO Patre & Creatore. 2. De Filio Redemtore. 3. De Spiritu S. deque Eccleſia, & Beneficiis a DEO in eam collatis. Articuli numerantur

rantur XII. quorum primus primam partem Symboli, ſecundus ad ſextum ſecundam, VII. ad XII. tertiam conſtituit.

297. Primus Articulus Symboli eſt: *Credo in DEUM Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ.*

298. Verbum, *Credo*, non ad hanc primam tantum Symboli partem, ſed ad univerſum Symbolum pertinet. Indicat enim, hanc eſſe ſummam *Fidei Chriſtianæ*, ſeu ejus partis Religionis Chriſtianæ, quæ in *Credendis* conſiſtit.

299. *Credere* eſt aliquid pro vero habere, idque non propter rationes ac demonſtrationes, ſed propter auctoritatem dicentis. Ille actus, quo id fit, appellatur *Fides*, eaque *divina*, ſi ex Verbi divini auctoritate naſcatur.

300. Nonnunquam vero *Fides* Diſpoſitionem Animi notat, qua Homo res in S. Scriptura traditas, in quantum eas cognoſcit, firmo adſenſu recipit, ac per earum obſervationem ſalutem ſe conſecuturum confidit, eaque propter, ſuperatis omnibus obſtaculis in iis, quæ præcipiuntur, DEO obedientiam præſtat.

301. Quatuor ſunt ergo illius Fidei ſeu Partes, ſ. *Actus*, *Cognitio*, *Adſenſus*, *Fiducia* & *Obedientia.* Unus tamen ex his eſt *proprius Fidei Actus*, nimirum *Adſenſus*, quo res in S. Scriptura traditæ recipiuntur.

302. Quia vero nihil pro vero recipi poteſt, niſi prius cognoſcatur, hinc *Cognitio* rerum cre-

credendarum, & quidem diſtincta, prius adeſſe debet, quam Adſenſum iis præbere poſſimus. Nec abeſſe poteſt Ratio credendi, ſeu cognitio auctoritatis, propter quam credere debeamus 1 Petr. III. 15.

303. Hæc *auctoritas divina* eſt §. 299. ſcilicet Dei in Verbo ſuo docentis. Ergo non *humana*, hominum in Eccleſia docentium ſive ſingulorum ſive in Synodo congregatorum. Nemo enim eſt, præter Deum, qui auctoritate infallibili ſeu irrefragabili pollet §. 292.

304. *Adſenſus* debet eſſe *firmus*, ac tam immotus, ut omnem dubitationem excludat. Nam cum primum intelligimus, aliquam doctrinam a DEO eſſe revelatam, ne per momentum quidem de ejus veritate dubitare poſſumus. Hinc πληροφορία & στερέωμα τῆς πίστεως, *plenitudo* & *firmamentum fidei* Coloſſ. II. 2 & 5. & Hebr. XI. 1. ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων, Vulg. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* dicitur.

305. Sicut autem Gradus in *Cognitione* datur, ita & in *Adſenſu*. Prout illa plenior aut perfectior, non tam in rerum multitudine, quam in certitudine, eſt, ſic & *Adſenſus* ſeu *Perſuaſio* firmior eſt. Naſcitur hinc diſtinctio fidei in *firmam* ac *infirmam*, quæ tamen vera eſt, licet minus perfecta.

306. Ille Actus, quo homo per rerum credendarum obſervationem Salutem ſe conſecuturum

cuturum confidit, appellatur *Fiducia.* Ea eſt duplex. Alia cum Fide indiſſolubili nexu conjuncta, alia eam conſequitur. Conjuncta cum Fide ea eſt, quæ res credendas, in S. Litteris propoſitas, pro Salutis ſuæ fundamento habet. Fidem vero conſequitur illa Fiducia, tanquam effectus cauſſam, quæ nos de obtinenda ſalute certos reddit.

307. Hæc poſterior a Fide abeſſe poteſt, quoniam non a Fide ſola oritur, ſed & a Fidei cognitione; id eſt, non ſufficit fidem habere, ut per certitudinem ſalutis fiduciam & conſolationem obtineamus, ſed opus eſt ut per accuratum examen de nobis inſtitutum Fidem ineſſe ſciamus 2 Cor. XIII. 5.

308. Sunt ergo *Notæ* ſeu *Characteres Fidei*, qui in una illa continentur *Obedientia* in iis, quæ a DEO præcipiuntur, præſtanda. Ea quo magis idonea eſt ad obſtacula ſuperanda, eo *firmior* eſt. In iis vero rebus, quibus obedientia conſiſtit, continentur illi, qui dicuntur *Fructus Fidei*, ex quibus tanquam bona Arbor dignoſcitur Matth. XII. 33. Gal. V. 6.

309. Hinc & illa *Fides*, quæ Bona opera ceu Fructus ſuos producit, *viva* dicitur. Oppoſitum ergo eſt *Fides mortua*, Jac. II. 17. 20. quæ in mera cognitione & adſenſu poſita non veram, ſed falſam Salutis fiduciam gignit.

310. Intelligitur ex his, quænam ſit *Fidei ad Salutem conſequendam neceſſitas*, ut quiſque noſtrum dicere queat: *Credo.* Absque eo enim

enim ſalvum eſſe neminem poſſe DEO adferenti cur non credamus? Vid. Marc. XVI. 16. Joh. III. 16. Hebr. XI. 6. &c. Cavendum etiam, ne vanam *Fidei* opinionem, aut temerariam confidentiam pro *Fiducia* accipiamus.

311. Hæc de *Fide*; nunc de ejus *Objecto*, quod in hoc Articulo eſt DEVS *Pater*, *Omnipotens*, *Creator Cœli & Terræ*. *Credere in* DEVM nos dicimus per modum loquendi apud Hebræos receptum, cum id plus exprimat, quam *credere DEO*. Hoc ſignificat, credere vera eſſe, quæ DEVS dicit, ſicut homini credere poſſumus, cum vera eum dicere putamus, Gen. XLV. 26. Illud vero, cum ei penitus ita confidimus, ut ab eo ſalutem promiſſam certo exſpectemus Gen. XV. 6. Rom. IV. 3.

312. DEI primum notatur *Exiſtentia*, 2. Nomen *Patris*, 3. Attributum *Omnipotentiæ*, 4. Opus *Creationis*. DEVM quidem eſſe non *credimus*, ſed *ſcimus*, quoniam ea eſt veritas, de qua Lumen Naturæ nos certos facit. Interim, quia primum hoc eſt omnis Religionis principium, oportebat, ut & Revelatio illud in certa luce collocaret.

313. S. Scriptura ergo argumenta nobis ſuppeditat ſolidiſſima, quibus DEVM exiſtere cognoſcamus. Primum eſt, quod ab exiſtentia Mundi deducitur, Rom. I. 19, 20. Alterum ab Ordine & apta omnium rerum diſpoſitione Job. XII. 7-9. Pſ. XIX. 2-5. Act. XVII. 27. 28. Conf. §. 11. ſeq.

314. Tertium argumentum *Conſcientia* præbet, quæ nulla eſſet, ſi non eſſet DEVS, Rom. II. 15. Conf. §. 36. Illa eſt Judicium ac ſenſus quidam internus Mentis humanæ de iis, quæ bona aut mala ſunt in Actionibus, ac inde ſperanda aut metuenda.

315. Univerſa *Revelatio* eſt argumentum Exiſtentiæ Dei. Nam niſi DEVS exiſteret, nulla eſſet Revelatio divina. Hanc autem adeſſe ex Characteribus ejus evicimus §. 197. *Miracula* imprimis & *Prophetiæ*, quæ non a Rerum Natura, ſed ab Ente ſuperiore proficiſci poſſunt, omnem eximere debent dubitationem.

316. Inde ratio intelligitur, cur ii, qui negant DEVM exiſtere, ſeu *Athei*, *ſtulti* dicantur Pſ. XIV. 1. Ille enim ſtultus dici ſolet, qui id quod ſufficientibus argumentis comprobatum eſt, haud tamen, ut verum admittit. Id autem facit *Atheus*. Porro ille ſtultus eſt, qui id ſpernit, quod ipſius & aliorum, immo totius generis humani felicitatem promovet, atque perniciem avertit. Talis autem eſt *Religio*, quod ex ejus fine §. 1. & ex Præmiorum & Pœnarum certitudine §. 108. & ſeq. demonſtrata intelligitur.

317. Nomen *Patris*, quod DEO tribuitur, eſt nomen Relationis ad *Filium*, de quo Articulo ſecundo agitur. Monet nos hoc, ut obſervemus, S. Scripturam aſſerere quidem firmiſſime, *DEVM nonniſi Unum*; ſed tamen

tamen eandem docere, eundem eſſe *Trinum:* quæ cum vera eſſe, tum nullam inferre contradictionem comprobabimus.

318. *Unum eſſe DEVM*, quod & Theologia Nat. demonſtrat § 58. ſ. Aſſeritur plurimis locis, quibus & oſtenditur, quam abſurdus ſit *Polytheiſmus* & *Idololatria*, ſeu opinio de exiſtentia plurium Numinum, eorumque cultu. Vid. Deut. VI. 4. Eſaj. XLIV. 6. 1 Cor. VIII. 5, 6. 1 Tim. II. 5. &c. Hinc & in Symbolo dicimus: *Credo in* DEVM, non in Deos. Quædam etiam formulæ habent: *Credo in unum DEVM.*

319. Ille DEVS *Pater* eſt Joh. XVII. 3. Sed ita, ut & *Filio* & *Spiritui S.* & nomina, & perfectiones, & opera, & honores divini pariter cum Patre tribuantur. Hoc eſt, quod Chriſtiani appellant *Trinitatem Perſonarum in una divina Eſſentia.*

320. Cavendum vero in hac doctrina 1. ne *Perſonæ* vocabulum proprio ſenſu accipiatur, prout de hominibus accipi ſolet. Sic enim Tria Numina emergerent. Nam in hominibus *Perſona* eſt Homo quisque, ab aliis hominibus cum eſſentia tum attributis diſtinctus. Divina autem *Perſona* quæque eandem cum ceteris eſſentiam, eadem attributa habet §. præced.

321. Neque etiam hic eſt ſenſus S. Scripturæ, quod *Pater*, *Filius* & *Spiritus S.* magnitudine ac dignitate differant. Sic enim rurſus tria ſtatuerentur Numina, cum tamen

nonniſi Unum eſſe conſtanter adfirmet. Sunt ergo ex illius ſententia Tres illæ divinæ Perſonæ omni modo *æquales*.

322. Interim tamen Perſonarum *diſtinctio vera*, non imaginaria, aut *nominalis* tantum eſt. Alioqui non tres eſſent, ſed una; nec *Pater*, *Filius* ac *Spiritus S.* dici poſſent, ſublata alterius ad alterum relatione, in qua ſola hæc diſtinctio conſiſtit. Hinc dici ſolet Patrem a ſe, Filium a Patre; Spiritum S. a Patre & Filio eſſe.

323. Huc pertinent illa S. Scripturæ loca, quibus Tres illi ſimul recenſentur, ac diſtincte commemorantur. Cetera, quæ ad *Filium* aut *Spiritum S.* ſeorſim pertinent, deinde ſuis temporibus referentur.

324. *Tres* diſtincte commemorantur Matth. III. 16, 17. ubi de Chriſto a Johanne baptizato legitur. *Tres* itidem Matth. XXVIII. 19. in formula Chriſti diſcipulos baptizandi. Sic & *Tres* nominantur Joh. XIV. 16. 1 Petr. I. 2. 2 Cor. XIII. 13. & ita quidem, ut ubique Perſonas, non Modos tantum, ſeu Attributa intelligi manifeſtum ſit. Sententia 1 Joh. V. 7. quia multis ac ſpecioſis Criticorum exceptionibus obnoxia eſt, a nobis omittitur.

325. Multi ſunt, qui iſtud Dogma non in Veteri, ſed tantum in N. T. cognitum fuiſſe autumant. Sed iſti falluntur. Quamvis enim haud eadem claritate, non tamen omnino obſcure, in illis quoque antiquioribus

bus Libris id invenimus. Huc pertinent primum illa, quæ pluralitatem aliquam in DEO innuere videntur: ut Nomen plurale cum verbo ſingulari de illo adhibitum Gen. I & ſic paſſim: ſic & cum plurium numero commemoratur, ut Gen. I. 26. III. 22. XI. 7. Eſaj. LIV. 5. Pſ. CXLIX. 2. Dein eodem potiſſimum referri debent ſententiæ, quibus *Tres*, ubi de DEO agitur, commemorantur; ut Pſ. XXXIII. 6. Eſaj. LXI. 1. LXIII. 7. 10. Quæ vero obſcuriora nobis videantur, ea homines illorum temporum a Prophetis clarius expoſita cognoſcere potuerunt.

326. Eſt hoc dogma Religionis Revelatæ proprium, vocaturque *Myſterium*, quia Ratio humana illud nec invenire, nec a Revelatione indicatum comprehendere poteſt. Sufficit enim, quod non ſit contradictorium, ut propter auctoritatem Verbi divini id aſſerentis, tanquam verum a nobis recipi debeat.

327. In uno Ente finito Monadem eſſe & Triadem, ſeu unum eſſe ſimulque tria contradictorium eſt, quoniam clare concipimus, id eſſe contradictorium. Sed in Ente *Infinito* Unitatem Trinitatemque diſerte adfirmantibus Scriptoribus divinis credimus, quia in Ente Infinito aliquid locum habet, quod in finito eſſe non poteſt. Modus ejus rei nobis eſt penitus ignotus.

328. Dogma hoc, quamvis obſcurum, eſt tamen creditu & *neceſſarium* & *utile*. Ne-

ceſſàrium; quia in S. Scriptura diſerte traditur §. 320. Utile; 1. quia inde colligitur demum, quem DEVM, ſcil. Patrem, Filium & Spiritum S. colere debeamus; 2. Quia ea doctrina aliis pro fundamento eſt doctrinis, de quibus poſtea dicetur.

329. Porro; DEVS in Symbolo dicitur *Omnipotens*, Græce παντοκράτωρ, omnium rerum ſummus ac potentiſſimus Dominus. Vid. Apocal. IV. 8. DEVM autem habere juſtum & legitimum in omnia imperium ex eo conſequitur, quod ſit prima omnium cauſſa, §. 10. quod & inſequentibus Symboli Verbis indicatur.

330. Sed & hoc infert nomen *Omnipotentis*, quod DEVS omnia, quæ velit, aut quæ nullam inferunt contradictionem efficere poſſit, Eſaj. XLVI. 10. Pſ. CXV. 3. Rom. IX. 19. Unde intelligitur, cur DEVS dicatur *non poſſe mentiri, aut ſeipſum abnegare* 2 Tim. II. 13. Nam contradictorium eſt, DEVM, qui eſt bonus & ſanctus §. 73. facere aliquid mali, aut ſibimet ipſi repugnare.

331. Interim hoc DEI *attributum* de ceteris quoque nos admonet, quorum diſertam quoque notitiam nobis S. Scriptura tradit. Sic DEVM eſſe *a ſe*, *æternum ac immortalem* aſſeritur Eſaj. XLI. 4. XLIV. 6. XLVIII. 12. Rom. XVI. 26. 1 Tim. VI. 16. Eodem pertinet *Incorruptibilitas* Rom. I. 33. 1 Tim. I. 17. Idque exprimitur nomine hebraico יְהוָה, quod a Verbo הוה ſeu היה deductum,

ctum, notat *Ens Entium*, quod ſemper eſt, ac non eſſe non poteſt Exod. III. 14. Apoc. I. 8.

332. *Omnipræſentia* eſt illud DEI Attributum, quo fit, ut omnibus rebus adſit, nec ullo loco aut includatur aut excludatur. Vocatur & *Immenſitas*, quæ omnem DEI limitationem tam ratione Eſſentiæ, quam Intellectus & Potentiæ excludit. Vid. 1 Reg. VIII. 27. Eſaj. LXVI. 1. Jerem. XXIII. 24. Act. XVII. 27, 28.

333. Cum DEVS immenſum habeat Intellectum Pſ. CXLVII. 5. dicitur eſſe *omniſcius*, Job. XXVIII. 24. Novit enim omnia poſſibilia, quæ eſt *ſcientia ſimplicis intelligentiæ*. Novit omnia actualia, præſentia, præterita & futura, per *ſcientiam Viſionis*. In futuris, quæ DEVS novit, ſunt & *Contingentia*, eaque dicitur *Præſcientia*, de qua conſtat partim Exemplis Prædictionum in S. Litteris traditarum, partim ſententiis. Vid. Pſ. CXXXIX. 2. 4. Eſaj. XLI. 22, 23. &c.

334. *Præſcientia* futurorum contingentium nec impoſſibilis eſt, nec rerum Contingentiam tollit. Non illud; quia prima omnium rerum Cauſſa, cujus eſt immenſus intellectus, poteſt omnino omnium rerum nexum, omniumque cauſſarum effectus præſcire. Non hoc; quia Præſcientia in rerum Natura nihil mutat. Si quæ ergo futuræ ſunt neceſſariæ, præſciuntur a Deo, ut neceſſariæ; ſi quæ contingentes, præſciuntur ut tales.

335. Cum dicit S. Scriptura, DEVM facti aut promiſſi *pœnituiſſe* Gen. VI. 6, 7. Num. XIV. 23. ex eventu demum rem *cognoviſſe*, Gen. XXII. 12. fruſtra aliquid *exſpectaſſe* Eſaj. V. 4. aſſerimus, ea, ſicut & cetera ejuſdem generis, *ἀνθρωποπαθῶς*, *humano more*, dicta, ſed Θεοπρεπῶς ſ. modo, qui DEO dignus ſit, intelligenda. Solet enim S. S. ſe ad captum hominum accommodare, quo magis ſit perſpicua §. 283.

336. Bonitas immenſa §. 73. DEO tribuitur Pſ. CIII. 17. & Pſ. CXXXVI. & ubique laudatur. Vocatur *Amor* Joh. III. 16. Rom. V. 8. *Benignitas* & *Humanitas* Tit. III. 4. *Gratia* Eph. I. 6. II. 7. *Miſericordia* Pſ. LXIX. 4. *Longanimitas* 2 Petr. III. 9. *Patientia* Rom. II. 4.

337. *Sapientia* §. 72. DEO perfectiſſima attribuitur Rom. XVI. 27. 1 Tim. I. 17. Rom. XI. 33. Bonitas certa Lege, ſeu per Sapientiam temperata conſtituit *Juſtitiam* §. 74. Ea ergo DEO tribuitur Eſaj. XLV. 21. Jerem. XI. 20. Pſ. LXII. 13. 2 Theſſ. I. 6, 7. *Reddit cuique ſecundum opera ſua*, partim remunerando, partim puniendo, quæ poſterior nonnunquam *Vindicta* vocatur, Luc. XXI. 22. Rom. XII. 19. Apocal. VI. 10. XIX. 2. ex 2 Reg. IX. 7. ſed eodem modo intelligenda, quo cetera affectuum nomina, cum DEO tribuuntur §. 335.

338. *Sanctus* dicitur DEVS, primum ob ſummam Majeſtatem & omnium Virtutum Perfe-

Perfectionem Eſaj. VI. 3. Dein ob voluntatis puritatem, quæ omne vitium excludit, 1 Petr. I. 16. 17. ex Levit. XIX. 2. Hinc DEVS malum nec facere, nec probare poteſt §. 330.

339. DEVS etiam *Verax* ſeu *Fidus* eſt, ita ut nec fallere, nec falli poſſit. Huc pertinet Promiſſorum & Comminationum divinarum certitudo, quam ab una parte Bonitas, ab altera parte Juſtitia DEI producit; Num. XXIII. 19. Rom. III. 4. Hebr. VI. 18.

340. In ceteris hujus Articuli verbis dicitur DEVS *Creator Cœli & Terræ*, i. e. Mundi univerſi. Eo enim modo ſolet S. Scriptura loqui Gen. I. 1. *Creator* dicitur, quia ex Nihilo produxit, utpote Cauſſa omnium Entium §. 10. Hiſtoria Creationis Gen. I. continetur. Adde Hebr. XI. 3. Apocal. IV. 11.

341. *Verbo ſuo* creaſſe DEum omnia, ex allegatis Locis conſtat. Vid. & Pſ. XXXIII. 6. Hoc idem eſt, ac Voluntatis divinæ ſimplex actus, quo omnia producta ſunt, vi Omnipotentiæ DEI, de qua §. 328. ſ.

342. *Tempus*, quo Mundus creatus eſt, dicitur *Principium*, omnium ſcil. rerum, Gen. I. 1. cujus quænam ſit a noſtris temporibus diſtantia, docet *Chronologia.* Hic ſolum notamus, quod ex Calculis Hebræi S. Scripturæ Textus, aliorumque probatorum auctorum a Mundo Condito ad Chriſtum Natum elapſa ſint Secula XL.

343. *Sex dies* placuit DEO impendere Creationis Operi, non quod tempore opus eſſet ad id, quod momento peragere potuit: Sed quod ita vellet, ut diſtinctiorem haberemus de omnium Creatione notitiam, & exemplum quotidiani laboris, quod ſequi poſſimus ac debeamus. Eamque ob cauſam conſtituit DEVS, ut dies cujusvis hebdomadis ſeptimus ſacer eſſet, ac *Sabbatum* haberetur Gen. II. 2, 3.

344. Nihil ergo excipitur ab opere Creationis, quamvis ſingulorum Entium non fiat mentio. Tales ſunt & *Angeli*, de quibus ſæpe agit S. Scriptura. Quid illi ſint docetur Hebr. I. 7. ex Pſ. CIV. 4. Sunt ergo Creaturæ intelligentes, numeroſiſſimæ potentiſſimæque, quarum Miniſterio DEVS in exſequenda voluntate ſua utitur. Vid. Jobi XXXVIII. 4. 7. Dan. VII. 10. Luc. II. 13.

345. Cum illi ſua Natura ſint *Inviſibiles*, poſſunt tamen hominum conſpectui ſe ſubjicere; cujus rei plurima exempla, & V. & N. T. refert. Utrum vero ſubtiliſſima ſint eorum Corpora, quæ nonniſi per Miraculum §. 175. fiant conſpicua; An potius nulla præter ea, quæ pro tempore aſſumant, heic non inquirimus.

346. Quamvis tam diſerte exiſtentiam & naturam Angelorum S. Libri doceant, non deerant tamen inter Judæos, qui illam negarent. Tales erant *Sadducæi*, Act. XXIII. 8.

Tales

Tales & inter Chriſtianos nonnulli, quorum princeps *Balth. Bekkerus*, de quo vid. *Jac. Bruckeri* Hiſt, Crit. Philoſ. T. IV. P. II. p. 712.

347. Non eſt Rationi contraria *exiſtentia Angelorum*, ſed potius probabilis. Nam 1. Ad finem Creationis, ſeu Gloriam Creatoris id maxime pertinet, ut ſint Homine præſtantiora Entia, a quibus DEVS plus glorificatur, quam ab hominibus. 2. Cum Terra plena ſit incolis, credibile non eſt Cœlum vacuum. 3. Gradationem aliquam omnium rerum obſervamus, cujus ſummum eſſe Caput hominem, nec inter eum ac DEVM aliquid intermedium haud videtur.

348. Certam vero eam rem facit S. Scriptura §. 344. Nomen ipſum Miniſterium potius eorum, quam Naturam exprimit. Sunt *in Cœlo*, *& intuentur faciem DEI*, Matth. XVIII. 10. Gaudent ob Peccatoris Converſionem, Luc. XV. 10. Sunt *immortales*, Luc. XX. 36.

349. Eorum potentia maxima, ſed tamen limitata eſt Hebr. I. 14. Intellectus quoque eſt limitatus, Dan. VIII. 16. Marc. XIII. 32.

350. Sunt eorum quædam Genera, & quædam ſubordinationes. Hinc nomina. Quidam dicti *Cherubim* Gen. III. 14. Alii *Seraphim* Eſaj. VI. 2. Sic unus eorum *Gabriel* Luc. I. 26. Alius *Michael* Jud. ℣. 9. Eſt & *Archangelus*, 1 Theſſ. IV. 16. Eodem refer-

refertur a plerisque Coloſſ. I. 16. ut putetur ibi diverſa Angelorum genera indicari.

351. Interim monendum, ultra id, quod in S. Litteris ſcriptum, non eſſe progrediendum, Coloſſ. II. 18. Neque ex Act. XII. 15. Matth. XVIII. 10. Gen. XLVIII. 16. eſſe colligendum, cuivis homini *Angelum Cuſtodem* adſignatum.

352. Sunt & alii *Boni*, qui nonniſi quod Bonum eſt volunt & agunt; hinc dicuntur *Sancti* Matth. XXV. 31. *Electi* 1 Tim. V. 21. Alii *Mali*, qui *Angeli Diaboli* Matth. XXV. 41. *Dæmones*, Matth. VIII. 31. &c. *Peccatores* 2 Petr. II. 4. dicuntur. Eorum eſt Princeps *Diabolus* ac *Satanas* Eph. VI. 11. 1 Petr. V. 8. Matth. IV. 5. &c.

353. Cum DEVS nil niſi Bonum creaverit Gen. I. 31. quæri debet; unde ergo *Mali Angeli?* Id vero docet S. Scriptura 2 Petr. II. 4. Jud. ℣. 6. 1 Joh. III. 8. Joh. VIII. 44. Pravitatem ſuam Diabolus exſeruit in homine primo ſeducendo Gen. III. 5. collat. cum Apocal. XII. 9. XX. 2. in tentando *Jobo*, Job. I. & II. vexando *Saule*, 1 Sam. XVI. inſtigandis *falſis Prophetis* 1 Reg. XXII. 21.

354. In N. T. aggreſſus ipſum *Chriſtum*, Matth. IV. *Hominibus* inſidiatur Epheſ. VI. 11. 1 Petr. V. 8. Quoſdam ita poſſedit, ut *Dæmoniaci* dicerentur, aut *Δαιμονιζόμενοι*, Matth. IV. 24. &c. quos ita afflictos a Dæmone docemur, ut Melancholia, Furore, Mania & Epileptico aliiſque Malis labora-

borarent. Id cum ex certiſſimis hiſtoriarum ab Evangeliſtis narratarum circumſtantiis intelligimus, tum ex Act. X. 38. ubi tales dicuntur, *in quos Diabolus ſuam potentiam exerceret.*

355. Errant ergo graviſſime, immo peccant in reverentiam Chriſto & Apoſtolis debitam, qui eos ad quendam Judæorum errorem ſeſe accommodaſſe credunt, quo illi falſo opinabantur, *Morbos*, quos ſanare non poſſent, pro Dæmonis poſſeſſione habendos.

356. Talis enim accommodatio, in rebus ad Religionem pertinentibus, vitio non careret, ac erroris approbationem & confirmationem in ſe haberet.

357. Porro *Ejectio Dæmonum* inter argumenta divinæ Miſſionis recenſetur, & a *Morborum Cura* diſtinguitur: Loca vide Matth. X. 1. Marc. XVI. 17. Luc. XIII. 32. Lege *Joh. Grynæi* Diſſert. Opuſculorum p. 92. & *Stackhouſe* Defence du ſens litteral de l'Ecrit. S. Cap. XI. &c.

358. Quamvis non temere credendum ſit, tales adhuc inveniri, ſcimus tamen primis poſt Evangelium annunciatum Sæculis eos haud defuiſſe. De iis agunt Scriptores Eccleſiaſtici, quos allegatos invenies apud Suicerum Theſaur. Eccl. Voc. ἐνεργέω, ἐνεργούμενοι.

359. Noſtra imprimis refert, nos ipſos probe noſſe. Hinc *Creatio Hominis* diligentius

tius conſideranda eſt. Ea deſcribitur, Gen. I. 26, 27. & II. 7. Notatur 1. tempus, ſcil. *dies ſextus* a Principio Creationis. 2. Modus, dum Vir, *Adam* nomine, corpore ex Terra deſumto, dein Mulier, חַוָּה ſ. *Eva*, ex Viri Coſta producta eſt, Gen. II. 21. ſ. III. 20.

360. Sicut autem Deus per Creationem Mulieris ex Coſta Viri efformandæ indicavit conjunctionem animorum, quæ inter Conjuges eſſe deberet; ſic Hominem primum ex Gleba terræ producendo admonuit, ne ſuperbiret, ſed humilis ſuæ originis memor eſſet. Conf. Gen. III. 19.

361. Sed præter *Corporis* formationem commemorat Moſes *Animam* homini datam, ac *Inſpiratione*, id eſt, absque Materia per immediatam DEI operationem productam, Gen. II. 7. Unde intelligitur Eſſentia Animæ a Corpore diſtincta, ob quam illa *Spiritus* Eccl. XII. 9. & DEVS *Pater Spirituum* Hebr. XII. 9. appellatur.

362. *Animæ* ergo *humanæ* ſunt *immortales*; Cum enim de morte hominis agitur Gen. II. 17. tantum de eo, quod ex pulvere formatum, id eſt, de Corpore agitur. Diverſa quoque utriusque partis ſors notatur Eccl. XII. 9. & Matth. X. 28. Luc. XX. 36. Conf. §. 136. ſ.

363. Porro dicitur *Homo ad Imaginem DEI* creatus, Gen. I. 27. IX. 6. Non certe quoad *Corpus*: DEVS enim haud corporalis, quia *immenſus* §. 332. Ergo quoad *Animam*. In ea 1. ſpectanda *eſſentia ſpiritualis*

§ 361.

§. 361. deinde perfectio illarum facultatum, quæ ſpiritui ſunt propriæ; Intellectus, per *Cognitionem* Coloſſ. III. 10. Voluntas *recta* & *ſancta*, Eccl. VII. 29. Eph. IV. 24.

364. Inde Homo appellatur *Δόξα Θεοῦ*, *Gloria DEI* Rom. III. 23. Nec DEI Bonitas permittebat, ut alium crearet hominem, quam rectum, & omnibus iis præditum perfectionibus, quibus ad eum glorificandum cum propria felicitate aptus redderetur. Hic quoque appellatur *Status Integritatis* ſeu *Innocentiæ.*

365. Conſtat etiam hoc ad Imaginem DEI in Homine pertinuiſſe, quod *Dominium* in Creaturas inferiores ei conceſſum fuerit, Gen. I. 26. 28. ſ. Pſ. VIII. 7. 8. 9. Id Dominium in eo conſiſtit, quod hominem vereri, eique Cibum & alia commoda ſubminiſtrare deberent. Hinc ſequitur Homini jus datum eſſe, Creaturis illis modo rationali utendi, ita tamen, ut Creatori ipſi de ea re gratiam perpetuam debeat.

366. In Statu Integritatis homo *Beatus* fuit. Nihil enim vel Corpori vel Animo ad Beatitudinem deerat, ut ex præcedentibus colligitur. Hinc & erat *Immortalis.* Nam Anima per ſe talis eſt; Corpus vero vita privari non poterat, niſi homo *peccaret* § 74, 75. Idem conſtat ex Gen. II. 17. Rom. V. 12. VI. 23.

367. *Peccare* autem, ſeu a Scopo Creationis deficere homo potuit. Erat enim *mutabilis*,

bilis, 1. quia liber §. 93. 2. quia dotes, quamvis, eximiæ §. 363. nondum ad eam perfectionem perductæ fuerunt, ut non & augeri & minui poſſent.

368. *Peccatum* in neglectu Legum divinarum conſiſtit §. 125. 1 Joh. III. 4. *Leges* autem DEVS homini præſcripſit primum *Naturales*, §. 124. Sunt enim iſtæ æternæ: dein & Legem peculiarem ſeu *poſitivam*, quippe quæ ex mero DEI arbitrio profluxit, interim nec a Statu hominis primævo aliena, nec obſervatu difficilis fuit, & ad quam obſervandam homo Lege naturali obligabatur.

369. Ea *Lex poſitiva* fuit Abſtinentia a fructu *Arboris Cognitionis Boni & Mali*, quam DEVS in *Paradiſo*, prima hominum ſede, collocaverat, Gen. II. 16. 17. Cur illa Arbor ſic dicta, ſub judice lis eſt. Quid ſi ab uſu ejus ad explorandos Protoplaſtos, atque ex eventu, quo adepti ſunt cognitionem diſcriminis inter Bonum & Malum, cujus antea expertes fuerunt, nomen illi inditum dicamus?

370. De jure Creatoris in Creaturam, quo ille huic Legem & Naturalem & Poſitivam præſcribere poteſt, dubitabit nemo. Illud diſceptatur; an talem præſcribere debuerit, quam prævideret hominem violaturum eſſe? Sed omnino potuit, 1. quia talem præſcripſit, quam homo facile ſervare poſſet §. 368. Quid enim facilius, quam in tanta copia unius arboris fructu abſtinere? 2. Præſcientia

rerum

rerum Contingentiam non tollit, neque adeo hominis libertatem, §. 334.

371. Præcepto addidit DEVS *Comminationem Mortis*, Gen. II. 17. tanquam Motivum Obedientiæ §. 129. Neque eo ſecius homo peccavit, quoniam potentiora apud ipſum fuerunt Motiva Inobedientiæ. Id vocatur *Lapſus Hominis*, cujus Hiſtoria exſtat Gen. III.

372. Motiva iſta Inobedientiæ ſuggeſſit *Satanas* ſeu *Diabolus*, ſub ſpecie *ſerpentis* latens, cujus rei diſertum argumentum eſt Joh. VIII. 44. Apoc. XII. 9. XX. 2. Cum dubiam reddidiſſet divinam Mortis comminationem, cœpit ſpem facere majoris boni conſequendi, ſi de fructu Arboris vetitæ comederet. Acceſſit appetitus ſenſitivus ipſius fructus aſpectu irritatus. Sic initium peccandi ab Incredulitate ortum, mox voluptatis & majoris cujusdam Boni imaginatio id ad finem perduxit.

373. Lapſus iſte ſicut hominem Integritate ſua, ita & Felicitate illa primæva exuit. Inde cœpit eſſe *miſer*. Nec ipſe tantum Adam & Eva; ſed & omnes, qui per ordinem naturæ ex illis eſſent orituri. Ea depravatio appellatur *Peccatum Originale*, conſiſtitque in omnibus illis funeſtis Peccati primi ſequelis, quibus nunc Homines obnoxios eſſe videmus.

374. Talis eſt *corruptio* Facultatum Intellectus & Voluntatis, adeoque *jactura Imaginis divinæ* §. 363. Vid. Gen. VI. 5. VIII. 21.

Pſ. LI. 6. 7. Job. XIV. 4. Matth. XV. 19. Joh. III. 6. Eph. II. 3. Eodem pertinet *Mors*, cui ab eo tempore omnes homines obnoxii, Rom. V. 12. Et *æternum exitium*, quoniam Peccator, niſi aliqua Ratio ſufficiens, nexum illum neceſſarium inter peccatum & pœnam tollendi, intercedit §. 134. beatus reddi non poteſt.

375. Cum DEVS omnia creaverit, ſeu omnibus, quæ ſunt, exiſtentiam dederit, intelligitur, Illum *voluiſſe, ut exſiſterent.* Videmus autem easdem res exſiſtentes aliquamdiu perſeverare; quod non aliunde, quam ab eadem DEI *Voluntate* oritur. Illa DEI actio, qua fit, ut res exſiſtentes aliquamdiu pergant eſſe, appellatur *Conſervatio* rerum. DEVS ergo ea, quæ creavit, etiam conſervat.

376. Res, quæ exſiſtunt, haud ſunt otioſæ, ſed varias edunt actiones. Cumque hæ actiones ſecundum Leges a DEO initio Creationis poſitas edantur, per Facultates Creaturis conceſſas; poſſitque DEVS, ſi velit, per miraculum eas Leges inhibere aut ſuſpendere ac immutare; hinc recte dicitur Res *gubernare*.

377. Duo illi Actus DEI circa Creaturas, *Conſervatio* & *Gubernatio*, conſtituunt DEI *Providentiam*, de qua §. 67. & ſeq. Eandem S. Scriptura omnibus paginis inculcat, præcipue Jobi XXXVIII-XL. Pſ. XXXIII. 13-15. CIV. Matth. VI. 26. X. 29. 30.

378.

378. Quemadmodum DEVS omnibus rebus ſuam dedit Naturam, ſic & omnia ſuæ Naturæ convenienter conſervat, & regit. Ergo & Entia intelligentia ac libera. Providentia ergo DEI non tollit, nec phyſica quadam vi impedit hominum *Libertatem* §. 95-97.

379. Hinc S. Scriptura actiones Creaturarum rationalium ſeu bonas ſeu malas ita ad DEVM refert, ut nihiloſecius homines *auctores* eſſe doceat; quapropter & eis *imputari*. Vid. Gen. XLV. 7, 8. L. 20. Act. IV. 28. 2 Sam. XVI. 10, 11. &c. Si quæ Loca videantur peccatorum effectorem indicare, ea improprie de permiſſione, non de effectu intelligenda ex ipſa rei natura diſcimus. Conf. §. 87.

380. Doctrinæ hactenus propoſitæ, qualem habeant in Praxi *Uſum* facile intelligitur, ſi ad ſequelas illarum attendamus. DEI exſiſtentia neceſſitatem *Cultus* infert. *Patris* appellatio neceſſitatem honoris & obedientiæ, nec non fiduciæ in ipſum declarat, Malach. I. 6. Matth. V. 44, 45. VI. 8. VII. 9-11. Pſ. CIII. 13. &c.

381. Ex Virtutum & Attributorum DEI conſideratione cum *Regulæ* vivendi, tum *Motiva* ad Virtutes hominibus ſuppeditantur 1 Petr. I. 16, 17. Matth. V. 48. Creatio pariter ac Providentia Perfectiones DEI, ac potiſſimum Potentiam, Sapientiam, Bonitatem illuſtrant, ac pietatis & obedientiæ rationes ſuppeditant.

382. Hominis *Creatio* originem ipſius; *Lapſus* Hiſtoria originem peccati ac Miſeriæ pandit. Utrumque anxie jam olim Philoſophia inquiſivit, ſed fruſtra. Senſus autem *Miſeriæ* & Metus æterni exitii neceſſitatem *Remedii* indicat, deſideriumque excitat. Nec abeſt ſpes, DEVM, qui ſolus poteſt, tale *Remedium Miſeriæ* Hominibus ſuppeditare voluiſſe, propter infinitam Bonitatem, cui & illud attribuitur Joh. III. 16. De quo jam videbimus.

CAPVT X. *Articulus Symboli* II. *de J. C. Filio Dei.*

383. Articulus Symboli II. hic eſt: Credo *& in JESVM CHRISTVM, Filium ejus Unigenitum, Dominum noſtrum.* Secundam hic Articulus S. Trinitatis perſonam deſcribit, ac ad Opus Redemptionis declarandum viam parat. Diſtincte ergo hic conſideranda ſunt Nomina & Prædicata. 1. JESVS. 2. CHRISTVS. 3. Filius DEI. 4. Unigenitus. 5. Dominus noſter.

384 Nomen, JESVS, nonnulli imperite ex græco ʼιάομαι, *ſano*, derivarunt (*a*). Conſtat enim illud ex hebraica dialecto ortum, in qua verbum ישע *ſalvum fecit*, ſignificat. Inde nomen יהושע & ישוע & ultima abjecta ישו & cum terminatione græca Ἰησοῦς, lat. JESVS dicitur. Nomen ergo hoc *ſalvatorem* ſeu σωτῆρα ſignificat.

385.

(*a*) Vid. *Suiceri* Theſaur. Eccleſ. Voc. Ἰησοῦς.

385. Ratio hujus Nominis ab Angelo Nativitatem Jeſu annunciante indicatur Matth. I. 21. Inde conſtat, nomen eſſe præſtantiſſimum, quod nunquam ſine veneratione nec pronuntiandum nec audiendum ſit. Id etiam indicatur Act. IV. 12.

386. *Neceſſitas ſalvatoris* ex Peccato enata eſt. Nam cum Protoplaſti peccaverint §. 371. cumque per peccatum & ipſi & omnes eorum Poſteri Miſeriæ obnoxii facti ſint § 373. Non potuerunt ſalutem adipiſci, niſi Ratio aliqua ſufficiens adeſſet, quæ Nexum, alias neceſſarium §. 133. inter peccatum & pœnam tolleret §. 374.

387. Ille ergo Salvator Hominum eſſe potuit, qui hanc adferret Rationem. Nam ſublato Nexu illo neceſſario inter Peccatum & Pœnam dicitur facta *Peccatorum expiatio* 1 Joh. II. 2. Hominesque conſequuntur Veniam ſeu *Remiſſionem Peccatorum*, Act. X. 43. add. 2 Cor. V. 18-21.

388. Primum vero, quod hic, ut certum ſtatuitur, eſt, JESVM exſtitiſſe, id quod & ſacris & profanis Hiſtoriis ac Teſtimoniis conſtat. Idem extra omnem dubitationis aleam ponit ipſa Religionis Chriſtianæ exiſtentia, quæ nulla omnino eſſet, niſi JESVS CHRISTVS in Terris vixiſſet.

389. CHRISTVS autem is dictus eſt, a verbo græco χρίω, quod idem ac hebraicum משח, *unxit*, ſignificat, Inde idem dictus משיח, ſeu ut Græci & Latini ſcripſerunt *Meſſias*.

 Vid.

Vid. Joh. I. 42. IV. 25. Inde JESVS CHRISTVS, idem eſt ac JESVS, ille qui & fuit CHRISTVS, ſeu Meſſias.

390. *Unctus* autem Salvator hominum non proprio ſenſu, & corporali unctione; ſed per Metaphoram, ob deſtinationem & inaugurationem ad *triplex Munus*, in quo apud veteres Hebræos *Unctio* uſitata erat Ungebantur enim *Prophetæ*, 1 Reg. XIX. 16. *Sacerdotes*, Levit. IV. 3. VIII. 12. & Reges, 1 Sam. X. &c.

391. Nomine ergo *Uncti*, ſeu CHRISTI & *Meſſiæ*, ſignificatur JESVM 1. *deſignatum* ad illa Munera, quæ Salvator hominum peragere deberet, *Prophetæ*, *Sacerdotis & Regis*. 2. *Collationem dotium* ad illud Triplex Munus neceſſariarum, Illud indicatur Hebr. V. 4, 5. Act. XVII. 31. Hoc Joh. III. 34. Act. X. 38.

392. Quænam vero fuerint illa Prophetarum, Sacerdotum & Regum Munera, cum ex nominibus, tum ex Libris V. T. diſcimus. *Prophetarum* erat docere, hortari, conſolari, idque ex divina auctoritate fieri idoneis rationibus comprobare. Id & Chriſtus fecit 1. per ſe ipſe, dum in Terris fuit. 2. per Apoſtolos. 3. Per Spiritum S. in ſuos miſſum.

393. *Sacerdotum* erat ſacrificare & orare. Utrumque fecit JESVS. Nam ſacrificavit ſeipſum, Hebr. VII. 26, 27. atque ita pro peccatis hominum ſatisfaciendo ſolvit λύτρον, Matth.

Matth. XX. 28. Marc. X. 45. ἀντίλυτρον, 1 Tim. II. 6. redemitque nos proprio Sanguine 1 Petr. I. 18. Porro & oravit pro hominibus, Joh. XVII. & intercedit adhuc, Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25.

394. *Regum* eſt Regnum obtinere, idque Legibus & Imperio regere, ac ab hoſtibus defendere. Sic fecit, ac facit JESVS. Regnum ſibi comparavit; ſed quod non eſt de hoc Mundo, Joh. XVIII. 36. ſcilicet Eccleſiam, de qua ſuo loco. 2. Leges dedit Regno ſuo, nimirum Verbum Evangelii; & Spiritus S. imperio regit. 3. Defendit adverſus omnes Eccleſiæ hoſtes, eosque aut jam ſuperavit, aut ſuperabit, 1 Cor. XV. 25.

395. Conſtat inter Judæos & Chriſtianos, *Meſſiam* a DEO olim *promiſſum*, ejusque Promiſſionis plenos eſſe Libros Moſis & Prophetarum. Illud autem inter utrosque quæritur, venerit ne jam ille, annon venerit; ſique venerit, ſitne ille JESVS, de quo loquimur? Affirmant Chriſtiani, negant Judæi.

396. Quid ſit ſentiendum, non aliter certius cognoſci poterit, quam 1. ſi inquiratur, quando venturum, qualem quibusque circumſtantiis prædicant: 2. Si in Hiſtoriis animadvertatur, num ea in JESVM noſtrum conveniant. Tum enim intelligetur, illum eſſe Meſſiam, nec alium exſpectandum.

397. Eſt & alia ratio idem probandi, ſi ſcili-

cet JESVM videamus, pro *Meſſia* ab omnibus haberi voluiſſe, a multis etiam pro tali habitum eſſe, & adhuc haberi. Ille enim non modo de ſe interpretatus eſt Oracula Prophetarum, Luc. XXIV. 44-47. &c. ſed & *Miraculis* aliisque argumentis idem comprobavit, ac poſt mortem reſurrexit. Nec ulla eſt rationabilis cauſſa, de veritate illarum Hiſtoriarum, quibus hæc traduntur, dubitandi §. 244.

398. Sed quod ad prius argumentandi genus pertinet §. 396. JESVM Nazarenum, illum qui tempore Auguſti & Tiberii, Imperatorum Rom. in Judæa vixit, vere *Meſſiam* fuiſſe, docet nos 1. *Tempus*, quo ſecundum Vaticinia hic naſci debuit: 2. *Locus* Nativitatis: 3. *Genus*. 4. Ea, quæ adventum ejus confeſtim eſſent *ſecutura*.

399. De *Tempore* venturi Meſſiæ vid. Gen. XLIX. 10. Dan. IX. 24. Malach. III. 1. Agg. II. 6-9. *Locus* Nativitatis, Mich. V. 1. *Genus*, ex Abrahamo, Gen. XII. 3. per Judam, Jacobi filium, Gen. XLIX. 10. & Davidem Regem Eſaj. XI. 1.

400. Quæ vero ſequi debeant iisdem aliisque pluribus vaticiniis indicatur; ſcilicet multarum Gentium ad verum unius DEI cultum converſio, Idololatriæ paſſim futura deſtructio, Politiæ Judaicæ Finis &c.

401. Cum ergo JESVS ſit Chriſtus, inde factum, ut quicunque eum ſecuti ſunt, dicerentur *Chriſtiani*, utpote Unctionis ejus certo modo

modo participes, 2 Cor. I. 21, 22. 1 Joh. II. 20. 27. Unde & fluit officium, ut reipſa ſtudeamus eſſe, quod dicimur, ne *nomen fruſtra nobis vindicemus alienum.*

402. Credimus porro JESVM Chriſtum eſſe *Filium DEI.* Ita eum in S. Scriptura ſæpiſſime appellari notum eſt. Sic & Meſſias in V. T. deſignatus eſt Pſ. II. 7. Eſaj. IX. 6. Et inter Judæos olim idem Meſſiæ & Filii DEI nomen, Matth. VIII. 29. Joh. I. 50. XI. 27.

403. Idem dicitur *Unigenitus*, Joh. I. 14, 18. III. 16, 18. 1 Joh. IV. 9. &c. quamvis & *Angeli* dicti Filii DEI, Job. I. 6. & *pii homines*, Joh. I. 12. quoniam eo modo, quo Chriſto, nulli alii Enti convenit illud Nomen Filii DEI. Inde διαφορώτερον ὄνομα, *præſtantius eminentiusque Nomen ſortitus* eſt Hebr. I. 4.

404. Cauſſæ ejus appellationis ſunt 1. Conceptio de Spiritu S. & Nativitas ex Virgine, Luc. I. 35. 2. Reſuſcitatio, qua Pater eum ex morte ad novam vitam veluti genuit, Act. XIII. 33. 3. Ob miſſionem in Mundum, Joh. X. 36. Sed præcipua & maxime propria omnium cauſſarum eſt *Generatio ejus* ab æterno facta, de qua Pſ. II. 7. Hebr. I. 5. ubi *Hodie* ſignificat rem in æternitate factam, quoniam in DEO nulla ſucceſſio temporum ac dierum, ſed mera æternitas.

405. Ex illa *Generatione* Filius Patri dicitur ὁμοούσιος, *Conſubſtantialis*, ſeu ejusdem cum

illo Eſſentiæ. Id indicatur Joh. V. 26. X. 30. Hinc & *Patrem* ſuum ἴδιον, *proprium* DEVM appellat, Joh. V. 18. & ipſe *proprius* DEI *Filius* appellatur, Rom. VIII. 32. Quod nec aliter fieri poteſt, cum *Unus* ſit DEVS §. 324. & tamen *Filius* æque ac *Pater* DEVS ſit, & dicatur.

406. Id ex eo conſtat, quod in Chriſto *duæ Naturæ*, divina ſcilicet ac humana, diſtincte commemorantur, Rom. IX. 5. Phil. II. 6. ſ. Illa dicitur *de cælo* deſcendiſſe, Joh. VI. 33. 38. 51. 62. XVI. 27, 28. Eph. IV. 9. Ejus etiam reſpectu λόγος, *Verbum* DEI nominatur Joh. I. 1. quod nomen in antiqua Judæorum Theologia jam uſitatum fuiſſe ex Targumim conſtat.

407. Ejuſdem *Naturæ divinæ* reſpectu dicitur *exſtitiſſe*, ante quam homo ipſe naſceretur. Fuit ante Johannem Baptiſtam, Joh. I. 15, 27. Ante Abrahamum, Joh. VIII. 58. ante Diluvium, 1 Petr. III. 18-20. Interfuit Creationi Mundi, Joh. I. 1-3. Hebr. I. 2. 8-12. Col. I. 15. ſ. Æternus eſt, Apoc. I. 11.

408. Porro Filium DEI & ipſum DEVM eſſe, & quidem verum, ac proprie ſic dictum, conſtat ex illo *Nomine*, quod Ei absque limitatione & in ſumma Emphaſi tribuitur. Vid. 1 Tim. III. 16. Act. XX. 28. & cum Articulo, cui nonnulli hac in parte majorem Emphaſin ineſſe putant, Matth. I. 23. Joh. XX. 28. 1 Joh. V. 20. ubi & *verus* DEVS, ſicut Rom. IX. 5. DEVS *ſummus* dicitur.

409. *Perfectiones* DEO propriæ de Filio DEI aſſertæ aliud conſtituunt argumentum. Huc pertinet *Æternitas* §. 404. *Omnipotentia*, Apoc. I. 8. Joh. V. 17. Hebr. I. 3. *Omniſcientia*, Joh. II. 24. XXI. 17. Apoc. II. 23. Tertium Argumentum ex *Operibus* divinis ducitur. Talis eſt *Creatio* Joh. I. 1-3. Hebr. I. 1-10. Col. I. 16. *Redemptio*, de qua deinceps; *Judicium* univerſale, Joh. V. 22. Act. XVII. 31. Unde & *Cultus religioſus* illi debitus, Adoratio Hebr. I. 6. Pſ. II. 12. Joh. V. 23. Phil. II. 9, 10. Act. VII. 59, 60.

410. Additur tandem in Symbolo, nos credere in Chriſtum, *Dominum noſtrum*. Iſtud eſt nomen Poteſtatis ſummæ, qua ille in nos pollet: Vid. Malach. III. 1. 1 Cor. XV. 47. Joh. XIII. 13. XX. 28. Phil. II. 11. Adde 2 Petr. II. 1. Jud. ℣. 4. ubi non modo κύριος, ſed & δεσπότης appellatur.

411. Dominus autem dicitur non modo, ut DEVS, & Creator; ſed imprimis ut *Redemtor*, quia per illam Redemtionem homines ſibi acquiſivit, 1 Petr. II. 9. Apoc. V. 9. Adde §. 393. & loca ibi citata. Unde & Pater Redemtos ei dedit, Pſ. II. 8. Joh. XVII. 6. quos propterea Chriſtus ſuas oves appellat, Joh. X. 14.

412. Dominium illud ſibi jam propoſuit David Pſ. CX. 1. Meſſiam Dominum ſuum vocans. Conf. Matth. XXII. 44. Interim illud potiſſimum declaratum eſt, poſt Reſurrectionem, Matth. XXVIII. 18. & manifeſtius

ſtius adhuc poſt Adſcenſionem in Cœlum, Act. II. 36. Eph. I. 20-22. Phil. II. 9-11. de qua re poſtea pluribus.

413. Nihil eſt, quod melius noſtrum Officium erga Jeſum exprimat, quam quod ille Dominus noſter dicitur: *Obſequium* ſcilicet Voluntati, & *Fiduciam* potentiæ ejus præſtandam. Utrumque enim ex Dominii notione fluit. Nam Domini eſt ſuis imperare, eosque tueri &c.

CAP. XI. *Art.* III. *de Incarnatione Filii Dei.*

414. Articulus III. Symboli de Conceptione & Nativitate Filii DEI agit. Sic enim habet: *Qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.* Argumentum igitur hujus Articuli eſt *Incarnatio Filii DEI*, cujus conſideranda 1. Neceſſitas. 2. Modus. 3. Fructus.

415. *Neceſſitas* 1. patet ex prædictionibus Prophetarum, quæ eventu comprobari debuere. Vid. Eſaj. VII. 14. IX. 5. Zach. II. 14. coll. cum Joh. I. 14. Eodem perſinet promiſſum *Semen Mulieris,* Gen. III. 15. *Abrahæ & Patriarcharum*, *Filius Davidis*, §. 399. Fuit verus homo, & anima & corpore nobis ſimilis Hebr. II. 16, 17. Phil. II. 7, 8.

416. *Neceſſitas* eadem 2. patet ex ipſa rei natura. Cum enim deberet redimere homines a peccatis, & pœna peccatorum §. 386. Pœna

Pœna vero peccatorum erat Mors, §. 371. Oportebat ergo illum mori, qui Homines redemturus erat, Hebr. IX. 22. Mori autem, niſi homo, non potuit.

417. *Modus* deſcribitur 1. per *Conceptionem*, quæ *Spiritui S.* tribuitur, Luc. I. 35. Ejus ſupernaturalis Actus ratio fuit, quod Redemtor hominum *ſanctus* & *innocens* eſſe debebat, Hebr. VII. 26. quod & ipſa res requirebat, cum peccator ne pro ſuis quidem peccatis, nedum pro alienis, potuiſſet ſatisfacere. Omnes autem ordine naturæ naſcentes ſunt peccatores §. 369.

418. Idem 2. deſcribitur per *Nativitatem*, quæ facta *ex Maria Virgine*. Ea ergo *Maria* fuit Mater Meſſiæ, ex Tribu Judæ & Domo Davidis oriunda, Matth. I. 1-16. Luc. III. 23. ſ. Hebr. VII. 14. Fuitque *Virgo*, Eſaj. VII. 14. Matth. I. 23. Luc. I. 34. ut in Nativitate Meſſiæ omnia eſſent præter Naturam.

419. Sic igitur *Verbum*, ſeu Filius DEI, *caro factum*, Joh. I. 14. non per Mutationem divinæ Naturæ in humanam, nec per confuſionem utriusque Naturæ in unam, quæ & a Ratione & a S. Scriptura ſunt aliena. Neque etiam per meram Phantaſiam aut apparitionem, ſed vere, Corpus, non Cœlo deductum, ſed a Spiritu S. in utero B. Virginis, ex ejus ſubſtantia formatum, cum Anima humana *aſſumſit*, atque ſic una ex duabus Naturis facta Perſona eſt, quæ appellatur *Unio Perſonalis.*

420.

420. *Fructus* Incarnationis Filii DEI eſt, quod talem conſecuti ſumus Redemtorem, qualem eſſe oportebat, 1 Tim. II. 5. Hebr. II. 10-17. Hinc 1. confirmatur Fides noſtra, & fiducia augetur. 2. Magnitudinem divinæ benignitatis intelligimus, dum *Pater proprio Filio non pepercit*, Rom. VIII. 32. *Filius ſeipſum ad tantam humilitatem demiſit*, Phil. II. 7. 3. Quantæ debeantur utrique Gratiæ videmus, quod majus nihil Hominibus a DEO tribui potuiſſet.

CAP. XII. *Art.* 4. *de paſſione Chriſti.*

421. Articulo IV. Chriſtus dicitur *paſſus ſub Pontio Pilato*, *crucifixus*, *mortuus & ſepultus*, *deſcendiſſe ad Inferos.* Complectitur IV. Capita; Paſſionem, Mortem, Sepulturam & Deſcenſum ad Inferos.

422. De *Paſſione* cogitandum eſt, quis, quando, quo modo & quo fine? paſſus ſit. Eæ enim quæſtiones totum hoc negotium exhauriunt.

423. *Quis* paſſus ſit ex antecedentibus intelligitur: Jeſus ſcilicet Chriſtus, ex divina & humana Natura conſtans, Θεάνθρωπος, ſeu DEVS cum Homine unitus. Quamvis enim ſolus Homo paſſioni obnoxius, DEVS tamen cum Homine unitus efficiebat, ut ea Paſſio non unius hominis eſſet, ſed DEI pariter & Hominis.

424. Id vero Redemtionis natura requirebat.

bat. Non enim ea eſt nudi hominis opus, Pſ. XLIX. 8, 9. Sed DEI opem requirit, cum ut homo confirmaretur, ac in paſſionibus perdurare poſſet; tum ut paſſionibus ejus infinitum adderetur pretium, quod ſufficeret ad peccata totius Mundi expianda, 1 Joh. II. 2.

425. Ad quæſtionem; *quando* ſit paſſus Chriſtus, reſpondetur ex Symbolo: *Sub Pontio Pilato.* Fuit is procurator Cæſaris ſub Tiberio Imperatore in Judæa, cujus præter Evangeliſtas mentionem facit *Corn. Tacitus* & *Fl. Joſephus*, ille Annal. L. XV. 44. hic in Antiquit. Jud. XVIII. 3. & B. J. II. 9. Quod ideo notandum, ut de certitudine Hiſtoriæ Evangelicæ tanto firmius conſtet.

426. *Quomodo* paſſus ſit Chriſtus docet Hiſtoria Evangelica Matth. XXVI. & XXVII. cum quo conferendi ceteri Evangeliſtæ. Notatur imprimis, paſſiones fuiſſe 1. graviſſimas: 2. externas pariter & internas: 3. ſpontaneas, quo & pertinet Matth. XX. 20. Philipp. II. 6-8. Joh. V. 26.

427. *Fines* paſſionis Chriſti varii ſunt. Sed eorum præcipuus, *Redemtio* noſtra per *reconciliationem* cum DEO. Vid. Rom. V. 10. 2 Cor. V. 18, 19. Coloſſ. I. 20. Idque factum per λύτρον, *pretium*, de quo ad Artic. II. §. 393. nec non per ἱλασμὸν, *propitiationem*, 1 Joh. II. 2. Rom. III. 24. Ceteri ſunt, exemplum Patientiæ, demonſtratio Amoris divini, confirmatio doctrinæ, &c.

428. Paſſioni additur *Crucifixio.* Id genus ſupplicii ex antiquis auctoribus notum, ignominiam & dolorem inſignem adferens, prædictum Pſalm XXII. 17, 18. Typo Serpentis ænei adumbratum, Num. XXI. 8. Joh. III. 14. maledictum Deut. XXI. 22, 23. Galat. III. 13.

429. In Cruce ergo Chriſtus *mortuus eſt*, & quidem vere, non tantum apparenter, per δόκησιν aut φαντασίαν. Sic ergo ſeparata eſt anima a corpore, & unio inter eas hominis partes ſoluta, in qua vita hominis conſiſtit. Nam veritas Mortis Chriſti eſt ſalutis noſtræ firmiſſimum fundamentum.

430. Additur: *Sepultus eſt*, ſcilicet, quoad Corpus; quod more Veterum cum Aromatibus linteo involutum, & in caverna in rupe exciſa illatum eſt, ibique depoſitum. Introitus ſaxo advoluto clauſus, & inimicorum ſtudio obſignatus, ac cuſtodia militum ſeptus eſt, ne ex eo loco auferretur.

431. Tandem & quoad animam Chriſti dicitur: *Deſcendit ad Inferos:* verbis deſumtis ex Pſalm. XVI. 10. quæ allegantur Act. II. 31. Id ad veritatem ac certitudinem mortis Chriſti aſſerendam pertinere indicavit Auguſtinus ad Evod. Ep. 99. *Quis ergo*, inquit; *niſi infidelis, negaverit, fuiſſe apud Inferos Chriſtum.*

432. Varie quidem illa verba explicantur. Nam alii per *Inferos* intelligunt, locum ſubterraneum, quem appellant *Limbum Patrum*

Patrum, in quem deſcenderit, ut Animas Piorum ante ſuum adventum mortuorum liberaret. Alii in ipſum locum damnatorum delatam Chriſti animam ferunt, ut ibi victoriam ſuam oſtentaret, ac de Dæmonibus triumpharet.

433. Sed neutrum admitti poteſt. Nam nec Limbus Patrum usquam datur, nec Animæ piorum V. T. beatitudine tamdiu caruerunt. In loco damnatorum Anima Chriſti non fuit, ſed ſtatim poſt exſpirationem in *Paradiſo*, Luc. XXIII. 43. 46. Joh. XIX. 30. Neque triumphavit ante Reſurrectionem, qua ſe omnium hoſtium, & inter hos ultimi, ſcil. mortis victorem demonſtravit. Vide 1 Cor. XV. 26.

434. Sunt, qui per *Deſcenſum Chriſti ad Inferos* nil aliud, quam *Sepulturam* ſignificari credunt. Sed hi Symbolo breviſſime concepto inutilem ταυτολογίαν, ſeu ejusdem rei repetitionem tribuunt; & dictioni claræ, qua Sepultura jam indicata fuit, ſubjungunt obſcuram, quod ineptum eſt.

435. Complures indicari iis verbis exiſtimarunt *Angores* Chriſti *infernales*, & Cruciatus, quales damnati apud Inferos perferunt. Sed obſtat, quod *Deſcenſus ad Inferos* poſt Mortem & Sepulturam commemoretur. Tum enim omnes Cruciatus jam deſierant, Joh. XIX. 30. Et verba illius Articuli non apta ſunt ad Angores exprimendos, nec de talibus unquam adhibentur.

436. Eſt ergo *Deſcenſus ad Inferos* ex ea Veterum opinione intelligendus, qua per *Inferos*, Græce ᾅδης, hebraice שאול non locum Damnatorum, die Hölle, Gall. *l'Enfer*; ſed quemlibet locum & ſtatum, in quem poſt mortem rediguntur hominum animæ, deſignarunt. Hujus duas partes eſſe ſtatuebant, aliam pro beatorum, aliam pro miſerorum animabus. Sicut ergo *Corpus ejus ſepulchro conditum fuit*, ut ait Petr. Martyr in Locis Comm. *ita anima eam conditionem experta eſt, quam ſubeunt hominum ſpiritus, cum per mortem a Corporibus ſeparantur.*

437. Non aliam ergo ob rem addita hæc verba ſunt, quam ut de veritate Mortis Chriſti tanto certius conſtaret, quippe cum in ea ceteris Mortuis omnino ſimilis factus fuerit. Videatur pluribus de his *Pearſon.* in Symb. Apoſt. Item *Hiſt. Crit.* Symb. Apoſt. &c.

CAPUT XIII. *Art.* 5. *de Reſurrectione Chriſti.*

438. Tranſimus ad Articulum V. *Tertio die reſurrexit a Mortuis*, ἀπὸ τῶν νεκρῶν, ſeu ut alia exempla habent, ἐκ νεκρῶν. Sic finita *Humiliatione* Chriſti incipit *Exaltatio*, cujus ſunt IV. Gradus. 1. Reſurrectio. 2. Adſcenſus in Cœlum. 3. Seſſio ad Dextram DEI. 4. Reditus ad Judicium.

439. De Reſurrectione Chriſti diſtincte notanda, 1. ejus *Tempus.* 2. *Modus.* 3. *Certitudo.* 4. *Fructus*, quos nobis attulit.

440.

440. *Tempus* notatum eſt, cum dicitur: *Tertio die.* Cum enim die ſexto Hebdomadis mortuus eſſet, ſeptimo quieviſſet, die primo ſequentis Hebdomadis ex Sepulchro vivus eſt egreſſus.

441. Non opus erat, ut vel citius vel tardius reſurgeret, quoniam tantum temporis, nec amplius, requirebatur, ad veritatem ac certitudinem Mortis Chriſti demonſtrandam; ne forte deliquio tantum animi oppreſſus videretur. Id quoque tempus cum typis & prædictionibus conveniebat, Matth. XII. 40.

442. *Modus* Reſurrectionis per varias circumſtantias deſcribitur. Dicitur ergo, facto ingenti Motu Angelum de Cœlo deſcendiſſe, Saxum ab Oſtio Sepulchri amoviſſe, eique inſediſſe. Sic ergo Dominus vivus e Sepulchro egreſſus eſt. Vid. Matth. XXVIII. 2. ſ. ubi & ceteræ circumſtantiæ, collatis aliis Evangeliſtis, reperiuntur, de quibus deinceps agetur.

443. *Certitudo* Reſurrectionis Domini conſtat ex *Teſtimoniis*, quorum primo notanda *multitudo.* Nam Teſtes fuerunt non tantum Apoſtoli, Luc. XXIV. 48. Act. I, 8. 22. II. 32. Sed & complures alii, qui Chriſtum poſt reſurrectionem vivum conſpexerunt, ac docentem audiverunt, 1 Cor. XV. 6.

444. Secundo notari debet *Qualitas Teſtium.* Ea ex ſequentibus patebit. Teſtes Reſurrectionis J. C. id aſſerunt, quod oculis ſuis & ſenſibus ceteris ipſi perceperunt: nec

ſemel tantum, ſed ſæpius & tempore longiore, Act. I. 21. 22 1 Joh. I. 1. ut nulla heic Phantaſia decipi, aut fraude circumveniri potuerint.

445. Iidem Teſtimonium ſuum velut jurejurando confirmarunt, appellato nomine Dei, cujus juſſu dicunt ſe loqui, Act. IV. 19. idemque nomen Dei in ſuis Sermonibus & Scriptis perpetuo allegant. A Deo dicunt ſe facultatem Miracula faciendi accepiſſe, idque ipſo opere demonſtrant, Act. II. 33.

446. Teſtimonium ſuum dicunt illo ipſo tempore, & loco, quo res contigit; publice, non occulte; coram Principibus pariter & apud Plebem; non timide, ſed fortiter; nec minis nec ſuppliciis abſterrentur; ab Adverſariis haud impoſturæ arguuntur, ſed vetantur loqui, neque eo ſecius pergunt.

447. Teſtes omnes fuerunt vitæ irreprehenſibilis, nec illis unquam quidquam crimini datum eſt. Fuerunt homines recti ac ſinceri, haud fallaces; nec tacuerunt proprias infirmitates propriaque peccata. Fuerunt circumſpecti, nec præjudiciis Religioni Chriſtianæ faventibus, ſed potius contrariis, occupati, eaque de cauſſa a ſuo Magiſtro haud raro reprehenſi: Vid. Luc. XXIV. 25. 37.

448. Teſtes illi non potuerunt ſperare, aut ſperarunt ex Teſtimonio ſuo ullum hujus vitæ commodum. Neque Gloriam neque opes ſibi, ſed potius omnia contraria, exſpectanda ſciebant, quippe cum ipſe Magiſter ſic prædixiſſet, Matth. X. 16, 17, 18.

449. Teſtimonium nec Judæis nec Græcis gratum dicebant, 1 Cor. I 17-23. Prædicabant Chriſtum Gentilibus & Judæis exoſum & contemtum. Doctrinam adferunt nulla humana arte ac auctoritate nixam, nullas hujus Mundi opes, ſed potius calamitates ac pericula promittentem, omnibus aliis Religionibus, & ei quoque, in qua educati fuerant, contrariam.

450. Teſtes Reſurrectionis Chriſti haud fuerunt homines ſtupidi ac hebetes, aut fanatici. Id ex eorum Sermonibus actionibusque cognoſcitur, in quibus nihil invenias, quod ullum ſtuporis aut Enthuſiasmi indicium habeat. E contrario patet homines fuiſſe ſapientes, qui nihil admiſerint, quod non antea ſollicite examinaſſent.

451. In Teſtibus itaque iſtis deprehenduntur omnes characteres veritatis, voluntas & facultas verum dicendi. Teſtimonium ipſum evidentiam ac certitudinem omnem habet, quæ in *Rebus facti* deſiderari poteſt. Suſpicio nulla erroris aut fraudis locum habere poteſt. Nec ulla datur Hiſtoria majoribus, aut melioribus Teſtimoniis confirmata.

452. Si quis dicat, mortui hominis Reſurrectionem eſſe impoſſibilem, ille fallitur, niſi forte de ſolis cogitet cauſſis naturalibus. Sed ſi de Potentia ac Sapientia Dei cogitet, videbit eum qui primo hominem creavit, ac vita donavit, eundem in vitam reducere poſſe, ſi velit.

453. Neque etiam ab ullo homine aut hominum grege Cadaver Domini ex Sepulchro aufferri poterat. Sepulchrum enim cuſtodiebatur militibus. Apoſtoli timidi, inermes, morte Magiſtri & proprio periculo perculſi nihil audebant. Dormientes Cuſtodes, ſi forte dormiviſſent, quod haudquaquam probabile, ſtrepitu facile excitaſſent. Nec quidquam abſurdius, quam quod Cuſtodes pecunia corrupti teſtimonium de re, quæ ipſis dormientibus contigiſſet, dicere juſſi ſunt, Matth. XXVIII. 12, 13.

454. Tandem niſi Diſcipuli Chriſti certo cognoviſſent, Dominum reſurrexiſſe, quid fuiſſet ſtolidius, quam in nomine JESV prædicare toti Mundo, & ſperare Salutem, quem ignominioſa morte ſublatum, vanis de ſua Reſurrectione promiſſis eos deluſiſſe ſcirent omnes.

455. Contrarium vero docet ſucceſſus mirabilis, quem eorum prædicatio habuit, mutatioque inſignis, quam in Orbe terrarum produxit. Hæc aut Mediis naturalibus facta eſt, aut ſupernaturalibus. Naturalia Media impoſturam ad effectum producendi ſunt facundia, auctoritas, vis ac potentia, largitio aut aliæ illecebræ; quorum nihil heic deprehenditur. Supernaturalia Media DEVM auctorem indicant, ſuntque veritatis certiſſima criteria.

456. Quod vero objiciunt Increduli, Chriſtum non in conſpectu omnium reſurrexiſſe,

nec

nec ſe omnibus conſpiciendum poſt Reſurrectionem præbuiſſe: ad id reſpondetur, neque opus id fuiſſe, neque ſi factum eſſet, majorem impetraſſet fidem. Sic Miraculis Chriſti, in omnium conſpectu factis non tamen omnes crediderunt Judæi. Huc ergo referendum Luc. XVI. 31.

457. At diſcrepantes ſunt de Reſurrectione Chriſti Evangeliſtarum narrationes? Nos vero exiſtimamus, hanc diverſitatem ad confirmandum potius Apoſtolorum Teſtimonium pertinere. Oſtendit enim, eos haudquaquam in fraudem conſpiraſſe, nec eam inter ſe compoſuiſſe. Suntque revera tot ejus rei Teſtes, quot eam diſtincte retulerunt.

458. Deinde diſcrepantiæ illæ nullam involvunt contradictionem, quod a Commentatoribus, & imprimis ab Harmoniarum Evangelicarum Scriptoribus demonſtratum eſt. Is ergo tantus in tot diſcrepantiis conſenſus illuſtrem Anglum, *Gilb. Weſtium* permovit, ut cum rem diligentius examinaret, ab Incredulitate ad Fidem tranſiret, eamque egregio Libro de Reſurrect. Chriſti confirmaret.

Editus ille Liber Anglice eſt Lond. 1747. 8. ac deinde in Germanicam Linguam translatus Berolini 1748. nec non Gallice apud Batavos.

459. *Fructus* adfert hæc doctrina præcipue ſequentes. 1. Certitudinem fidei Chriſtianæ univerſæ efficaciſſime demonſtrat, quod Au-

ctor ejus divina virtute reſuſcitatus eſt. 2. Spem futuræ noſtræ Reſurrectionis auget, dum & Exemplum illuſtre ſiſtit, & per vinculum, quod eſt inter Chriſtum & fideles, noſtram Reſurrectionem producit. 3. Reſurrectio Chriſti Symbolum & Imago eſt noſtræ Converſionis a Peccato ad Virtutem, ceu Reſurrectionis a Morte ſpirituali ad Vitam novam: ut, quemadmodum Chriſtus a Morte reſurrexit, nec amplius moritur, ita & nos in vita nova ambulemus, Rom. VI. 4. &c.

CAP. XIV. *Art. 6. De Chriſti Adſcenſione in Cœlum & Seſſione ad Dextram Dei.*

460. Pergimus ad VI. Symboli Apoſt. Articulum: *Adſcendit in cœlum; ſedet ad Dextram DEI.* Eſt hic ſecundus *Exaltationis* Gradus, quo factum eſt, ut Chriſtus ſecundum humanam Naturam, terris relictis, in Cœlum illud ſummum delatus ſit, de quo docet S. Scriptura, ibi Thronum DEI eſſe, & Majeſtatem ipſius imprimis manifeſtari. Matth. V. 34.

461. Itaque hic conſideranda veniunt IV. Capita. 1. Adſcenſionis Modus & Circumſtantiæ. 2. Ejus Veritas ac Certitudo. 3. Neceſſitas. 4. Utilitas.

462. In Modo & Circumſtantiis adſcenſionis Chriſti conſiderari debet 1. Quis? 2. Quando? 3. ex quo loco? 4. in quem locum? 5. Quanam virtute adſcenderit?

463. Adſcendit Jeſus Chriſtus, Filius DEI Unigenitus, qui homo natus fuerat, feceratque ea omnia, quæ in præcedentibus Symboli Articulis commemorata ſunt: Ergo Θεάνθρωπος ille, in quo divina & humana Natura fuerunt ὑποστατικῶς unitæ.

464. Nec ſola ergo divina Natura, nec ſola humana dici poteſt adſcendiſſe; ſed utraque, Joh. XVI. 28. Eph. IV. 9, 10. Alio tamen modo de una ac de altera id intelligitur. Cum enim Humana Chriſti Natura nunquam antea in Cœlis fuerit, poſt Adſcenſionem eo translata eſt, ac terras reliquit. Divina vero Natura cum fuerit ſemper ubique, §. 56, 57. nec Cœlum unquam, nec Terram prorſus reliquit, Matth. XXVIII. 20.

465. Tempus Adſcenſionis Domini eſt quadrageſimus dies poſt reſurrectionem; Act. I. 3. 9-11. Illud tempus ad hoc profuit, ut Diſcipulis ſuis ſatis longo tempore ſe vivum exhibere, eosque cum de Reſurrectione ſua certiores facere, tum etiam de Regno Dei diligentius inſtituere poſſet. Conf. Luc. XXIV. 50, 51.

466. Locus, ex quo adſcendit Chriſtus, modo appellatur *Bethania*, modo aſcendiſſe dicitur in Monte *Oliveti*. Iſte diſtabat *Sabbati* tantum itinere ab Urbe Hieroſolyma, Act. I. 12. vel ut Joſeph. Ant. Jud. XX. 6. quinque Stadiis, quæ duo paſſuum Millia conficiunt. Interim Bethania XV. Stadiis ab

Urbe diſtabat, Joh. XI, 18. Sed nulla eſt contradictio, quia Mons Oliveti quinto ab Urbe Stadio incipiebat. Chriſtus vero ad octavum usque Stadium adſcendit, quod iter Sabbati eſt, ac ad regionem, quæ ab oppido *Bethania* dicebantur, quamvis oppidum longius abeſſet.

467. Locus, in quem adſcendit, *Cœlum* eſt, quod & alia docent loca, 1 Petr. III. 22. Hebr. IV. 14. Eph. IV. 10. &c. Nihil ergo eſt clarius, quam Chriſtum per ſuam adſcenſionem in eas rediiſſe Mundi partes, quæ Cœli nomine appellari ſolent §. 460. Non ergo, ut quidam cenſent, ſolummodo *diſparuit*, aut viſibilis in terra eſſe deſiit.

468. *Veritas & certitudo* adſcenſionis conſtat Teſtimoniis 1. *Apoſtolorum*, Act. I. 9, 10. 2. *Angelorum*, ibid. ℣. 11. 3. *Stephani* Martyris, Act. VII 55. 4. *Pauli* Apoſtoli, 1 Cor. IX. 1. XV. 8. 5. *Spiritus S.* Act. II. 33. Joh. VII. 39. Cum vero omnia redeant ad Fidem Diſcipulorum Chriſti, ea quantum valeat, ex iis patet, quæ de *Reſurrectione* ejus dicta ſunt §. 443. ſ.

469. *Neceſſitas Adſcenſionis* Chriſti ad Perfectionem Redemtionis hominum, colligitur 1. ex *Prædictionibus*, qualis Pſ. XLVII. 6. LVIII. 19. cum quo loco conferendum Eph. IV. 9. Eodem pertinet Eſaj. LIII. 8. ubi de Meſſia dicitur לֻקָּח *aſſumtus eſt*. 2. ex *Typis*. Talis Pontifex M. Judæorum, ſemel quotannis intrans in Sanctum Sanctorum; Hebr.

Hebr. VI. 19, 20. IX. 24. Enoch, Gen. V. 24. Elias 2 Reg. II. &c.

470. *Uſus* ejus eſt inſignis Joh. XVI. 7. Primum quod ita pro nobis *intercedit*, dum efficit, ut omnis fructus Redemtionis a DEO Patre nobis conferatur; Rom. VIII. 34. 1 Joh. II. 1. Dein quod locum nobis ita præparavit, in quem ipſi poſt mortem tranſire debeamus, Joh. XIV. 2. Hebr. VI. 20. Eph. II. 6. Tertio, quod inde Spiritus S. Dona miſerit, Eph. IV. 8. 11. Joh. XVI. 7. Tandem, quod Corda noſtra a Terris abſtracta in Cœlum extulerit, Coloſſ. III. 1, 2.

471. Additur Adſcenſioni tertius *Exaltationis* Chriſti Gradus, cum dicitur: *Sedet ad Dextram DEI, Patris Omnipotentis.* Vid. Marc. XVI. 19. Conſtat autem figuratam eſſe hanc ſententiam. Dextera enim DEI proprie Manus non eſt, ſed Potentiam ac Majeſtatem ſignificat, unde ἡ δεξιὰ τῆς μεγαλοσύνης, *dextera Magnificentiæ* dicitur Hebr. I. 3. VIII. 1.

472. Itaque Seſſio ad Dexteram Dei nihil aliud notat, quam Exaltationem Chriſti ad ſummam Gloriam & Dignitatem, prout illa deſcribitur Eph. I. 20-22. Prædicta hæc fuit Pſ. CX. 1. qui locus allegatur Matth. XXII. 41. & 1 Cor. XV. 25. Quare & Eccleſia fiduciam in eo collocare, & Impii terréri, omnesque ſumma veneratione adfici debent. Vid. Phil. II. 9-11.

CAP.

CAP. XV. *Art.* 7. *de Reditu Chriſti ad Judicium.*

473. Articulo VII. profitemur: Chriſtum e Cœlo *rediturum eſſe ad judicandum vivos & mortuos.* Unde conſequitur fore aliquando *Judicium Univerſale.* Ejus igitur videnda primum certitudo, deinde quis ſit futurus Judex, tertio unde & quomodo ſit venturus, quarto quo tempore, quinto quinam ſint judicandi, ſexto ſecundum quam Normam, ac tandem quænam ſit futura judicii exſecutio.

474. Univerſalis Judicii Certitudo colligitur 1. Ratiocinio, quoniam Juſtitia Dei requirit, ut præmia Bonis, pœnæ Malis tribuantur, idque cum in hac vita non ſemper fiat, in alia prorſus eveniat. §. 75. & 133. ſ.

475. Porro Gloriæ Dei intereſt, ut juſtitiam ejus non ſinguli modo, ſed & univerſi experiantur. Id igitur in Judicio Univerſali fieri debet, quod & Extremum appellatur. Quamvis ergo Ratio ſibi relicta de eo haud cogitaverit, nihil habet tamen, quod contradicat.

476. Plena tamen ejus rei certitudo ex *Revelatione* obtinenda eſt. De Judicio DEI in univerſum agitur Rom. II. 6. 12. Job. XXXIV. 11. Pſ. LXII. 13. &c. De ſingulis poſt mortem judicandis vid. 2 Cor. V. 10. Hebr. IX. 27. Luc. XVI. 22. ſ. De Univerſis

verſis tandem judicandis paſſim, ut Matth. XXV. 31. ſ. Act. X. 42. XVII. 31. ſ. &c.

477. Iidem hi loci modo allegati docent, quis ſit futurus Judex, nimirum JESVS Chriſtus. Addatur Joh. V. 22. 27. quæ tamen non ita ſunt intelligenda, ac ſi Pater & Spiritus S. excluderentur. Judex enim totius Mundi eſt proprie Deus Gen. XVII. 25. Filio ergo peculiariter adſcribitur qua Mediatori, quod is, ut Homo compariturus & ſententiam laturus ſit.

478. Habet hoc ipſum, quod Chriſtus Mundum ſit judicaturus, uſum multiplicem. Primo Sapientiæ Dei congruum, ut homines per hominem judicentur. Dein facit hoc ad Conſolationem fidelium, quod judicem habebunt eum, qui redemit, Deumque placavit Morte & Interceſſione ſua. Tandem haud mediocriter terrebit hoc impios, ſi eum, quem contumelioſe ſpreverunt, ſuum eſſe judicem videbunt. Huc pertinet Joh. XIX. 37. ex Zach. XII. 10.

479. Non debet hac in re ſcrupulum movere, quod Chriſtus dicat, Joh. III. 17. & XII. 47. Se non veniſſe ad Mundum judicandum. Loquitur enim ibi de ſolo adventu primo, quo in Mundum venit, ut homines redimeret, ac ad ſalutem vocaret.

480. Nec etiam difficile eſt intelligere, quid ſibi velint ea, cum dicitur Apoſtolos judicaturos XII. Tribus Israëlis, Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 30. aut quod fideles

dicun-

dicuntur Mundum judicaturi, 1 Cor. VI. 2, 3. Non enim proprie hæc, ſed improprie dicuntur, de aſſenſu & approbatione divini judicii, cui inſtar Aſſeſſorum aderunt.

481. Unde ſit rediturus Chriſtus aperte docet Symbolum. Adde Act. I. 11. 2 Theſſ. I. 7. Phil. III. 20. De modo ex iisdem S. Scripturæ locis aliisque, ut Matth. XXIV. 30. XXVI. 64. patet, adventum verum ac viſibilem futurum, cum maxima conjunctum majeſtate, nec diſſimilem ei, quo ad Legem ferendam in Montem Sinai deſcendit.

482. *Tempus* extremi illius Judicii æque ignotum eſt, ac finis Mundi. Ipſe quoque Chriſtus, qua ſcilicet Homo & Mediator inter DEVM & homines id ignoravit, Marc. XIII. 32. Ejus incertitudinis cauſſa eſt, ut diſpellatur ſecuritas, & ut quovis tempore parati ſimus, Matth. XXIV. 42. ſ. 2 Petr. III. 4. ſ.

483. Communis fuit multorum inter veteres opinio, finem Mundi mox inſtare. Sic intelligebant verba Apoſtoli 1 Joh. II. 18. 1 Cor. X. 11. Quare adventum Domini propinquum eſſe exiſtimabant Phil. IV. 5. Jac. V. 8, 9. Sed partim hæc de Excidio Hieroſolymorum, partim de ultima temporis periodo, ſeu diebus Meſſiæ intelligenda, Hebr. I. 1.

484. Imprudenter igitur agunt, quicunque diem illum ultimi Judicii accuratius rimari

mari conantur. Et quamvis ſigna quædam indicentur illius appropinquantis, non ſunt illa tamen adeo clara, ut rem in aperta luce collocent. Huc pertinent quæ leguntur Matth. XXIV. Item Revelatio Antichriſti 2 Theſſ. II. 3. Converſio Judæorum Rom. XI. 25. ſ. Hoſ. III. 4. 5. Spes meliorum temporum, paſſim, &c.

485. *Quinam* ſint judicandi indicat Symbolum, dum dicit *vivos* & *mortuos*. Judicium ergo præcedet horum reſurrectio, de qua poſtea. Sic ergo omnes ſiſtentur coram Tribunali Chriſti, Rom. XIV. 10.

486. *Normam* Judicii divini fore Legem divinam & naturalem & revelatam cum res ipſa indicat, tum Paulus Rom. II. 12. Interim DEVS de Fidelibus non ex Juſtitiæ rigore, ſed ex Gratia judicabit, quippe quibus remiſſa ſunt peccata, de qua re poſt. Vid. Joh. V. 24.

487. *Executio* Judicii per præmium & pœnas fiet. Illud vocatur Vita æterna, hæ Mors æterna. De utraque ſuo loco dicetur. Vid. interim Matth. XXV. 34. 41. Non datur ergo Status medius inter utramque; Vid. Apoc. XIV. 13. 2 Cor. V. 1. Phil. I. 23. Luc. XXIII. 43. Sicque rejicitur Pontificiorum *Purgatorium*.

488. *Uſus* doctrinæ & Meditationis de divino Judicio pertinet 1. ad Terrorem Impiorum: 2. ad excitationem ſegnium & infirmorum: 3. ad conſolationem piorum ac fidelium.

lium. Omnibus in univerſum cogitandum eſt, ſummum Judicem aliquando venturum, qui unicuique ſit ſecundum opera ſua redditurus, ut a Peccatis recedentes, Virtutem & Pietatem ſectemur.

CAP. XVI. *Art.* 8. *De Spiritu S.*

489. Sequitur nunc *Pars III.* Symboli Apoſtolici, ejusque Articulus VIII. *Credo in Spiritum S.* De Spiritu S. igitur primum docet nos S. Scriptura, *Perſonam* eſſe ex tribus divinis unam; deinde *Dona* eum ſalutaria hominibus tribuere. Eum eſſe Perſonam divinam agnoſcimus, dum profitemur nos in eum credere. Non enim dicimus, nos credere Spiritum S. ſicut in ſequenti Articulo dicimus; credo Eccleſiam: Sed credimus in Spiritum, ſicut in Patrem & Filium.

490. Probatur id ex eo, 1. quod ita Patri ac Filio adjungitur, ut ab utroque ſit diſtinctus: Matth. III. 16. XXVIII. 19. Joh. V. 32. XIV. 16. 2 Cor, XIII. 13. 1 Petr. I. 2. Vocaturque Spiritus S. quamvis Deus ipſe & Spiritus & Sanctus ſit, quia ad inſpirandam hominibus Sanctitatem potiſſimum conceditur.

491. Porro Spiritum S. eſſe Perſonam divinam patet 1. ex Attributis divinis, qualis Omniſcientia 1 Cor. II. 10, 11. Sapientia, Eſaj. XL. 13, 14. Omnipræſentia Pſ. CXXXIX. 7. 2. ex Operibus divinis, qualis Creatio Gen.

Gen. I. 2. Pſ. XXXIII. 6. Operatio Miraculorum 1 Cor. XII. 10, 11. Regeneratio, Joh. III. 5. Revelatio omnis veritatis, Joh. XIV. 26. XVI. 13.

492. Hinc & nomen & Cultus Dei Spiritui S. tribuitur. Illud Hebr. III. 7. ſ. ex Pſ. XCV. 7. ſ. Eſaj. LXIII. 10. Act. XXVIII. 25, 26. ex Eſaj. VI. 2 Sam. XXIII. 2, 3. Act. V. 3, 4. Cultus vero Invocationis & adorationis, Matth. IX. 38. qui locus conferendus cum Act. XIII. 2. Porro 2 Cor. XIII. 13. Eodem pertinet Baptismus in ejus Nomen peragendus Matth. XXVIII. 19. Ei Templa conſecrata, 1 Cor. III. 16.

493. *Dona ſalutaria* a Spiritu S. tribui multis teſtimoniis conſtat. Inde fit, ut iſta ſæpe Spiritus S. nomine veniant. Sic Matth. III. 11. Act. I. 5. 1 Cor. XII. 13. Luc. XI. 13. Act. X. 47.

494. Inter hæc dona Spiritus S. alia ſunt *extraordinaria*, alia *ordinaria*. Illa non ſemper, nec omnibus fidelibus, ſed certis temporibus, certisque hominibus data ſunt. Talia ſunt illa, de quibus Act. II. & 1 Cor. XII. alibique paſſim. Hæc vero omnibus Temporibus omnibusque fidelibus communia ſunt: Luc. XI. 13. 1 Cor. II. 12. Rom. VIII. 7. 1 Joh. IV. 26.

495. Huc pertinet Regeneratio, Joh. III. 5. Sanctificatio 2 Theſſ. II. 13. Conſolatio, Rom. VIII. 26. Obſignatio,

2 Cor. I. 21, 22. Eph. I. 13, 14. Unctio, 1 Joh. II. 20. 27. Adde Gal. V. 22. Nec tamen hæc, niſi extra ordinem, ſine *Mediis* producuntur.

496. *Media* Sanctificationis, quæ dicuntur *interna*, non ſunt alia, niſi Spiritus S. ejusque *Gratia*, de qua vide porro 1 Cor. I. 4. Act. XVI. 14.

497. *Externa Media* ſunt plura. Inter hæc I. *Oratio*, per quam Spiritum S. impetramus, Luc. XI. 13. Jac. I. 5. II. *Verbum* Dei ſedulo & attente lectum ac auditum, 1 Petr. I. 23. Rom. X. 17. III. *Sacramenta*, Tit. III. 5. 1 Cor. X. 16. IV. *Vigilantia* 1 Petr. V. 8. *Matth.* XXVI. 41. &c.

498. Sunt etiam obſervandi Sanctificationis *Gradus*. Eſt etiam quædam *Perfectio*, ad quam nemo non omni ſtudio contendere, nunquam vero ad eam perveniſſe cenſeri debet. Prius conſtat ex Matth. V. 48.. Jac. I. 4. Hebr. VI. 1. Poſterius ex Jac. III. 2. 1 Joh. I. 8. Luc. XVIII. 9. ſ.

499. Uſus doctrinæ de Spiritu S. eſt, I. ut ejus Dona nobis acquirere ſtudeamus, II. Ut nos ſanctos & puros conſervemus, 1 Cor. III. 16, 17. VI. 19, 20. III. Ut caveamus, ne Spiritum S. contriſtemus, Eph. IV. 30. Neve exſtinquamus, 1 Theſſ. V. 13. ſed exſuſcitemus, 2 Tim. I. 6.

CAP.

CAP. XVII. *Art.* IX. *De Eccleſia.*

500. Articulus IX. Symboli Apoſtolici eſt: *Credo ſanctam catholicam Eccleſiam, Communionem Sanctorum.* Quædam Symbola Unam dixerunt, quod quale ſit, nunc declarabitur.

501. *Eccleſia*, Ἐκκλησία, vox eſt græca, quæ & in genere Cœtum ſeu Concionem populi ſignificat, ut Act. XIX. 32, 39. Speciatim vero, Multitudinem aliquam hominum per Evangelium ad fœderis Gratiæ Communionem vocatorum, eique Vocationi parentium.

502. Ubicunque ergo talium aliquis numerus fuit, ibi Eccleſia erat. Vid. Act. II. 41.-47. ubi de prima Chriſtianorum Eccleſia agitur, quæ fuit Hieroſolymis. Sic cum in alio quocunque loco cœtus diſcipulorum Chriſti colligebatur, dicta eſt illius Urbis ac Regionis Eccleſia, ut *Romana*, *Corinthia*, *Epheſina* &c.

503. Hæ ſunt, quæ vocantur *Eccleſiæ particulares*, ad quas tanquam Membra ad ſuum Corpus, ſeu ut Cives ad ſuam Civitatem pertinent omnes Chriſtiani in iis locis viventes. Alia vero eſt *Univerſalis*, cujus illæ ſunt partes. Hæc ergo complectitur omnes, qui ubique terrarum ſunt, Chriſtianos. Sic videtur accipi 1 Cor. XII. 28. Eph. I. 22. &c. De hac agit

Symbolum, eamque propterea Catholicam, καθολικὴν, appellat.

504. Eccleſia conſtituitur *Vocatione*, unde & nomen ſuum ex Græca Lingua accepit, in qua *καλεῖν vocare*, *ἐκκαλεῖν*, *evocare* ſignificat. Inde etiam membra Eccleſiæ dicuntur *κλητοὶ*, *vocati*, Rom. I. 7. Conſiſtit ea Vocatio in Prædicatione Evangelii, ſeu doctrinæ de Chriſto, per quam ei diſcipuli colliguntur.

505. Eccleſiæ attribuitur *Unitas*, *Sanctitas* & *Univerſalitas*. *Una* dicitur, quia omnes particulares ad eandem pertinent univerſalem. Huc pertinet Eph. IV. 3-6. ubi & rationes hujus *Unitatis* indicantur.

506. Dominus Eccleſiæ unus dicitur, ſicut & unum ejus *Caput*, Eph. I. 22. Hic eſt Chriſtus, qui & Lapis angularis hujus ædificii dictus, 1 Cor. III. 11. Eph. II. 20. Nullum ergo eſt aliud Caput. Petrus olim primus Apoſtolorum, & primus, cujus concione Eccleſia collecta eſt. Sed minime conſtitutus Caput Eccleſiæ. Quare nec ejus Succeſſores pro tali habendi.

507. Hanc ergo Unitatem nec Loca impediunt, nec tempora. Non loca, quia omnes cujusque Loci Eccleſiæ particulares ad unam pertinent univerſalem §. 505. Non tempora, quia veri Dei Culto-

Cultores ab initio Mundi unam conſtituerunt Eccleſiam, & ad finem usque conſtituent.

508. Fuit tamen Eccleſiæ variis temporibus varius ſtatus. Primus quidem ab initio Mundi ad Diluvium & inde ad Abrahamum diſperſa. Dein in unam familiam collecta ſub promiſſione ad Moſem. Ab eo tempore ſub Lege, Prophetis conſervationi Legis operam dantibus, ac ſimul beatiora Meſſiæ tempora prædicentibus.

509. Hoc dicitur tempus Veteris Teſtamenti. A Chriſto incipit tempus Novi Teſtamenti, quod ad finem uſque Sæculorum durabit. Sic enim promiſit Chriſtus, Matth. XVI. 18. & XXVIII. 20.

510. Hæcque eſt, quæ dicitur *Perpetuitas* Eccleſiæ. Sed ea de Univerſali, non de ulla particulari eſt intelligenda. Sicut enim multi paſſim & variis temporibus homines a profeſſione fidei defecerunt, ſic & multæ Eccleſiæ in Oriente & Occidente ab ea receſſerunt, aliæque aliis in locis erectæ fuerunt.

511. Docet Hiſtoria, Eccleſiam Chriſtianam in univerſum IV. Periodis temporum contineri. Prima illarum purior, ſub igne Perſecutionum fuit, a Chriſto Nato, ad Conſtantinum M. Imperatorem Rom.

Secunda a puritate paullatim deflectens externa pace gaviſa eſt, ab iſto Imp. ad Carolum M. Tertia corruptionibus & erroribus immerſa, ſub univerſali, ſaltem in Occidente, Paparum dominio, usque ad Reformationem. Quarta denique ab hac decurrit ad noſtra uſque tempora, quibus libertas poſſim in licentiam abiit.

512. *Sanctitas* Eccleſiæ eſt illud attributum, quo Eccleſia a Mundo ſeparata, & per ſanctam Vocationem ad ſanctam fidem & ſanctam vitam obſtringitur, 2 Tim. I. 9. II. 19. eamque ſanctitatem, ad quam vocata eſt, reipſa præſtat, Eph. V. 25-27.

513. Cum vero, propter imperfectionem Sanctificationis in hac vita §. 498. nulla detur Eccleſia particularis, vere & perfecte ſancta, multo minus id de Eccleſia univerſali adfirmari poteſt. Hanc ob cauſſam primum diſtinguuntur duo genera Sanctitatis, quarum una eſt externa, altera interna.

514. *Externa Sanctitas* eſt illa ſejunctio Vocatorum a Mundo, qua fidem in Chriſtum profitentur, & Sanctitatis ſtudium promittunt. Hujus externæ Sanctitatis reſpectu *Eccleſia* dicitur *Externa*, & *Viſibilis*, quoniam Profeſſio iſtiusmodi in Senſus aliorum incurrit.

515.

515. *Interna* vero & *Inviſibilis* ea dicitur Eccleſia, quæ nonniſi vere fideles ac vere ſanctificatos continet. Nam Fides ipſa & Sanctitas ſenſibus externis non ſubjiciuntur.

516. Externam Eccleſiam nullam eſſe perfecte ſanctam inde patet, quod nullus eſt Cœtus, in quo non fidelibus hypocritæ, bonis mali permiſti. Docet hoc experientia. Docet quoque Chriſtus, cujus Parabolæ huc pertinent, Matth. XIII. 24. 30. 47. XXII. 10.

517. Cum ergo credimus *Sanctam Eccleſiam*, profitemur eſſe Eccleſiam Dei, quæ vocata ſit ad fidem & ſanctitatem. Hanc multos quidem externe profiteri, pauciores vero actu ipſo habere ac demonſtrare. Sicut ait Servator noſter Matth. X. 16. *Multi vocati, pauci electi.*

518. *Univerſalem*, græce καθολικὴν, *Catholicam* appellamus Eccleſiam; quod nomen non ex S. Scriptura petitum, ſed ab antiquæ Eccleſiæ Doctoribus introductum eſt. Sic enim *veram* Eccleſiam a *falſa*, *Orthodoxam* ab *Hæreticis* & *Schiſmaticis* diſtinguere voluerunt.

519. Significatur ergo illo nomine, Eccleſiam Chriſti haud unius tantum loci aut temporis, ſed omnium eſſe. Itaque omnes omnium temporum &

locorum homines aut hominum Cœtus ſunt membra vel partes Eccleſiæ, dummodo eandem fidem profiteantur, ac eundem DEUM eo modo, quem ipſe præſcripſit, colant.

520. Nulla ergo ſibi Eccleſia particularis illud nomen attribuere poteſt, niſi quatenus cum ceteris Eccleſiis cohæret. Nulla ergo Eccleſia aliam ab hac Catholicæ Eccleſiæ communione removere poteſt, niſi ipſa ſe per deſertionem veræ Religionis removerit.

Plura de hac appellatione & egregia vide apud *Pearſon.* in Symb. ad Art. IX.

521. Omnis Eccleſia particularis, quæ veram de Deo fidem veramque eum colendi rationem tenet, dicitur *vera*; quæ vero ab iſtis abit, eſt *falſa*. Unde ſequitur eas eſſe ſolas Notas veræ & Catholicæ Eccleſiæ, unde ea a falſis diſcernatur.

522. Quid ergo ſentiendum ſit de XV. *Notis*, quas Pontificii adferunt, facile intelligitur. Tales enim partim falſo pro Notis talibus habentur, partim in illis duabus jam continentur, in univerſum autem male allegantur ad probandum, Romanam eſſe veram Catholicam Eccleſiam.

523. Cum autem doctrina Eccleſiæ varias habeat partes, quarum aliæ ſunt *theoreticæ*, aliæ *practicæ*, & in utroque genere, imprimis autem in priore, non omnia ſint ejusdem ad ſalutem momenti: Hinc doctrina Eccleſiæ dividitur in Articulos *fundamentales*, & *acceſſorios*.

524. Ar-

524. Articuli fundamentales illi ſunt, qui Religionis Chriſtianæ eſſentiam conſtituunt, ita ut qui illos non admittit, aliam habere Religionem cenſeatur. Religionis autem Chriſtianæ fundamentum unicum eſt *Chriſtus*: 1 Cor. III, 11. Act. IV, 12.

525. *Fundamentalia* ergo dogmata illa ſunt, quæ cum Fundamento illo vel mediate vel immediate cohærent. Sine his nulla eſt vera Eccleſia, nullumque veræ Eccleſiæ membrum. *Acceſſoria* illæ ſunt doctrinæ, quæ fundamentalibus quidem adduntur, ſed ita, ut earum ignoratione vel negatione, nec fundamentum tollatur, nec veritates cum fundamento connexæ evertantur.

526. Numerus certus ac determinatus Articulorum Fidei fundamentalium non datur. Etenim 1. pro menſura & ratione Revelationis modo plures, modo pauciores fuerunt. 2. Prout dogmata generalioribus aut minus generalibus verbis exprimuntur, ita vel plures vel pauciores dantur articuli.

527. Qui fundamentum aut fundamentalia dogmata negat aut ignorat, ille non eſt Chriſtianus. Qui nihiloſecius pro Chriſtiano haberi, & tamen errores fundamentales fovere, & aliis inſtillare ſtudet, ille eſt *Hæreticus*, de quo quid præceperint Apoſtoli vid. 1 Cor. XI, 19. Gal. V, 20. Tit. III, 10.

528. *Schiſmaticus* ille dicitur, qui, licet in doctrinæ Capitibus fundamentalibus conſentiat, non tamen in Eccleſiæ communione vi-

vere, iisdemque cum ea uti ſacris vult. Ejus rei cauſſa poteſt eſſe, ſi vel in puritate Eccleſiæ, vel in ceremoniis cultus divini, vel in forma Regiminis ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ aliquid deſideretur.

529. Sed nulla poteſt eſſe legitima diſcedendi ab Eccleſia cauſſa, niſi errores fundamentales in doctrina, ac in Cultu Idololatria, in diſciplina Tyrannis, ſeu vis Conſcientiæ illata. In ceteris nævi aliqui ſi deprehendantur, tolerandi potius ſunt, quam acerbius inſectandi, ne absque neceſſitate pax Eccleſiæ perturbetur; Rom. XIV. Eph. IV, 15.

530. Ut vero a quolibet facile cognoſci poſſit, quænam in Eccleſia cum in doctrina tum in Cultu habeantur pro veris ac rectis, neceſſe eſt, ut *Symbola* ſeu *Confeſſiones fidei* exſtent, ſicut & Eccleſiæ quovis tempore tales ediderunt. Iſta haberi debent pro Typo ſ. Forma ſanorum ſermonum, qui in S. Litteris continentur, 2 Tim. I, 13. Ea nemini per vim obtrudenda, ſed cujusvis examini exponenda, ſic tamen ut is pro Eccleſiæ Membro haberi non poſſit, qui non ei adſentiatur.

531. Quoniam Eccleſia per *Vocationem* inſtituitur §. 504. oportet, ut ſint certi homines, per quos ea Vocatio ad Eccleſiam fiat. Hi appellantur *Miniſtri Eccleſiæ*, qui a Chriſto inſtituti, ac per Apoſtolos eorumque ſucceſſores omni tempore conſervati ſunt. Vid. Matth. XXVIII, 19. Rom. X, 14. Eph. IV, 11. 12. 1 Tim. III. Tit. I. &c.

532. Ipſi

532. Ipſi hi Miniſtri Eccleſiæ ad Munus in Eccleſia obeundum legitima *Vocatione* opus habent. Ea dicitur *Vocatio divina;* eaque eſt vel *extraordinaria* vel *ordinaria* Illa, quæ & *immediata* vocatur, primis illis temporibus neceſſaria fuit, quibus Eccleſia primum erat conſtituenda. Tales Extraordinarii Eccleſiæ Miniſtri fuerunt Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Eph. IV, 12.

533. *Ordinaria* autem *Vocatio* Miniſtrorum eſt illa, quæ omni tempore in Eccleſia obtinere debet. Hæc eſt Vocatio *Paſtorum* & Doctorum ſ. Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Eccleſiæ. Hæc *Vocatio* partim *interna* eſt, partim *externa. Interna* conſiſtit in Donis ad exercitium Miniſterii Eccleſiaſtici neceſſariis, & in ſincero ſtudio, Gloriam Dei & ſalutem ſuam aliorumque per illud promovendi.

534. *Externa Vocatio* Miniſtrorum Eccleſiæ per alios fit homines, qui & ipſi ad hoc legitimam habere Vocationem debent. Sic Apoſtoli conſtituerunt Miniſtros, Act. XIV, 23. Sic Paulus Titum in Creta conſtituit, ut Miniſtros Eccleſiis præficeret, Tit. I, 5. Sic Timotheo mandavit, 1 Tim. III. &c.

535. Ejusdem neceſſitas cognoſcitur ex neceſſitate ordinis in omni hominum ſocietate, maxime in Eccleſia, conſervandi, ne per pravam multorum ambitionem factiones ac turbæ oriantur. Porro neceſſe eſt, ut illi ſoli admittantur, qui & *interne vocati* §. 533. &

recte *præparati* ſint ad hoc Munus. Hinc opus eſt *Exploratione*, quæ nonniſi per idoneos Homines fieri poteſt, 1 Tim. III, 10.

536. *Præparatio* conſiſtit in ſtudio doctrinæ ſalutaris ex S. Scriptura hauriendæ. Id ſtudium ſubſidia variarum Diſciplinarum requirit, quibus ad S. Litteras probe intelligendas, aliisque & explicandas & applicandas idonei reddimur. Sed de his in *Encyclopædia Theol.*

537. Sic ordinati Miniſtri ad quamcunque Eccleſiam, vel per ipſam, vel per eos, in quos illud jus legibus translatum eſt, vocari ſeu nominari poſſunt. Ab initio enim Eccleſias illud jus habuiſſe, poſtea vero id ad alios translatum eſſe Hiſtoria Eccleſiaſtica docet. De primarum Eccleſiarum more videndus Bingham. Orig. Eccleſ. L. III. C. II.

538. Quæri aliquando ſolet de *Vocatione Reformatorum*, ſeu eorum, quorum Miniſterio ante annos plusquam ducentos, Eccleſiæ multæ ab erroribus & abuſibus purgatæ ſunt; num ea fuerit legitima. Reſpondeo: Plerique ex Reformatoribus, iique primarii, *Lutherus*, *Zwinglius*, *Oecolampadius*, ceteri, fuerant legitime, ſeu pro more & Lege illorum temporum conſtituti Presbyteri, Doctores & Paſtores. De hoc conſtat ex Hiſtoriis.

539. At ajunt adverſarii, non ad hoc vocatos fuiſſe, ut receptam Eccleſiæ doctrinam convellerent. Reſpondeo: Vocationis vis ea eſt, ut doceatur Religio Chriſtiana, eaque vera & genuina, non falſa & corrupta. 540.

540. Quod autem alii, in Eccleſia Romana non ordinati, illorum exemplo paſſim excitati ſunt, ut & ipſi veritatem cognitam aliis traderent, atque ſeu privatim ſeu publice docerent, id pio illorum ſtudio, & Vocationi internæ, de qua §. 533. tribuendum eſt, cui poſtea auctoritatem addidit doctrinæ veritas & Eccleſiarum adſenſus.

541. Miniſtris Eccleſiæ competit *auctoritas*, qualis eſt Doctorum, & Rectorum, ſeu Præſidum alicujus cœtus. Quam ob cauſſam appellantur Ἡγούμενοι, *duces*, quibus parendum ac fides habenda eſt, Hebr. XIII, 17. Non eſt autem ea *irrefragabilis*, ſeu infallibilis, ſed examini obnoxia, 1 Theſſ. V, 21.

542. Non habet ergo in Eccleſia locum *Dominatio*, quippe quæ nec Miniſtris competit, 1 Petr. V, 3. nec Civitatum Rectoribus, quibus Corpora & Bona Civium, non Animæ ſeu Conſcientiæ obnoxiæ ſunt. Nam in has imperium eſt ſolius Dei, & oportet Deo magis obedire, quam hominibus, Act. IV, 19.

543. Fidelibus competit *Libertas Conſcientiæ*, ab omni *Coactione* immunis, quia Fides ſola perſuaſione producitur, quam violentia potius impedit, ac hypocritas efficit. Ideo & Chriſtus violentiam vetuit Luc. IX, 54. 55. 56.

544. Quod Chriſtus in Parabola Luc. XIV, 23. ait, ſervo homines ad Convivium vocanti dictum eſſe: ἀνάγκασον, *coge*, ſeu *compelle intrare*; id non coactionem proprie ſignificat, ſeu vim adlatam, quæ cum invitatione ad convivium,

vium, qua Vocatio ad Eccleſiam figuratur, non convenit. Notat ergo niſum & inſtantiam vocantis; quæ non aliam, quam blandam vim adfert, ac rationibus perſuaſoriis conſtat. Sic verbum Matth. XIV, 22. & Gal. II, 14. accipitur.

545. Eccleſia non impedit *Imperium civile;* ſed potius adjuvat ac confirmat. Quæcunque enim ſunt genuina Eccleſia Membræ, illi & ſunt boni Cives, quia Chriſtiano injunctum eſt, ut *humanæ poteſtati ſe ſubjiciat*, Rom. XIII, 1. ac *det Cæſari, quod Cæſaris eſt*, Matth. XXII, 21.

546. Cum omnis externi Ordinis inter homines conſervatio Magiſtratibus incumbat, hinc & ſummo Imperanti competit *Jus circa ſacra*, quod Veteres appellarunt Ἐπισκοπὴν τῶν ἔξω, *Inſpectionem rerum externarum.* Huc pertinet cura Religionis in univerſum; item ne turbetur per Eccleſiam Reſpublica, aut ipſa Eccleſia vexetur, ut Judicia Eccleſiaſtica conſtituantur, & ſimilia.

547. *Munus* Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtit 1. in *docendo*, quo pertinet inſtitutio in fide & moribus, exhortatio, reprehenſio, conſolatio. 2. In Cultu divino publico peragendo, adminiſtrandis Sacramentis, conſecratione Matrimonii. 3. In Diſciplina Eccleſiaſtica. Omnia partim publicis, partim privatis actibus continentur, Act. XX, 20. conſtituuntque *Curam Animarum*, Hebr. XIII, 17.

548. Pro labore, quem Eccleſiæ præſtant, licet illis *ſalaria* accipere, non ut Mercedes,
ſed

ſed ut Honoraria & Alimenta, 1 Cor. IX. 11. ſ. 1 Tim. V. 18. Hæc ergo vel ab Eccleſia, vel a ſummo Imperante ſunt conſtituenda, quod contra Fanaticos notandum, qui Miniſtrorum ſalaria reprehendunt, ſuos tamen Doctores largiter ſuſtentant.

549. Ut Miniſtri Eccleſiæ ſuo officio fungi poſſint, oportet ut certis cœtibus ſint aſſignati, item ut Locus & Tempora Sacrorum ſint conſtituta. *Templa*, quamvis proprie ſic dicta Chriſtianis non ſint, quippe quæ Cultui Gentilium & Judæorum inſerviebant; interim tamen loca Sacris conventibus deſtinata ſic vocantur, quum ædificiis publicis continentur. Talia cum primum licebat, ſibi Chriſtiani compararunt.

550. *Diſciplina Eccleſiaſtica* eſt animadverſio Eccleſiæ in eos, qui ipſam offendunt ſeu prava doctrina ſeu pravis moribus. Ea tum ex natura Eccleſiæ, ut Societatis: tum ex dictis Scripturæ S. colligitur. Huc pertinent Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Joh. XX. 23. 1 Cor. V. 5. 2 Cor. II. 6. 2 Theſſ. III. 14. 1 Tim. V. 20.

551. Additur tandem huic Articulo Symboli, *Communio Sanctorum*. Hi ſunt vel vere Sancti, id eſt fideles & ſanctificati, cum quibus & *externam* & *internam* Communionem habemus: vel tales, qui ſolummodo eandem nobiſcum fidem profitentur. Cum his ſolam colimus Communionem *externam*.

552. Hæc

552. Hæc *externa Communio* in ejuſdem Fidei profeſſione, Cultu publico, Sacramentorum uſu, & obedientia S. Miniſterii continetur. Omnes enim iſti, ubicunque terrarum ſint, unam tantum Eccleſiam univerſalem conſtituunt, unumque habent Caput §. 506-508. Vere autem Sancti externis illis rebus eorundem quoque Bonorum Spiritualium participationem addunt.

553. Hinc emergit officium τῆς φιλαδελφίας, ſeu *fraternæ Charitatis*, Rom. XII. 10. qua alii alios complectuntur. Eo pertinet Beneficentia erga egenos, in qua illuſtre imprimis exemplum Eccleſiæ primitivæ Hieroſolymis collectæ, de qua Act. II. 44. dicitur: *Εἶχον ἅπαντα κοινά, habebant omnia communia.* Hac ratione fit, ut egeſtas tenuiorum opulentia divitum ſublevetur, & induſtria ac labor omnium neceſſitatibus eorum, qui laborare, & propriis impenſis vivere nequeunt, ſufficiat. Conferatur etiam 2 Cor. VIII.

554. Perverſa ergo fuit eorum ſententia, qui Communionem omnium Bonorum ita inter Chriſtianos introducendam exiſtimarunt. ut nihil cuiquam proprium eſſet, ſed de communi velut acervo omnes viverent. Non enim hæc fuit Eccleſiæ Apoſtolicæ ſententia. Nec Apoſtoli uſquam talem Communionem introduxerunt, ſed Charitatem mutuam omnibus unice commendarunt.

555. Continetur ergo in Communione Sanctorum 1. *Unio* fidelium inter ſe: 2. Eorundem

rundem *Unio* cum Chriſto tanquam Capite, cujus ipſi Corporis Membra conſtituunt. Prior Unio & ad illos ſe extendit, de quibus non conſtat, an veri fideles ſint. Nam cum Fides ſub ſenſum non cadat §. 515. facile fieri poſſet, ut in alterutram partem erremus, & pro fideli non fidelem habeamus, & viciſſim.

556. Oportet ergo, ut Charitas noſtra ſit promiſcua, & omnes illos complectatur, qui eandem nobiſcum fidem profitentur, & externam cum Eccleſia Communionem colunt, nec temere nobis poteſtatem de aliis judicandi arrogemus, Matth. VII. 1. Rom. XIV. 4.

CAP. XVIII. *Art.* X. *De Remiſſione Peccatorum.*

557. Articulus Symboli X. eſt: Credo *Remiſſionem Peccatorum.* Illud enim verbum, quamvis non omnibus Articulis præfixum, de omnibus tamen intelligendum eſt. Remiſſio Peccatorum eſt ille Actus divinæ Miſericordiæ, quo fit ut credentibus in Chriſtum peccata non imputentur, nec a Deo puniantur, ſed illi potius propter Chriſtum in Gratiam recipiantur.

558. Qui peccata remittit, eſt *Deus*, & quidem *ſolus*, Matth IX. 6. Luc. V. 21. Nam omnia in ipſum ſolum ſunt commiſſa. Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, Miniſtris Eccleſiæ, non alia poteſtas peccata re-

mittendi, quam talis, quæ conſiſtit in denuntiatione Remiſſionis Peccatorum, ſub conditione Fidei & Reſipiſcentiæ Nomine Dei facienda, conceſſa eſt.

559. Remiſſio Peccatorum ex Miſericordia Dei procedit adeoque *gratuita* eſt. Nulla enim ratione mereri poſſumus, ut ea nobis concedatur. Solus Chriſtus ille eſt, qui eam nobis acquiſivit ac promeruit, dum ſuo ſanguine nos redemit, ac peccata expiavit, 1 Petr. III. 18. 1 Joh. I. 9. II. 2. Coloſſ. I. 19, 20. Hebr. XII. 23, 24. Eph. I. 7.

560. Ea ergo ſolis obtingit *credentibus* in Chriſtum. Nemo Remiſſionem peccatorum conſequitur, niſi qui habeat Fidem veram, cui adjuncta ſit Reſipiſcentia. Sic enim Chriſtum cum omni ſua doctrina amplectimur, & nobis applicamus.

561. Inde naſcitur *Juſtificatio* Peccatoris coram Deo, græce *δικαίωσις*. Per hanc homo a Deo per imputationem Juſtitiæ Chriſti a peccatis ſuis abſolvitur, & ut Juſtus tractatur. Hanc eſſe genuinam hujus vocis notionem, patet præter alia loca ex Rom. III. 24, 25. IV. 7. 8. V. 19.

562. Eſt ergo illud verbum *judiciale*, hebr. הצדיק, cui opponitur הרשיע, *condemnare*. Conſtat hoc ex locis V. T. in quibus occurrit, ut Exod. XXIII. 7. 1 Reg. VIII. 32. Prov. XVII. 15. cum quibus confer. Rom. VIII. 32, 33. Act. XIII. 38, 39.

563. Non fieri ergo patet Juſtificationem per

per Juſtitiam propriam, aut nobis *infuſam*, ſed per alienam, ſcil. Chriſti Juſtitiam nobis *imputatam*. Id confirmatur per verbum *λογίζειν*, *imputare*, quo eadem res exprimitur Rom. IV. & alibi. Id confirmatur ex 2 Cor. V. 21. ubi dicitur Deus *eum*, *qui non noverat peccatum*, id eſt Jeſum Chriſtum, *pro nobis peccatum*, ſ. victimam pro peccato, *feciſſe*, *ut nos fieremus juſtitia Dei in ipſo*, id eſt, ut ipſius cauſſa a Deo juſti haberemur.

564. Sunt qui diſtinquant Juſtitiam Chriſti in *activam* & *paſſivam*. Illam dicunt, quam agendo, hanc quam patiendo præſtitit. Utrumque ad Satisfactionem pro Peccatis requirebatur. Niſi enim Chriſtus immunis fuiſſet ab omni peccato, non potuiſſet patiendo Mundi peccata expiare. Fuit ergo *obediens uſque ad Mortem*, Phil. II. 8. Sed proprie una tantum eſt Juſtitia Chriſti, quam pro nobis præſtitit. Vid. Rom. V. 17. 19. Gal. IV. 4, 5.

565. Sicut autem Deus ex ſola Miſericordia juſtificat Peccatorem § 559. ita a Peccatore poſtulatur *fides*. Hinc dicitur *Fide*, & quidem *ſola*, juſtificari hominem Rom. III. 28. Phil. III. 9. & *Fidem nobis imputari in juſtitiam*, Rom. IV. 5. Fides enim excludit omne meritum proprium, nec ipſa meretur quidquam; ſed Gratiam Dei in Chriſto oblatam apprehendit. Vid. Gal. II. 16. Eph. II. 8, 9.

566. Hæc eſt conſtans & perpetua Evan-

 gelii

gelii doctrina. Quod enim dicitur Jac. II. 24. non repugnat ſententiæ Pauli, ſed illorum pravæ opinioni, qui *Fidem* meram ſpeculationem, ac perſuaſionem effectu carentem ſufficere ad Juſtificationem putabant. Talem fidem Operibus bonis deſtitutam appellat Jacobus *mortuam*. Hæc minime hominem juſtificat. Sed illa demum fides, quam Paulus dicit, eſſe efficacem per caritatem Gal. V. 6.

567. Errabant ergo *Judæi*, qui exiſtimabant per Legis obſervationem ſe juſtos reddi, qui eſt nunc quoque ejus gentis error, imprimis notatus Rom. IX 30 32. Act. XIII. 39. Cum autem ipſa experientia doceat, per inſitam homini pravitatem fieri, ut Legem nunquam perfecte obſervaret, hinc & intelligi poteſt, fruſtra ſalutem per propriam hominis juſtitiam exſpectari.

568. Pontificii in hoc primum errant, quod putant Juſtificationem conſiſtere in donatione habitualis & inhærentis Juſtitiæ, ejuſque actu phyſico & morali. Is error refutatur 1. per ea, quæ §. 561-563. dicta. 2. Confundit Juſtificationem cum Sanctificatione, de qua §. 494.

569. Iidem deinde in hoc quoque errant, quod putant nos juſtificari virtute & merito partim *fidei* noſtræ, partim *Operum bonorum*, quæ vel ante Gratiam, vel in Gratia ſint facta. Sed hanc Controverſiam complures quæſtiones ingrediuntur, de

quibus

quibus alibi potius agendum erit. Fides autem non ut Opus, ſed ut Medium, Gratiam Dei juſtificantem amplectendi, conſiderari poteſt. §. 565.

570. Remiſſio peccatorum eſt plena & perfecta, nec pertinet ſolummodo ad culpam ſeu pœnam æternam; ſed ad temporales pœnas, pro quibus adeo homines haud ipſi vel ſatisfacere poſſunt vel debent. Chriſtus enim λύτρον, ſ. Redemptionis pretium, & Satisfactionem pleniſſime præſtitit: §. 427.

571. Ex Remiſſione peccatorum ſequitur, & cum ea conjunctum eſt Beneficium *Adoptionis*, quod in eo conſiſtit, ut Deus nos propter Filium ſuum Unigenitum pro ſuis quoque Filiis accipiat, & Jus veluti hæreditarium, ſeu ſpem vitæ æternæ nobis conferat. Cum enim Peccata nos a Communione cum Summo Bono removeant, Remiſſio Peccatorum nos viciſſim cum eo conjungit, Act. XXVI. 18. Rom. V. 1-3. VIII. 15. ſ. Gal. IV. 4, 5.

572. Hic eſt inſignis Uſus iſtius Articuli, ita ut omnis hæc doctrina proprie ad piorum conſolationem accommodata ſit. Solum illud eſt, quod fidelium animos ac Conſcientias ſedare in angoribus poſſit. Quoniam vero Fides, eaque vera & genuina, ſola Beneficium iſtud Juſtificationis nobis applicat, hinc patet, quanta ſit Fidei neceſſitas.

CAP. XIX. *Art.* XI. *de Reſurrectione Corporis.*

573. Articulus XI. eſt: Credo *Reſurrectionem Carnis*, ſeu Corporis. Ea eſt Corporis mortui ac poſt mortem diſſoluti reſtitutio, animæque cum illo conjunctio, ut dein totus homo ſeu præmii ſeu pœnæ capax reddatur. Ejus Reſurrectionis primum poſſibilitas, dein veritas ac certitudo eſt cognoſcenda.

574. Poſſibilitas Reſurrectionis ex Dei Omnipotentia intelligitur, § 71. Cum Creatio ex Nihilo fieri potuerit, §. 340, 341. multo magis rerum creatarum reſtitutio poſſibilis erit. Non enim per mortem annihilari hominem ex eo intelligimus, quod nulla ſubſtantia in nihilum redigatur.

575. Animam vero hominis immortalem eſſe ex ratione jam probatum eſt §. 136. ſ. Ipſa vero Revelatio idem docet. In V. T. rarius quidem, quam in N. ſed tamen non prorſus nulla fit mentio. Vid. Eccl XII. 9. Nec facile Religionem pro divina habere poſſemus, quæ nonniſi anguſtis hujus vitæ terminis contineatur.

576. Tempore Servatoris noſtri in terris ambulantis inter Judæos Secta fuit *Sadducæorum*, qui & Reſurrectionem & Angelorum aut Spirituum exſiſtentiam negabant, nihilque niſi materiale & mortale admittebant. His oppoſiti *Phariſæi* ea e contrario aſſerebant. His ſe adſentire Paulus Apoſtolus oſtendit Act. XXIII. 6. 8.

577.

577. Cumque illi *Sadducæi* Chriſto ſcrupulum de Reſurrectione objicerent, diſerte hic & Immortalitatem Animæ & Reſurrectionem adſeruit, Matth. XXII. 31, 32. ubi tam ſuam doctrinam, quam V. T. ſententiam ex Exod. III. 6. in medium protulit.

578. Argumenta alia ex pluribus ſuppeditant loca ſequentia: Matth. X. 28. 2 Cor. V. 1. Hebr. XII. 23. Apoc. VI. 9, 10. Luc. XVI. 19. ſ. Ipſaque doctrina Chriſtianæ Religionis univerſa huc pertinet, imprimis Articulus XII. de quo deinceps agendum.

579. Non tantum ſupereſſe Animas poſt exceſſum ex Corpore, ſed etiam vivere ac ſentire, iisdem argumentis probatur, aliiſque pluribus, unde conſtat Animam hominis ſtatim poſt mortem aut felicitate frui, aut pœnas dare. Addatur Luc. XXIII. 42, 43. Phil. I. 23, 24.

580. Nullus eſt ergo Somnus Animarum a Corporibus ſejunctarum, quem ſtatuentes Fanatici quidam *Pſychopannychitæ* dicti. Quod enim in Libris Sacris dormire homines mortui dicuntur, id non ad Animam pertinet, ſed ad totum hominem, & quidem per figuram, quoniam ceſſant ejus Actiones, quibus in hac vita utebatur, quemadmodum in ſomno haud aguntur ea, quæ a vigilantibus fieri ſolent.

581. Eandem ob cauſſam rejicimus quoque *Limbum Patrum* & *Purgatorium*, quorum utrumque quaſi medium inter hanc & cœleſtem vitam Pontificii interponunt. Sic enim illi

ſentiunt: eſſe abdita quædam loca, in quibus Animæ defunctorum, antequam ad cœleſtem beatitudinem perveniant, detineantur. *Limbum Patrum*, ac *Sinum Abrahæ* appellari illum, quo receptæ fuerint Animæ Sanctorum, ante Chriſti Adventum defunctorum, ibique ſine ullo doloris ſenſu ſpe Redemtionis ſuſtentatæ. In *Purgatorio* autem Animas piorum ad certum tempus cruciatas expiari, ut eis deinde in æternam patriam ingreſſus patere poſſit.

Vid. Catech. Rom. Part. 1. C. VI. §. 4. & 6.

582. Omnes vero has opiniones fundamento deſtitui firmo ac ſolido facile probatur. Contraria porro eſt doctrina certiſſima, de Judicio Dei §. 486. & de piorum Beatitudine ſtatim poſt mortem incipiente; §. 579. *Sinus Abrahæ*, de quo Luc. XVI. 22. Non eſt alius locus, quam is, ubi Beatitudine fruuntur pii. *Purgatorii* vero nuſquam in S. Script. ſit mentio.

583. Patrum Eccleſiæ auctoritas in iis dogmatibus probandis, quæ S. Scripturæ non ſunt conſentanea, nulla eſſe poteſt. Sed ne ſtatuerunt quidem illi tale purgatorium, quale Pontificiorum eſt. Cum enim de purgatione Animarum humanarum loquuntur, Platonicam illam intelligunt, in fine Mundi futuram.

584. Probata Reſurrectionis poſſibilitate §. 574. probanda eſt illius Veritas ac Certitudo. Auctoritates ex Scriptis V. T. minus multæ & claræ. Sunt tamen nonnullæ, ut

Job.

Job. XIX. 25. ſ. Pſ. XVII. 15. Dan. XII. 2. Eſaj. XXVI. 19. Ea loca non tantum de reſtitutione quadam temporali, ſed de vera & propria Corporum Reſurrectione agere colligimus ex eo, quod alias verborum vis nimis extenuaretur, nec figura Reſtitutionis temporalis a Reſurrectione deduci poſſet, niſi hæc aliquando exſpectanda eſſet. Add. Ezech. XXXVII.

585. Loca N. T. Reſurrectionem Corporum probantia ſunt plura & clariora. Præter alia, Act. XXIV. 15. Joh. V. 28, 29. 1 Cor. XV. 12. ſ. 1 Theſſ. IV. 13. ſ. Matth. XXII. 35. Ex his notari imprimis debet 1 Cor. XV. in quo Apoſtolus deſtinato conſilio Reſurrectionem futuram probat.

586. Inter argumenta ejus adducit Reſurrectionem Chriſti, quam ergo & nos ad fidei noſtræ confirmationem adhibere debemus. Chriſtus enim fuit ἀπαρχὴ, *primitiæ*, ſeu primus *dormientium*, ſeu Mortuorum, qui reſurrexerit, ℣. 20. ſcilicet eorum, qui ad Eccleſiam N. T. pertinebant.

587. Sic etiam cum ſciamus Chriſtum eſſe *Caput* Eccleſiæ, Fideles autem eſſe ejus *Membra*; §. 506. hinc & ſequitur, quia Caput reſurrexit, etiam Membra reſurrectura eſſe. Quod quidem ad Fideles proprie pertinet.

588. Sed & impios eſſe reſurrecturos, ex aliis rationibus patet, & præcipue ex Juſtitia

Dei, quæ requirit, ut totus homo, qui peccavit, puniatur. Porro Corpus fuit plerumque Inſtrumentum peccandi, nonnunquam & cauſſa. Juſtum itaque eſt, ut ipſum quoque, una cum Anima, puniatur.

589. Eadem quoque argumentatione conficitur, idem, non aliud, Corpus reſurrecturum, ut ille ipſe homo, qui in hac vita bene aut male egit, præmio aut poena adficiatur. Porro omnia, quæ probant Reſurrectionem Corporis, id quoque probant. Nam ſi aliud, quam in vita præſenti habuerunt, Corpus animabus daretur, non eſſet hæc Reſurrectio, ſed nova Creatio.

590. Difficultatibus occurritur per hanc declarationem: Idem Corpus intelligi, quamvis nec omnibus illis particulis conſtet, quibus noſtrum Corpus in hac vita conſtitit, nec omnes retineat qualitates, quas habuit. Si iisdem conſiſtat elementis ac ſtaminibus; & quibusdam characteribus, quibus unius hominis Corpus a Corpore alterius diſtinquitur, jam ſufficit, ut idem Corpus ſingulis reſtitutum habeatur. Sic & idem hominis Corpus eſt in ſenectute, quod fuit in juventute, quamvis propter continuam ſecretionem veterum & aggregationem novarum particularum perpetuas mutationes ſubierit.

591. Notamus hic paucis errorem eorum, qui olim cenſebant, in Reſurrectione Corpus aliquod ſubtile, tenue, aëreum animabus ſuperinduendum. Contra hos enim in anti-

antiquis ſymboli exemplis Reſurrectio Carnis, non Corporis, ſcripta eſt.

Not. Vid. Hiſt. Crit. Symboli Apoſt. C. VII. §. 38. 39.

592. Sic & Judæi errant, qui non omnes prorſus, ſed inſigniores tantum impios ad pœnam reſurrecturos ſtatuunt, ceteris neglectis, & in his etiam antediluvianis. Hæc enim per ante dicta jam refutantur.

593. Mutatio in Corporibus reſurgentium omnino futura eſt. Vid. 1 Cor. XV. 35-54. & Phil. III. 21. Sed illa qualitates quaſdam alias, non aliam Corporis ſubſtantiam, producet. Fidelium enim Corpus non amplius corruptioni aut ulli moleſtiæ obnoxium erit, eoque reſpectu non *animale*, ſed *ſpirituale* appellatur.

594. Reſurrectio *unica* tantum erit; quod ideo notandum, quia nonnulli *duplicem* ſtatuunt, unam piorum, alteram poſtea futuram impiorum, interpoſito mille annorum regno Chriſti in terris. Id ſenſiſſe creduntur complures ex Patribus, quorum in ea parte Anteſignanus *Papias*, ſæculo III. Argumentum ejus rei ex Apocalypſ. XX. 5. 6. 12. 13.

595. Hic eſt, qui appellatur *Chiliaſmus*, ſed ſubtilior; ille vero craſſior, quo *Anabaptiſtæ* quidam ſibi fingunt, Filium Dei glorioſe in terris ac viſibiliter manifeſtandum, Judæos in terram Chanaan reducendos, Politiam eorum ac ritus reſtaurandos, Regnum terrenum, viſibile ac corporaliter etiam felix erigendum, cujus Caput futura Hieroſolyma &c.

596. Hunc craſſiorem errorem facile rejicimus, quippe a Natura Regni Chriſti prorſus alienum. Nec talis certe piorum Patrum fuit; ſed *Cerinthi* Hæretici, de quo Euſeb. Hiſt. Eccl. III. 28. & VII. 25.

597. Subtilior vero Chiliasmus, quum nullum habeat argumentum præter Apocal. XX. haudquaquam ſolide probari poteſt. Nam locus ille obſcurior eſt. Ad tantam vero rem probandam clara requiruntur teſtimonia. De illo enim Apocalypſeos loco admodum diſſentiunt Interpretes, de quibus videantur Commentarii.

598 Nihil interim certius videtur eſſe, quam ſecuturum poſt Reſurrectionem Judicium extremum, de quo Cap. XV. Art VII. ac ipſum Mundi finem. Hunc per ignem eſſe futurum antiquiſſima eſt opinio inter Judæos & Gentiles. Scriptura S. N. T. paſſim idem docet. Vid 2 Petr. III. 10. 12.

599. Eodem etiam Petri loco docetur *Uſus hujus doctrinæ* cum ad Piorum Conſolationem, tum ad Terrorem impiorum. Præterea intelligimus, quanta ſit neceſſitas Vitæ ſanctæ, ut ſcilicet peccata fugientes DEO ſerviamus. Tandem & hæc Corporis reſurrectio figuram nobis præbet Reſurrectionis ſpiritualis, qua ex Morte peccati per ſeriam Reſipiſcentiam ad Vitam Deo gratam transeamus, Rom. XIII. 11. Eph. V. 14.

CAP.

CAP. XX. *Art.* XII. *De Vita ac Morte æterna.*

600. Articulus XII. atque ultimus Symboli eſt: Credo *Vitam æternam.* Eo nomine notatur Vita feliciſſima, in qua Beati perfectam habituri ſint ab omnibus malis tam Corporis quam Animæ liberationem, & omnium Bonorum jucundiſſimam & ſempiternam fruitionem.

601. Iſte Status Beatorum vocatur *Vita*, Matth. VII. 14. Joh. III. 36. quia ſuarum actionum & cogitationum continuarum ſibi conſcii ſint futuri. Oppoſitum ejus vocamus *Mortem æternam*, & quidem improprie, non quia ceſſabunt ſenſus & operationes vitales, ſed ob miſeriam continuam, in qua improbi ſint perſtituri.

602. *Beatitudo* illius Vitæ conſiſtet in omnimoda *perfectione* ſtatus hominis cum quoad corpus tum quoad animam. In hac enim perficietur *Intellectus*, & ampliore ac clariore cognitione Dei & rerum divinarum donabitur, Matth. V. 8. Hebr. XII. 14. 1 Cor. XIII. 12. 1 Joh. III. 2.

603. Cognitio hæc Beatos immediate ad Glorificationem Creatoris & Beatitudinem propriam ducet. Cognoſcent itaque Deum & Myſteria in Deo recondita. Cognoſcent S. Angelos, ſeipſos & vias Dei, quibus in hac vita gubernati fuerunt, opera Creationis alia, quorum cognitione Dei Gloria & ipſorum lætitia

lætitia augeri poſſit; liberabuntur ſcrupulis ac tenebris ignorantiæ, quibus in hac vita ſunt immerſi.

604. Quemadmodum illa cognitio nullo labore acquiretur, ita continuam præbebit materiam ſeſe exercendi, ac virtutes, & imprimis ſapientiam Dei admirandi, nec unquam exhaurietur hujus cognitionis & admirationis objectum.

605. Perficietur etiam in altera illa vita *Voluntas* Beatorum, ut non ſancti tantum, ſed perfecte ſancti ſint futuri. Intellectum enim ſequetur Voluntas. Quemadmodum ille perfectius Deum & res divinas ſibi repræſentabit, ita & hæc eum perfectius amabit. Homo pius in hac Vita incipit Deum ſincere amare, ubi variis nævis & infirmitatibus Corporis, & neceſſitatibus obnoxius eſt. Longe ardentius ergo & perfectius eum amabit, cum hæc omnia ceſſabunt.

606. Perfectior etiam in eo reddetur hominis ſtatus, quod immunis reddetur ab omnibus malis cum Corporis tum animi. Aberunt dolores, morbi, moleſtiæ & neceſſitates aliæ, ob Corporis mutationem, quæ in Reſurrectione eſt facta §. 593. Aberit omnis occaſio peccandi, omniſque ad peccatum tentatio; aberunt omnia, quæ Amorem Dei in homine impedire aut imminuere queant.

607. Hinc ergo fruetur homo beatus omni vero & ſummo Bono, quod ſpirituale erit, & non Corpus, ſed Animam potiſſimum adficiet

Apoc.

Apoc. VII. 16, 17. XXI. 4. Quamvis enim vitæ futuræ gaudia aliquando nobis ſub figura convivii & nuptiarum proponantur, non eſſe tamen ea niſi ſpiritualiter intelligenda credimus. Vid. Luc. XXII. 30. Matth. XXII. 2. Apoc. XIX. 7. Rejicimus igitur *Judæorum* recentiorum & *Mobammedanorum* de Paradiſo ſuo ſomnia.

608. Eadem Beatitudo dicitur aliquando *Communio* cum Deo, quæ in hac vita incipit, in altera perficitur: 1 Joh. I. 6. Appellatur etiam *Viſio* Dei, ob cognitionem perfectiorem, 1 Cor. XII. 13. 1 Joh. III. 2. Hanc Viſionem appellant *intuitivam* Theologi, ut ab ea diſcernatur, quæ in hac Vita homini obtingit. Lumenque illud, quod homini ad eam comparandam obtingit, Lumen Gloriæ nominant.

609. *Aeterna* autem dicitur illa Beatorum Vita, ut duratio ejus fine carens indicetur. Finem enim habere non poterit, niſi aut propter peccatum hominum, aut propter Voluntatem Dei. Peccatum in Vita Beatorum locum non habebit. Nolle autem Deum homines annihilare ex ipſius Verbo intelligimus.

610. Sic ζωὴ αἰώνιος, *Vita æterna*, compluribus in locis dicitur. Vid. Matth. XVI. 19. XXV. 46. Joh. III. 15. XVII. 2, 3. Luc. X. 25. 28. Coll. cum Levit. XVIII. 5. ſ. Nec reſtringendam hanc æternitatem, ſed veram & propriam eſſe intelligendam exiſtimamus. Non ergo locum habere poſſunt

Plato-

Platonis & *Origenis* Periodi & Revolutiones, aut Reſtitutiones priſtini Status. DEVS enim æternum præmium tribuere & vult & poteſt.

611. Summa illa Beatitudo Gradus habebit, ita ut alii majorem alii minorem ſint habituri. Nam id poſtulat divina Juſtitia, ut qui in hac vita majorem adepti ſunt ſanctitatis gradum, aut majorem ob Dei Regnum pertulerint moleſtiam, etiam majore beatitudine ſint fruituri. Idem confirmatur Dan. XII. 3. 1 Cor. XV. 41, 42.

612. Nihiloſecius omnium Beatitudinem ſummam eſſe futuram, minime dubium eſt. Magnitudo ejus etiam emphatice deſcribitur, Rom. VIII. 18. 1 Cor. II. 9. Ad eam ſi quid conferre poſſit etiam agnitio eorum, qui nobis in hac vita chari fuerunt, aut in magno honore habiti, dubium non eſt, quin & ſe invicem agnituri ſint Beati.

613. Multitudo Beatorum in altera Vita dicitur *Eccleſia triumphans*; quæ ſcilicet peracta hujus Vitæ militia præmium victoriæ conſecuta eſt. Hinc Beatis illis tribuuntur *Veſtes candidæ*, Symbolum puritatis ac Gloriæ, Apoc. III. 5. VII. 9. 14. & *Palmæ*, ſignum victoriæ, ibid.

614. *Locus* ei Felicitati aſſignatus *Cœlum* dicitur, 2 Cor. V. 1. Dicitur & *novum Cœlum* ac *nova Terra*, 2 Petr. III. 13. Ibi erunt *in Luce* Col. I. 12. Erunt *in domo Patris* Joh. XIV. 2. in *Civitate Dei viventis*, Hebr. XII. 22.

in

in *Sinu Abrahæ*, Luc. XVI. 23. in *Paradiſo* Luc. XXIII. 43. Dubium tamen non eſt, quin multa hic figurata, & obſcuriora, quæ ſuo demum tempore clarius cognoſcentur.

615. Oppoſitum *Vitæ*, eſt *Mors æterna* §. 60. Eo nomine intelligitur pœna impiis poſt mortem infligenda. Ea conſiſtet 1. in *privatione* Boni, quo fruentur Beati, Matth. VIII. 12. Apoc. XXII. 15, 2. in *ſenſu* malorum Animi & Corporis, Matth V. 22. X. 28. XXII. 13. XXV. 46. Luc, XVI. 27.

616. Sic ergo in hoc Statu omnia oppoſita ſtatui Beatorum 1. Ratione *Intellectus*, qui depravatus, cœcus, ignorantiæ & erroribus immerſus. 2. Ratione *Voluntatis*, quæ perverſa, pro ut in hac vita jam eſſe cœpit, permanebit. 3. Ratione Corporis, non erunt quidem eædem neceſſitates, quæ in hac vita fuerunt, ſed alii longe graviores cruciatus, ac dolores incomprehenſibiles.

617. Ad animum pertinent quoque *Conſcientiæ* morſus, qui orientur ex cogitatione, quod toties ac tam graviter in hac vita peccaverint, quod media ſalutis neglexerint, quod miſeriam ſibi propria malitia accerſiverint, quod Deum merito habeant iratum, quod multi eorum, quos innocentes in hac Vita offenderint, atque injuriis adfecerint, nunc in Cœlis beati ſint, & quæ ſunt ſimilia alia.

618. In deſcribendis his malis S. Scriptura figuratis utitur locutionibus, qualis illa eſt

Eſaj. LXVI. 24. & Marc. IX. 44. *Vermis, qui non moritur; ignis qui non exſtinguitur*. Nominatur *Stridor dentium*, Matth. XXIV. 51. *Ignis* Matth. XXV. 41. *Sitis in flamma*, Luc. XVI. 24. Omnia ad Terrorem impiis incutiendum adaptata.

619. De *Loco* nihil certi indicatur, niſi quod omnino talis detur. Sed quinam ille ſit ignoratur. S. Scriptura variis utitur nominibus: Appellat *ᾅδην*, Luc. XVI. 23. *Abyſſum*, Luc. VIII. 31. Apoc. XX. 3. & alibi paſſim; ibid. v. 10. *Ignem* cum *ſulphure* ibi eſſe dicit. Appellat *τόπον βασάνου*, *locum tormenti*, Luc. XVI. 28. *φυλακὴν*, *carcerem*, 1 Petr. III. 19. *fornacem ignis*, Matth. XIII. 42. *Gehennam*, Matth. X. 28. *Tartarum*, 2 Petr. II. 4. Hac voce & Gentiles uſi locum ſubterraneum intelligebant. Latini & *Inferos* & *Infernum* vocant.

620. Duratio iſtorum malorum *æterna* erit. *Æternitas* autem hæc eſt vera ac talis, quæ fine omnino careat. 1. Conſtat hoc Ratione, quæ docet, nunquam tolli nexum inter peccatum & pœnam peccati, quippe qui eſt neceſſarius §. 135. 2. Revelatione, quæ iisdem vocibus *æternitatem pœnarum* exprellit, quibus æternitatem vitæ, Dan. XII. 2. Matth. XXV. 46. etiam multiplicat eas, Apoc. XIV. 11. XX. 10. ac utitur formulis finem negantibus, Marc. IX. 44. Matth. III. 12.

621. Hanc pœnarum æternitatem multi impugnant, cum de æternitate præmiorum

nemini

nemini in mentem venerit dubitare. Nimirum, ſuave eſt, de hoc cogitare; de illa vero moleſtum. Nihil tamen obſtare debet, quominus credamus, ſicut poteſt Deus bonum æterna felicitate remunerari, ita & poſſe malum æterna miſeria punire.

622. Putant tamen nonnulli, cum Bonitate Dei, immo & cum Juſtitia pugnare, ſi Creaturam ſuam æternæ addicat Miſeriæ: Eam ob cauſſam Vocabula, quibus æternitas exprimitur, reſtringenda eſſe. Sic notatur עולם, quod græce per αἰῶνα, latine per Ævum vel Æternitatem vertitur, ſæpe non infinitum, ſed finitum ac diutiſſime continuatum tempus ſignificare. Vid. Exod. XXI. 6. Gen. XVII. 8. 1 Sam. I. 22. Sic & in græcis αἰὼν & αἰώνιος, tempora Mundi aliquando deſignat.

623. Hinc alii crediderunt fore, ut homines ad pœnas damnati, & ipſi quoque Dæmones, poſt cruciatus diu toleratos, redeant cum Deo in Gratiam, & ſuppliciis illis expiati & purgati reſtituantur Beatitudini, tanquam Creationis omnium fini ſummo. Quia hæc ſententia *Origenis* fuiſſe cenſetur, ideo *Origeniſmus* dicitur. Vocatur etiam Dogma τῆς Ἀποκαταςάσεως πάντων, *Reſtitutionis omnium rerum*, quoniam eo referunt ſententiam Act. III. 21. occurrentem.

624. Alii vero, ſcilicet *Sociniani*, ſtatuunt, ignem illum, quo poſt hanc vitam cruciabuntur impii, fore *abſumtivum* & *annihilativum*, qui tamdiu durat, quamdiu alimentum, ſeu materia adfuerit; tumque finem habiturum.

625. Objectiones itaque contra *Æternitatem pœnarum* conſiderabimus. Dicunt: Finem, ad quem DEVS Creaturas produxit, eſſe earum *felicitatem*. Non ergo admittere poſſe aut Bonitatem aut Sapientiam Dei, ut plurimi homines in æternum pereant.

626. Nos vero concedimus quidem, Creaturarum Felicitatem eſſe finem Creationis. Sed negamus, eum eſſe primarium. Nam primarius finis eſt *Gloria Dei*; quæ conſiſtit in manifeſtatione omnium ejus Perfectionum. Sunt autem Perfectiones Dei Bonitas & Sapientia, ex quibus emergit *Juſtitia*. Oportet ergo, ut fini huic primario ſubordinetur alter, ut ſecundarius; quod tum demum fit, quando Creatura ad felicitatem ita perducitur, ut *Juſtitia* Dei ſalva atque illæſa ſervetur (*a*).

627.

(*a*) Præterea dici non poteſt, finem Creationis ita eſſe Creaturarum Beatitudinem, ut non certa quadam Lege ad eam ſit contendendum. Scilicet Fidem & Reſipiſcentiam neceſſariam eſſe conſtat. Si his non ſtudeat Creatura, beata reddi non poteſt.

627. Non eſſet autem Juſtitia Dei ſalva, ſi Creaturam Deus felicem redderet nolentem ac reluctantem. Ei enim exhibere hoc Beneficium, atque ita Bonitatem exercere in eos, quibus Bonitas haud convenit, contrarium eſt Dei Sapientiæ, ſine qua Bonitas nunquam exercetur; quæ eſt ipſa Dei *Juſtitia.*

628 Ad hoc illuſtrandum obſervari debent ſequentia. DEVS erga quemvis hominem ſe benignum præbet tam circa Corpus, quam circa animam, in eum ſcilicet finem, ut ab eo glorificetur. Impii omnem hanc Dei benignitatem negligunt, aut ignominioſe rejiciunt. Nihil ergo mirum, ſi eos ulteriore ſua gratia indignos judicet, atque ita miſeros eſſe ſinat. Nam peccator tempus réſipiſcentiæ ipſi conceſſum negligit, nec deſinit peccare, quamvis ad reſipiſcentiam ſæpiſſime excitatus.

629. Eodem modo reſpondetur ad Objectionem ex Miſericordia Dei, & ex ejus Amore deductam. Niſi ergo probetur, damnatos poſt hanc vitam ad Reſipiſcentiam & fidem redituros, Deumque iis Gratiam ejus rei facturum, non poterit ulla ex Miſericordia Dei conſequentia ad damnatorum Reſtitutionem deduci. Nulla vero eſt promiſſio de Gratia poſt hanc vitam tribuenda.

630. Sunt qui dicant, Dogma de *Reſtitutione* efficacius eſſe motivum ad Virtutem,

 quam

quam Dogma de æternitate pœnarum, quia peccator tanto citius a peccatis ſuis ad bonam frugem ſit rediturus, quo breviorem malorum ſuorum in altera vita duratipnem facere poſſit. Sed cogitare deberent, ex falſa doctrina nullum fluere ſolidum ad virtutem incitamentum: neque Chriſtum & Apoſtolos unquam eo uſos eſſe, ſed potius æternitatem pœnarum ubique & ſerio inculcaſſe.

631. Deinde ſpes liberationis a pœnis peccati aliquando futuræ ſecuritatem potius peccatorum, quam reſipiſcentiam producit, dum terrorem eorum minuit. Tandem & iſtud clarum eſt, iis qui reſipiſcunt, nullas prorſus exſpectandas in altera Vita pœnas; ſed per Juſtitiam Chriſti Deo pro talibus plene ſatisfactum eſſe.

632. Nec dici poteſt, pœnarum æternitatem contrariam eſſe divinæ Juſtitiæ, quaſi nulla eſſet *proportio* inter peccata & pœnas. Iſta enim paritas non quærenda eſt in duratione, ſed in gravitate peccati, alioqui peccatum momento peractum, momentanea tantum pœna eſſet adficiendum. Gravitas autem peccati ex objecto, Deo nimirum offenſo, cujus infinita Majeſtas, infinita in nos beneficia, noſtra infinita obligatio, æſtimanda eſt.

633. Numerus autem Damnatorum, ſi major eſt, quam numerus Salvatorum, non hoc tanquam divinæ Bonitati contrarium habendum. Hominum enim hæc culpa eſt, qui

qui divinam illam Bonitatem eos ad reſipiſcentiam vocantem reſpuunt. Contrarium potius Sapientiæ & Sanctitati ejus id eſſet, ſi peccatores contumaces ac refractarios pœnis aliquando liberaret, non modo impunitatem concedendo, quod in annihilatione fieret, ſed & ad Beatitudinem transferendo, quod Origeniſtæ ſtatuunt.

634. Dicunt quidam, ſcopum pœnarum eſſe peccatoris emendationem; quare & pœnas alterius vitæ ceſſaturas, cum effectum iſtum produxerint. Sed negamus, illum unicum eſſe pœnarum ſcopum. Neque enim in hac vita unice ad hoc Deus pœnas immittit, ut Peccator emendetur. Sunt & alii fines, ſcilicet, ut exemplo alii abſterreantur, ut divina juſtitia demonſtretur, ut veritas divinarum comminationum confirmetur. Eæ autem Comminationes ad hoc propoſitæ ſunt, ut homines abſterreantur a peccatis. Si nulla eſſet earum certitudo, aut ſi ſperari poſſet, ut in peccatoribus haud reſipiſcentibus exſecutionem non haberent, inanes prorſus haberentur. Tandem nulla emendatio in altera Vita locum habere poteſt §. 629.

635. Loca quidem complura ad *Origenismum* ſtabiliendum a multis allegantur; ſed omnia contra verum & legitimum ſenſum. Ipſa imprimis ἀποκατάστασις πάντων, de qua Act. III. 21. ſeu *Reſtitutio omnium*, huc prorſus non pertinet. Loci inſpectio docet, ibi intelligi conſummationem & exſecutionem

omnium illarum rerum, quæ a Prophetis prædictæ ad finem uſque Mundi eventuræ erant.

636. Cum ergo nullus finis pœnarum ſperari poſſit, quippe cujus nec Ratio nec S. Scriptura ſpem facit; ſequitur quod pœna damnatorum cum *deſperatione* conjuncta ſit, quæ ejus gravitatem haud mediocriter auget.

637. Neque tamen eo ſecius *Gradus* in illis pœnis erunt, quos requirit Dei Juſtitia, quæ ſuum cuique tribuit, & reddit unicuique ſecundum opera ſua. Vid. Matth. XI. 22, 24. Luc. XII 47, 48. Conſiſtent autem illi Gradus in pœnarum diverſa gravitate, non in durationis differentia.

638. Uſus doctrinæ iſtius eſt, quod cogitatio Vitæ æternæ inſignem *conſolationem* piis adfert. Suſtentat eorum fidem, conſtantiam & patientiam, quæ ſine illa facile ſuccumberet. Eadem tanta vi mentem hominis erigit, ut in ipſis Adverſis lætetur; ſentiens hujus vitæ ærumnas non eſſe dignas illa Gloria, quæ aliquando in piis manifeſtabitur. Rom. VIII. 18. Beatiſſimum iſtud ſolatii genus, quod ſcimus, eos qui in hac vita fortiter peccato repugnaverint, in altera vita coronam Juſtitiæ reportaturos eſſe.

639. Eadem ergo Vitæ æternæ conſideratio ſtudium acerrimum ſanctitatis in piorum animis excitat. Neque enim leve eſt aut vile præmium, quod homini Chriſtiano promittitur.

titur. Neque adeo ſufficit quilibet frigidus conatus illi conſequendo intentus. Serio & omnibus viribus incumbendum eſt, laborandumque. Exuendæ mundanæ cupiditates. Amore Dei & Proximi Cor implendum, ut fide purificatum Deo placeat. Non in principiis ſubſiſtendum, ſed ad perfectionem tendendum eſt. Opera danda, ut jam nunc, cum Deo ambulemus, Gen. V. 22. cum quo in æternum conjungi debemus, ut jam nunc τὸ πολίτευμα ὑμῶν, *Converſatio noſtra in Cœlis ſit, unde exſpectamus DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM*, Phil. III. 20.

640. Cumque tam amplam Conſolationis materiam, ſimulque tam firmum ad pietatem incitamentum nobis præbeat ſpes æternæ Vitæ; nihil æquius eſt, quam ut Deo O. M. gratias immortales de tam inſigni beneficio agamus. Si enim iſta nobis conſolatio abeſſet, nullam aliam in hujus Vitæ malis haberemus, præter duram ferendi neceſſitatem, quæ miſeriam non imminuit, ſed auget. Quid enim miſerius, quam ſcire, nullum fore noſtræ miſeriæ finem? Nec mediocri beneficio ille adficitur, quem ſolidiſſima ratione a vitiis retrahit, atque ad virtutem excitat Deus, & velut vi adigit, ut velit ac poſſit in æternum beatus eſſe.

641. Mortis æternæ ac infinitorum cruciatuum impiis propoſitorum certitudo quemlibet hominem ad reſipiſcentiam maturandam permovere debet. Ea ſi nullam habeat

vim apud plurimos, ignorantiæ aut incredulitati eorum, aut ſocordiæ tribuendum eſt. Qui enim ignorat, aut non credit, fore ut impii in æternum miſeri ſint futuri, ille haud movebitur. Qui vero ſcit, ac pro vero id dogma habet, in eo nulla poteſt eſſe contumaciæ in peccatis cauſſa, præter ſupinam ſocordiam, qua fit, ut multi de futuris parum cogitent, præſentis vitæ commodis contenti, immo carnis illecebris ita capti, ut vitam tranſigant veluti pecora, quæ natura prona & ventri obedientia finxit.

642. Quid igitur mirum, quod multi pereant, cum & incitamenta ad virtutem, & media ſalutis negligant? Agnoſcamus in ea re perfectiſſimam Dei Juſtitiam, *quæ cuique tribuit ſecundum opera ſua* &c. Rom. II. 6-9.

643. Oremus DEUM aſſidue, ut ipſe per Spiritum S. animos noſtros ſalutari veritatis cognitione perfundere, eam nobis continuo in mente præſentem ſiſtere, atque ita cum æternæ Vitæ ardentiſſimo deſiderio, tum Mortis æternæ terrore graviſſimo adficere velit, ut nunquam non in ejus vero Timore & Amore ambulemus. *Ipſi Gloria in Sæcula Sæculorum. Amen.*

COROL-

COROLLARIUM.

Fuit §. 197. & 198. annotatum, *Chriſtianam Religionem veram ac divinam* eſſe, quoniam 1. cum Ratione non pugnet; attamen 2. contineat quædam, quæ ſolo Lumine Naturæ non cognoſcuntur; nec 3. ſibi ipſi contradicat; ac tandem 4. omnibus aliis Religionibus ſit longe præſtantior: Hæc autem IV. Capita tum demum cognoſci certius poſſe, cum ipſa Religio Chriſtiana accuratius fuerit cognita. Nunc igitur pertractatis iſtius Religionis dogmatibus facile judicabitur, iſtos veræ Religionis characteres ei convenire. Nam de 1. & 3. in ſingulorum pertractatione Dogmatum actum fuit. De 2. teſtantur ea dogmata, quæ *Myſteria* dicuntur. Quartum ex comparatione cum ceteris Religionibus facile intelligi poteſt. Eo pertinet *H. Grotii* de V. R. C. L. II. §. 8. ad fin. *S. Werenfelſ.* & *J. A. Turrettini* Diſſertationes de hoc Argumento. Idem quoque patebit ex reliquis Theologiæ Capitibus.

INDEX.

INDEX.

Prolegomena pag. 57.
Cap. 1. de Exiſtentia Dei. p. 58.
2. de Attributis Dei. p. 62.
3. de Providentia Dei. p. 66.
4. de Actionum humanarum diſcrimine morali. p. 68.
5. de immortalitate Animarum. p. 74.
6. de Neceſſitatis divinæ Revelat. p. 76.
7. de Veritate Chriſtianæ Relig. p. 80.
8. de Libris quibus Religio Chriſt. continetur, ſive de S. Scriptura. p. 91.
9. de Symboli Apoſtolici Articulo 1. qui agit de DEO. p 109.
10. Symboli Apoſt. Artic. 2. de J. C. Filio Dei. p. 132.
11. -- -- Artic. 3. de Incarnatione Filii Dei p. 140.
12. -- -- Art. 4. de Paſſione Chr. p. 142.
13. -- -- Artic. 5. de Reſurrectione Chriſti. p. 146.
14. -- -- Artic. 6. de Aſcenſione in Cœlum & Seſſione ad Dextram Dei. p. 152.
15. -- -- Artic. 7. de reditu ad Judicium. p. 156.
16. -- -- Artic. 8. de Spiritu S. p. 160.
17. -- -- Artic 9. de Eccleſia. p. 163.
18. -- -- Artic. 10. de Remiſſione peccatorum. p. 177.
19. -- -- Artic. 11. de Reſurrectione Corporis p. 182.
20. -- -- Artic. 12. de Vita & Morte æternum. p. 189.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
SECTIO II.

PROLEGOMENON.

1. POſtquam Theologiam tam Naturalem, quam Revelatam pertractavimus, atque ſic etiam expoſuimus, quænam ſint homini Chriſtiano ad Salutem conſequendam credenda; Nunc porro neceſſarium eſt, ut videamus, quibus rebus uſus ſit DEVS ad homines primum in hanc *Fidem recipiendos*, deinde etiam ad eosdem in ea *confirmandos*.

2. Voluit DEVS ſibi *Eccleſiam* colligi ex omnibus Gentibus, Sect. I. Cap. 17. Qui ad eam ſe conferebant, certo modo id teſtari ac a ceteris recipi debebant. Cumque ea ratio, adhuc ſubſiſtat, oportet ut etiam illa recipiendorum & recipientium teſtificatio ſervetur.

3. Porro, quemadmodum in Civitate iis, qui recepti ſunt, incumbit, ut dum Cives ſunt, ſeſe ut tales gerant, ac identidem teſtentur publico aliquo actu, ſe id facere conſtituiſſe: Sic, qui in Eccleſiam recepti ſunt, ſponſionem ſemel factam ſæpius reſtaurare, ejuſque memoriam ſibi renovare tenentur.

4 Hoc modo *Sacramenta* Religionis Chriſtianæ nunc conſideramus, eorumque pertractationem adgredimur. Poſſunt quidem

quidem ea alio reſpectu propartibus Cultus divini haberi, adeoque in Theologia practica tractari, quia doctrina de *Sacramentis* non tam rebus credendis, quam agendis, conſtat. Sed ita cum hactenus receptum eſſet in Eccleſiis noſtris, ut doctrina de *Sacramentis* partem Theologiæ Dogmaticæ conſtitueret, nolui abſque neceſſitate ſuſpicionem novitatis adfectatæ præbere.

5. Accedit & hoc, quod tot ſunt motæ de *Sacramentis* theoreticæ quæſtiones, ut a Practica Theologia abducatur potius animus, quam alliciatur, cum talia, ut illius partes, tractare velis. Nec tamen omiſimus Uſus hujus doctrinæ practicos; & deinde in Theol. pract. Cap. XVIII, inter Virtutis Chriſtianæ Adminicula Sacramentorum uſum commemorabimus. Sic ergo nemini, ut ſpero, diſplicebit, quod nunc ad *Sacramentorum* doctrinam tranſeamus.

Hæc eſt Methodus, quam Catecheſes ſequi ſolent, nec ea penitus rejicienda, cum in Eccleſiarum Chriſtianarum publico uſu receptæ ſint, & a Miniſtris publice pertractandæ.

CAP.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere, & de Sacramentis V. T.

1. Nomen *Sacramenti* latinum eſt a *ſacrando* deductum, ſicque notat rem ſacratam, & ſacrantem, i. e. tum quæ ipſa Sacra fit ac habetur, tum etiam, quæ reliqua eo pertinentia Sacra facit. Ex uſu Latinorum veterum ſic dicitur *Jusjurandum*, imprimis illud, quo milites ad fidem & officia præſtanda adigebantur. Sic *Juſtin.* I. 9. utitur Phraſi: *Obſtringere aliquem Sacramento*, id eſt, eum jurisjurandi Religione ad aliquid obſtringere. *Militare Sacramentum* exponit *Veget.* de re milit. II. 5. *Milites jurare ſolent, & ideo militiæ Sacramenta dicuntur. Jurant autem ſe omnia ſtrenue facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam.* Alio itidem ſenſu *Sacramenti* vox accipitur in rebus judicialibus, ubi notat ſummam aliquam pecuniæ, quæ deponebatur ab utroque litigante, ea lege, ut qui cauſſa caderet, ſuam perderet, eaque multaretur.

2. Apud Scriptores Eccleſiaſticos antiquos ſæpe idem notat, quod græce *Μυϛήριον*, id eſt doctrinam arcanam, nec cuivis obviam aut intellectu facilem. Sic Eph. I. 9. III. 9. V. 32. 1 Tim. III. 16. Apoc. XVII. 7. in Vulg. Verſ. Lat. vox *Sacramenti* ponitur. Eodem modo & *Lactant.* divin. Inſt. I. 1. *Sacramentum veræ Religionis accipimus*; i. e. Doctrinam ſalutarem. Et II. 3. *Divinum Sacramentum* & *cæleſte arcanum* conjungitur. Ita *Arnobius* adv. Gent. II. *per omnes terras Sacramenta diffuſa ſunt*, id eſt, Myſteria Doctrinæ Chriſtianæ ſunt annuntiata.

3. Sed uſu tamen magis invaluit alia ſignificatio ejus vocis, qua ejusmodi Ritus *Sacri Sacramenta* vocantur, in quibus per ſigna ſeu Symbola externa repræſentantur beneficia divina, eaque ſpiritualia. Tales ritus ſunt *Baptiſmus* & *S. Cœna.* Hæc a *Tertulliano* primum ſic vocata reperiuntur. Ille ad Mart. c. III. de Bapt. ita loquitur: *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in Sacramenti verba reſpondimus.* Unde & liquet, illum in ejus vocis uſu, ad Sacramentum militare reſpicere, quemadmodum & *Arnobius* L. II. adv. Gent. quum hac formula utitur: *Fidem rumpere Chriſtianam, & ſalutaris militiæ Sacramenta deponere.* Sic & *Euchariſtiæ Sacramentum* memorat *Tertull.* de Cor. Mil. c. 3. *Cyprianus* & Baptismum, & S. Euchariſtiam *Sacramentum* nominat, Ep 63. & 73. Hinc igitur recte iſtud nomen in Eccleſia retinetur, licet *ἄγραφον*.

4. Sicut

4. Sicut autem apparet, Patres in uſu hujus nominis reſpexiſſe ad Analogiam, quam iſta Myſteria haberent cum Romanorum Sacramento militari; quippe quæ, ut Sacramentum duci Milites, ita Deo & Chriſto fideles ad obedientiam & fidei perſeverantiam obſtringunt: Sic etiam rationem habuerunt Etymologiæ, quod a *Sacro* commode *Sacramentum* dicatur. Nam 1. & aliæ res ſacræ nonnunquam Sacramenta dicebantur; ut *Cyprianus*, *Orationis dominicæ Sacramenta*, in Libello de ea, nominat. 2. Cum uterentur Verſione Lat. N. Teſtamenti, quæ μυςήρια, *Sacramenta* redderet, ei nomini adeo adſueverunt, ut hæc Religionis noſtræ Myſteria eo potiſſimum inſignirent.

5. Porro, inde etiam factum eſt, ut Chriſtiani Theologi illud pluribus Ritibus ſacris attribuerent; in quorum numero non conſentiunt. Primum controvertitur inter Proteſt. & Pontif. dum iſti binis Sacramentis N. T. Baptismo ſcilicet & S. Cœnæ, quinque alia addunt Rituum apud ipſos ſacrorum genera, quibus contendunt beneficia quædam Dei ſpiritualia repræſentari. Sed complura ſunt, quæ Proteſtantes excipiunt, quominus illa pro genuinis Sacramentis haberi poſſint. Ex ipſis vero Proteſt. ſunt qui plura, alii pauciora, Eccleſiæ imprimis Patriarchalis, *Sacramenta* dicant, cum plerique duo tantum V. & duo N. Teſtamenti admittant. Utri rectius, poſtea patebit, cum notio Sacramenti plenius explicata fuerit.

6. Hanc itaque nos Sacramenti notionem habemus. *Sacramentum* eſt Ritus ſacer, ſeu Actio quædam externa a Deo mandata, quæ non quodvis Dei beneficium ſpirituale; ſed Gratiam Fœderis Evangelici, quæ remiſſionem peccatorum ad Vitam æternam adfert, ſ. mediate ſ. immediate repræſentat, & in recto uſu confert. Itaque patet, tria ad Sacramentum requiri: 1. Rem viſibilem, & actionem externam, quæ circa rem viſibilem ſuſcipitur. 2. Gratiam Fœderis Evang. quæ per illam repræſentatur. 3. Divinum mandatum ſ. inſtitutionem.

7. Hoc divinum mandatum, ſeu hæc inſtitutio facit, ut nexus aliquis ſit inter Rem viſibilem & Gratiam inviſibilem. Non enim ex arbitrio humano eſt, quod hæc aut illa res viſibilis gratiam Dei repræſentet, ac conferat. Deus ſolus poteſt iſtum nexum efficere. Hæcque eſt ratio cur nemo præter Deum poſſit Sacramenta inſtituere. Altera ejus rei quoque eſt ratio, quod Deus ſolus poteſt ſalutem æternam homini promittere, adeoque & media præſcribere, quibus ad illam perveniatur.

8. Ex hoc principio reſpondere poſſumus ad quæſtionem, an *Sacramenti* vis & efficacia pendeat a dignitate ac probitate Miniſtri, ita ut illa ſine hac nulla ſit. Talis *Donatiſtarum* veterum erat ſententia; & nunc quoque eſt *Fanaticorum* ac *Separatiſtarum*, qui contra uſum Sacramentorum in Eccleſiis noſtris id præcipue excipiunt, quod nonnunquam ab irre-

irregenitis Miniſtris tractentur. Primum liquet, Sacramentorum vim a Deo unice pendere, qui inſtituit, & voluit, ut non modo repræſentent; ſed in recto uſu conferant Gratiam Evangelicam. Secundo; Miniſtri tantum ſunt *Diſpenſatores Myſteriorum Dei*, 1 Cor. IV. 1. Atqui beneficia non trahunt ſuam utilitatem a Diſpenſatoribus, ſed ab Auctore eorum. Tertio Mandata Principis non a Legatis; ſed a Principe vim habent: Sacramenta autem ſunt a Deo mandata. Non quæritur: an illi, qui Sacramentis utuntur, poſſint ac ſoleant ſcandalum accipere ex perverſa Miniſtrorum vita. Id n. negari non poteſt, & Miniſtris apud Deum hac de re graves rationes erunt reddendæ; nec tamen hominibus ceteris cauſſa juſta in eo eſt, Sacramentis abſtinendi. Debent potius fortiter, ſicut cetera, ita & hoc ſcandalum ſuperare, quod fit per Fidem & ſanctitatis ſtudium.

9. Alia inde quæſtio emergit de *Intentione Miniſtri*, de qua ſtatuunt Pontif. eam ſ. habitualem ſ. actualem, conficiendi Sacramentum, aut faciendi quod facit Eccleſia, tam neceſſario requiri ad Sacramenti eſſentiam, ut absque ea Sacramentum ſit inefficax aut imperfectum; ſicut & in *Concil. Trident.* S. VII. C. XI. dictum *anathema ei, qui dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri talem intentionem.* Hoc pacto Sacramenta plerumque, etiam citra

utentium culpam, fructu omni & efficacia deſtituerentur; aut ſaltem redderentur valde incerti fructus; adeoque fiducia ac conſolatio fidelium exſtinqueretur. Quomodo enim de intentione adminiſtrantis conſtabit? Dein hoc progreditur in infinitum. Scilicet, ſi quis fuerit baptizatus ab eo, quem non conſtet rite ordinatum, quia & *ordines* dicunt Sacramentum Pontificii, & ſine intentione eos non rite conferri ſtatuunt, non poterit ſcire, an rite ſit baptizatus & ſic porro.

10. Notandum tamen, haud ſatis ſibi in hac doctrina conſtare Pontificios, idque dubio procul quia difficultates ſuæ ſententiæ perſpiciunt. Etenim primo illud eſt abſonum, quod dicunt in *Concil. Trident.* requiri intentionem *ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia*, utcunque Miniſter non diſtincte cogitet, quid illud ſit. Dein diſtinquunt intentionem in *actualem* & *virtualem* ſ. *habitualem*, nec ſemper priorem requirunt; ſed poſteriore ſunt contenti. Id tale eſt, ut Sacramentum adminiſtrans, quamvis de nulla re minus cogitet, tamen Intentionem habere dici queat.

11. Non quæritur; an Miniſtri officium ſit, ſancte & devote Sacramenta tractare, & ſerio cupere, ut illis qui utuntur, uſui ſint? De hoc nulla eſt controverſia. Sed: an, ſi id non fiat, Sacramentum ſit irritum; quod negamus. Negarunt & Patres. *Chryſoſtomus* ait, Hom. 36. in Joh.

Oi

Οὐ δίκαιον ἦν διὰ τὴν ἑτέρου κακίαν εἰς τὰ σύμβολα τῆς σωτηρίας ὑμῶν τοὺς πίστει προσιόντας παραβλάπτεσθαι· *Non erat juſtum eos, qui per fidem accedunt, propter alterius malitiam in Symbola ſalutis ſuæ detrimentum accipere.* Sic & *Iſidorus Peluſiota L. III. Ep.* 340. *Nullo detrimento is, qui accipit, afficitur, etiamſi is qui tribuit, indignus eſſe videatur.*

12. *Res viſibilis*, ſ. externa quænam ſit in Sacramentis & ſingulorum conſideratione patebit. Quod vero ad Gratiam Evangelicam attinet, illa quidem complectitur omnia Dei beneficia Spiritualia; præcipue tamen Remiſſionem peccatorum. Hanc Sacramenta quomodo vel mediate vel immediate repræſentent, iterum in ſingulorum tractatione videbimus. Hic ergo in genere de *fructu*, quem adfert Sacramentorum uſus, ſeu de eorum *efficacia* eſt agendum.

13. Oportet Sacramenta aliquam habere virtutem ſeu efficaciam. Nam id patet 1. ex locis Scripturæ, quibus talia de iis prædicantur. Sic de Baptiſmo dicitur Tit. III. 5. eſſe *Lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S.* Item Epheſ. V. 26. Chriſtus dicitur *mundare Eccleſiam lavacro aquæ in Verbo*, Joh. III. 5. homo *renaſci* dicitur *ex aqua & Spiritu.* Hæc dici non poſſent, niſi Baptiſmus aliquam haberet virtutem. Et ſic, quia parium par eſt ratio, etiam de ceteris Sacramentis judicari debet.

14. Qualis autem hæc efficacia ſit *Sacramen-*

 torum

torum nunc docendum. Primum notatur, ea eſſe Signa viſibilia inviſibilis gratiæ. Atqui ſigna eam habent virtutem; 1. ut intuenti ac utenti efficaciter in memoriam revocent id, quod ſignificatur. 2. In legitimo uſu bonum non repræſentant modo, ſed & conferunt. Sic Sceptrum cum ſit Signum Regni, patet quod non modo notet illum Regem eſſe, cui traditur; ſed & ipſum Regnum cum eo tradi intelligatur. 3. Vocantur *Sigilla hiſtorica Verbi Dei*, Rom. IV. 11. quia dum per omnia retro Sæcula in uſu fuiſſe Eccleſiæ comperiuntur, confirmant vera eſſe, quæ in Script. narrantur de iis, quorum memoriam Sacramenta refricare debent.

15. Aliis etiam modis Theologi noſtri efficaciam Sacramentorum exprimunt. 1. Dicunt illa *obſignationem externam* efficere, dum beneficia Dei nobis in memoriam revocant, & ſic excitant noſtrum in eum amorem, unde vitæ Sanctitas, qui eſt Character Fidei, quæ nos juſtificat, atque adeo de Salute certos reddit. 2 Sacramenta *fidem confirmant*: id quod ex præcedentibus ſequitur. Si ſalus noſtra obſignatur, fides roboratur. 3 *Fidem operantur*, tanquam medium externum, ceu Verbum Dei, accedente Spiritus S. operatione. Iſtud autem intelligitur tantum de fidei ulteriore perfectione. Nam initium fidei in eo, qui Sacramentis utitur, jam adeſſe debet; alias non bene utitur. Hinc Eunuchus Baptiſmi cupidus Act. VIII. 37. interrogatur, num credat.

16. Ce-

16. Ceterum hæc Sacramentorum efficacia vocatur *moralis*, quæ requirit diſpoſitionem hominis & ejus voluntatem. Unde Sacramenta vocantur *Inſtrumenta moralia* Gratiæ conferendæ. Non ergo ſunt *cauſſæ phyſicæ*, propriæ & immediatæ, conferentes Regenerationis & Juſtificationis gratiam, nec ſunt vehicula gratiam continentia; nec proſunt *ex opere operato*, ſeu ex vi inſita & perfectione ipſius actionis externæ & Sacramentalis, ſicut ſtatuunt Pontif. Nam Deus non alligavit Gratiam ſuam Sacramentis; nec indidit vim ſpiritualem actioni corporeæ: Sed reſpicit magis ad interna, quam ad externa; 1 Petr. III. 21.

17. Hinc judicari poteſt, an Reformati, Sacramenta putent eſſe *nuda Signa*, prout Pontif. objiciunt. Statuimus enim illa habere efficaciam; ſed non talem, ut per ea Deus mortalibus beneficia ſua conferat, quomodocunque comparati ſint utentes; multo minus, ut ex *opere operato* proſint. Nec eſt vera diverſitas hac in parte inter Proteſtantes, quippe cum omnes opus operatum excludant, & ſtatuant, Sacramenta ſuam vim & efficaciam non aliter, quam per fidei excitationem & confirmationem demonſtrare.

18. Etiam in hoc injuria fit *Reformatis*, quod traditur eos in morali Sacramentorum operatione adſerenda, excludere Dei operationem cum recto uſu Sacramentorum conjunctam. Quod enim Sacramenta boni produ-

 cunt

cunt cum non per ſe, vi phyſica, producant; patet, quod producant moraliter, propter virtutem Sp. S. quam Deus illis adjungit. Nos aſſerimus, Sacramentorum efficaciam totam in eo conſiſtere, quod ſint ſigna & Sigilla fœderis per Gratiam Sp. S. partim invitantia ad fidem in Chr. & eam moraliter operantia ad communionem cum ipſo, quatenus una cum Verbo ſunt apud Eccleſiam, & docent, *in quo nomine* oporteat *nos ſervari*, Act. IV. 12. partim credentibus gratiam ſignificantia, commemorantia, & propter veritatem Dei, iis bona ſpiritualia promiſſa ſiſtentia, ut iis utentes firmiſſimam ſpem & conſolationem obtineant. Qui vero *moralem* vim tribuunt, illi ea non pro nudis ſignis, nec pro cauſſis tantum *occaſionalibus* habent, ad quarum præſentiam Deus ex promiſſo operetur: Sed pro cauſſis moralibus, qualia ſunt *objecta* certas cogitationes in nobis excitantia, & motiva ad actiones impellentia. Quare Sacramentorum uſum exiſtimamus neceſſarium, non tamen neceſſitate abſoluta, ſed ex præcepto Dei.

19. Eſt etiam nobis Controv. cum *Socin.* de *Neceſſitate Sacram.* Illi n. ſtatuunt, Sacramenta eſſe ritus quosdam Chriſtianorum indifferentes, quales & alii, ut Impoſitio manuum, Lotio pedum, Unctio infirmorum &c.; Deo in iis vel ad eos nihil conferente: item, eſſe Signa tantum quædam commemorativa mortis Chriſti & teſtificativa fidei noſtræ: porro, eſſe teſſeras tantum ac notas externas publicæ

publicæ profeſſionis noſtræ. Nos vero negamus, Sacram. eſſe ritus indifferentes, cum ſint a Deo inſtituti ac mandati; quod de ſingulis ſuo loco demonſtrabitur. Non negamus ea eſſe ſigna commemorativa & teſtificativa; item, teſſeras profeſſionis Chriſtianæ: Sed negamus, his exhauriri Sacram. virtutem. Plura n. & majora adeſſe ex dictis patet.

Similia cum *Socin.* ſentiunt *Remonſtr.* aſſurente *Spanb.* attamen *Limborch.* V. 66. 18. præter vim *ſignificativam*, addit & *obſignandi* rem a Deo datam & dandam; quod plus eſt, quam *Socin.* admittunt. Sic itaque parum abit a ſententia *Reform.* Tantum illud rejicere videtur; quod Sacram. *rem ipſam vere exhibeant.* Cum tamen §. 32. Sacram. repræſentare menti noſtræ rem cujus Signa ſunt; ea confirmare fidem; ea eſſe inſtar Sigilli; rem repræſentari, ſicut pignoribus & arrhis apud homines etiam rerum ipſarum aliqualis traditio fieri cenſetur. Neque n. *Reform.* quos ipſe *Contrarem.* appellat, per *exhibitionem* rei ipſius aliud intelligunt, quam ejuſcemodi repræſentationem pignoris. Iſtud patet ex *Catech. Palat.* Qu. 66. *Sacramenta ſunt ſacra & in oculos incurrentia ſigna & ſigilla, ob eam cauſſam a Deo inſtituta, ut per ea nobis promiſſionem Evangelii magis declaret & obſignet &c.* ubi nulla fit *exhibitionis* mentio, ne videatur vis phyſica ſtatui. Addit tamen *Urſinus* in Explic. quod per Sacram. confirmemur de certa *exhibitione* & perceptione rei ſignificatæ. Sed intelligitur exhibitio moralis, non phyſica, ut antehac declaratum.

20. Porro, *neceſſitas* utendi Sacramentis patet ex fine, propter quem inſtituta ſunt. Ille varius eſt, ſicut ex ſupra dictis de efficacia illorum liquet. Breviter ergo notandum 1. *Signa* eſſe, quibus Deus certam ſuam voluntatem de Gratia nobis conferenda declarat. 2. *Signa* profeſſionis noſtræ, & fidei, qua ab infidelibus, qui ſunt extra Eccleſiam diſtinguimur. 3. *Signa* noſtræ devotionis & gratitudinis erga Deum. 4. *Signa* conſervantia & propagantia Doctrinam evang. Conf. Exod. XIII. 14. 5. *Signa* communionis & charitatis mutuæ Chriſt. 1 Cor. XII. 13. 1 Cor. X. 17. Eph. IV. 3, 4.

21. Hæc autem omnia, quæ de uſu & fructu ac neceſſitate Sacram. traduntur, fundamentum habent in *Unione Sacramentali.* Hæc 1. non conſiſtit in Converſione rerum viſibilium & externarum, in res internas ac ſpirituales, quia talis non fit, ut ſuo loco probabitur. 2. Non conſiſtit in Copulatione corporali & coexiſtentiâ rei externæ cum interna; quia nulla talis phyſica conjunctio eſſe poteſt. Sed conſiſtit 1. in Analogia & relatione ſigni cum re ſignata; ut ait *Auguſt.* Ep. 23. ad Bonif. *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent* (*) 2. In conjuncta exhibitione & acceptione Signi & rei ſignatæ in uſu legitimo, de quo mox. Hæc vero *unio Sacram.* oritur ex divina inſtitutione,

p. c

p. c. ex Dei voluntate, qui eam relationem & conjunctionem conſtituit. Ex hac quoque *Unione Sacram.* profluunt modi loquendi, qui & in Scriptura & in Auctoribus Eccleſiaſticis occurrunt. 1. Quando Signis tribuuntur nomina rerum Signatarum; ut *Agnus eſt tranſitus*, Exod. XII. 11. *Petra erat Chriſtus*, 1 Cor. X. 4. *Panis eſt Corpus Chriſti*. Matth. XXVI. 26. 2. Quando rebus ſignatis tribuuntur nomina ſignorum, ut *Paſcha noſtrum pro nobis mactatum eſt Chriſtus*, 1 Cor. V. 7. 3. Cum ſignis tribuuntur propria rerum, ut: *Panis, quem frangimus, eſt communio Corporis Chriſti* 1 Cor. X. 16. vel contra, propria ſignorum tribuuntur rebus, ut: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro Vobis frangitur*. Matth. l. c. Ejusmodi locutiones dicuntur *Sacramentales*, quibus nomen aut proprietas Signi tribuitur rei ſignatæ, vel contra, idque per tropum metonymiæ, cujus fundamentum eſt Signi & rei ex divina inſtitutione fluens Analogia.

(*) Eſt Epiſt. XXIII. p. 93. Edit. Baſil. 1541.

22. Ut Sacramenta finem ſuum conſequantur primarium, ad fidem noſtram de Gratia Dei confirmandam; oportet, ut a parte noſtri accedat *rectus uſus*. Ille conſiſtit in his tribus. 1. Ut obſerventur *ritus* a Deo inſtituti ſine ulla depravatione. Itaque nihil eſſentiale aut detrahendum aut addendum, aut mutandum eſt. Ratio patet. 2. Illi

debent

debent uſurpare Sacramenta, quibus inſtituta ſunt, i. e. Chriſtiani; fidem ac reſipiſcentiam profitentes, Act. VIII. 37 Matth. III. 6. 3. Ritus debent uſurpari in eum finem, in quem ſunt inſtituti. Si in alium; tum eſt abuſus Sacramenti. E. g. cum in Eccl. Rom. Euchariſtia adhibita eſt ad innocentiam teſtandam, ad confirmanda pacta; cum baptizantur Campanæ, &c.

23. Nunc porro quæritur, quænam ſint *Sacramenta* & quinam illorum *numerus*. Sunt hic diverſæ opiniones variorum. Certum eſt, nomen Sacramenti ſæpe generalius accipi, quam ut notio §. 6. tradita conveniat. Sic Theologi, quia vident, quibuslibet fœderibus addi externa quædam Symbola & ſigna: ideo fœderis primi ſ. Operum, quod cum homine primum creato initum, Sacramenta quoque ajunt fuiſſe ſc. *Paradiſum* & *Arborem Vitæ*. Illum docent non tantum homini habitaculum præbuiſſe; ſed & auguſtiorem habuiſſe ſignificationem, & *viſibile* ac corporale *cœli pignus* fuiſſe. Eum dum incoleret homo, & hunc amoris Dei arrhabonem quotidie intueretur ac tractaret, non poterat non tacita voluptate longe majora cœli gaudia, quæ obedientem ac in amicitia Dei perſeverantem manebant, præguſtare. Inde Script. *ſedem beatorum Paradiſum* nominat: Luc. XXIII. 43. 2 Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. Id factum ex conſuetudine Eccleſiæ Jud. cui ille *Paradiſus cæleſtis beatitudinis* typus erat.

24. Quod

24. Quod ad *Arborem Vitæ* attinet, etiam conſtare arbitror, illam non ſic dictam, quod haberet *vim phyſicam* conſervandi vitam præſentem; quamvis nonnulli ita ſentirent. Sed recte obſervatur: ſi ad conſervationem vitæ corporalis reſpiciatur, non magis fructum Arboris Vitæ, quam aliarum Arborum Paradiſi huc pertinuiſſe. Obſtare videtur Gen. III. 22. Sed hunc locum totum ironice intelligendum eſſe puto: ſicut homo deceptus eſt in *Arbore Scient. B. & M.* unde ſperaverat ſe Deo ſimilem fore; ſic & ſibi ſpem facere poterat, ſe ex *Arbore Vitæ* remedium ſuis miſeriis afferre poſſe; cum tamen Arbor illa Symbolica eſſet, ac Vitæ perennitatem non produceret, ſed notaret, ſi homo a priori abſtinens, huic ſe applicaret.

25. Et hoc quidem modo exiſtimaverim, illam *Arborem Vitæ* Sacramentum dici poſſe. Non ſane, quatenus Chriſtum præfigurare poterat. Nam in ſtatu innocentiæ Chriſti præfiguratione opus non erat, cum nulla redemtione homo indigeret. Unde, quod ea pro *Typo Chriſti* poſtmodum habita eſt, illud factum ex convenientia cum Antitypo, quæ talis eſt: Quemadmodum in ſtatu Innocentiæ homo cibo illo utens Symbolum æternæ Vitæ accipiebat; ita in ſtatu peccati homo fide Chriſtum arripiens, Vitæ æternæ certam ſpem accipit. Hac de cauſſa *Arbor Vitæ* in N. T. commemorata, ſc. myſtica illa, Chriſtus eſt, Apoc. II. 7. XXII. 2. 14. Unde liquet haud

haudquaquam proprio, ſed generali tantum ſenſu, illam Arborem una cum Paradiſo pro *Sacramento* haberi poſſe.

26. Eodem etiam modo abutuntur Viri docti hoc vocabulo, cum Eccleſiæ ſub Promiſſione viventis, i. e. ante Legem latam, *Sacramenta* fuiſſe dicunt, Sacrificia, Diluvium, Arcam Noæ. Nam iſti potius fuerunt corporales & externi rerum Spiritualium *Typi.* Sic Sacrificia Patrum erant teſtificationes fidei in Sacrificium Chriſti. Diluvium Baptismi, Arca Noæ, redemtionis per Chr. figura erat, aut potius per accommodationem eſſe poterat, 1 Petr. III. 21. Majore jure *Iris* huc referri poteſt, quæ ab ipſo Deo *ſignum Fœderis* dicitur, Gen. IX. 12-16. Nempe illius, quod cum *Noa* Deus iniit. Illud quidem conſtabat promiſſione novum Diluvium non immittendi, cum ſtipulatione Obedientiæ, quam Deus a Noa & ejus poſteris exigebat. Neque tamen dubium, quin illa *Iris* typicum quoque reſpectum ad Chriſtum haberet, in quo ſpes eſt repoſita, fideles ob peccata non perituros. Habebat ergo rationem *Sacramenti*, quantum ad Vitæ corporalis conſervationem: *Typi* autem, quantum ad æternam ſpectabat.

27. DEUS primis temporibus obſcuriorem, ſequentibus paullatim clariorem præbebat lucem. Hinc videmus & *Sacramenta* occurrere magis, quam priora, ad naturam veram eorum appropinquantia. Talia ſunt

duo,

duo, quæ dicuntur, *Sacramenta V. T. Circumciſio* & *Paſcha.* Prior non *a Moſe* demum data, a quo proprie V. T. incipit; ſed *Patribus* jam præcepta, Joh. VII. 22. Mandavit illam Deus *Abrahamo*, Gen. XVII. & quidem tanquam. *Signum Fœderis*, quod cum ipſo ac ejus poſteritate inierat, ỷ. 10. 11.

Sunt quidem, qui *Circumciſionem* antea jam apud alios uſitatam fuiſſe ſtatuunt, ita ut Judæi illam ab Ægyptiis acceperint, auctoritate *Herodot.* II. 104. *Diod. Sic.* I. p. 24. & *Strabon.* XVII. permoti. Dicunt ergo, Abrahamum in Aeg. eum ritum accepiſſe; Deum vero per quandam συγκατάβασιν eum poſtmodum approbaſſe. Illud ſtatuerant jam olim *Celſus* & *Julianus*, Chriſtianæ Religionis hoſtes; poſtmodum vero *Marshamus* & *Spencerus* errorem reſtaurarunt. Mediam vero ſententiam *Joh. Clericus* ſibi delegiſſe viſus eſt, cum ait: *Fortaſſè conſuetudinem dudum apud Ægypt. uſitatam Deum Abrahamo tradidiſſe: Sed non eum in finem, quo Aeg. adhibuerint.* Interim cum ad *Herodoti* auctoritatem omnia redeant, quem ceteri ſecuti ſunt, obſervandum, illum ſicut in aliis nonnullis, ita in hoc quoque, falſa traditione aliorum, & ſpeciatim Sacerdotum Ægypt. deceptum, qui omnia ad ſuæ Gentis præ aliis antiquitatem referre ſtuderent. Contrarium probabilius eſt, ab Abrahamo partim per imitationem, partim per poſteros ex Iſmaele ac Kethura alios populos illum morem recepiſſe, aut ſuomet ingenio ad eum delatos.

28. Hinc itaque conſiderandæ ſunt rationes, ex quibus *Circumciſio* inſtituta. Harum plures traduntur; ex quibus tamen principalis eſt ea, quæ Geneſ. XVII. traditur; ſcilicet

cet ut *Signum externum* & ſenſibile eſſet *Fœderis divini cum Abrahamo & poſteris ejus*: ea quidem Lege, ut per illud Symbolum quilibet maſculus in externam Eccleſiæ Communionem reciperetur. Quemadmodum autem Signi natura pendet a natura rei ſignatæ; ſic prius expendenda eſt Natura fœderis illius cum Abrahamo. Reliqui fines huc reſpiciebant, tanquam ad primarium. Sed fœdus Dei cum Abr. tale erat. Quum IV. Sæcula a Dil. elapſa eſſent, & in omni hominum multitudine pauci reſtarent veri Dei Cultores; viſum eſt Deo unum ſibi parare Populum, in quo per extraordinaria Gratiæ ſubſidia veram Religionem reſtaurare ac conſervare vellet. Itaque *Abrahamum* delegit hujus populi futurum Progenitorem. Hunc ex patria domo evocavit, & in Canaanem migrare juſſit. *Fœdus* inſtituit tale, ut *mandaret*, 1. *exire e Patria ſua*, Gen. XII. 1. Joſ. XXIV. 2. Act. VII. 2-4. 2. *fiduciam* in Deum collocare, Gen. XV. 1. quam fidem Abr. paſſim Script. laudat, Gen. XV. 6. Rom. IV. 3. Hebr. XI. 8-10. 3. *pie* & *religioſe* vivere, Gen. XVII. 1. Dein *Promiſit* Deus generalem & ſpecialem Gratiam. Prior eſt, quod ipſius curam habiturus, & ejus atque poſteritatis *Deus* ſit futurus, Gen. XV. 1. XVII. 7. Hæc promiſſio omnia includit, quæ non tantum ad *temporalem*, ſed *æternam* quoque *Vitam* pertinent.

29. Spe-

29. Speciales promiſſiones plures. 1. de dando *ſemine*, in quo benedicendum omnib. Gentib. Gen. XII 3. XVIII. 18. XXII. 18. Ubi non intelligitur *benedictio corporalis*; ſed *ſpiritualis*, quia corporalibus Bonis jam fruebantur gentes, nec ea unquam per Abrahamum conſecutæ ſunt: & verba de *Meſſia* intelligenda conſtat, Galat. III. 8, 9. 2. *Multiplicatio* ſeminis ſ. poſteritatis, Gen. XII. 2. XV. 5. XVII. 2, 6. XXII. 17. Ea promiſſio non ſpernenda, ſi cogites, quo modo animati priſci mortales. Notandum etiam, quod ex omnibus quidem Abrah. filiis Gentes enatæ ſint; præcipue tamen ex *Iſaaco*, in quo proprie *Semen* ejus vocandum, Gen. XXI. 7. Rom. IX. 7. Unde & *Iſraëlitæ*, imprimis veri & fideles, *filii promiſſionis* appellantur, diſtinguuntur que a *filiis carnis*, i. e. non vi promiſſionis, ſed naturaliter natis, ibid. ℣. 8.

30. Promiſſio 3. continet ſpem poſſidendæ *terræ Canaan*, Gen. XII. 7. XIII. 15. &c. Quæ quidem cum in ipſo non impleta eſſet, nec in Filio, aut Nepote; quia hi omnes agnoſcebant, *ſe peregrinos in terra eſſe*; Gen. XXIII. 4. XLVII. 9. inde rectiſſime colligitur, eos non ſenſu tantum corporali; ſed & ſpirituali accepiſſe hanc promiſſionem, Hebr. XI. 13-16. adeoque ad vitam futuram reſpexiſſe.

31. Promiſſio 4. reſpicit *eductionem* Poſteritatis ex *Ægypto*. Nam cum Deus prædice-

ret fore, ut Poſteri in Servitutem redigantur, quod in Æg. factum eſt, Gen. XV. 13, 14. Simul ſpes liberationis addenda erat, quæ & finem ſuum conſecuta eſt, Exod. XII. 41. Hæc terrena liberatio Typus cœleſtis liberationis a ſervitute peccati & Satanæ merito habetur.

32. Cum itaque tale ſit *Fœdus* cum Abr. & poſteris ejus, liquet, quale fuerit *Sacramentum*, quod adeo illas Promiſſiones omnes, non corporali tantum, ſed & ſpirituali ſenſu *obſignaverit*. Sic itaque in illo fine primario, de quo §. 28., continentur ſecundarii ſeqq. 1. Confirmatio *fidei* Abrahami & poſterorum, Gal. III. 17. 2. *Obligatio* Abr. & poſterorum ad ſervanda præcepta Dei, quum ita fœdus Dei acceptando ſeſe ad fidem & obedientiam obſtringerent. 3. *Diſcrimen* Populi Dei ab aliis Gentibus, a quibus ſejunctos eſſe Iſraëlitas Deus voluit, quod & illi plerunque obſervarunt, Gen. XXXIV. 14. 4. *Circumciſio* ſpiritualis, id eſt, purgatio Cordis & totius hominis, abjectio carnalium Concupiſcentiarum, Deut. X. 16. Jerem. IV. 4, Coloſſ. II. 11, 12. Act. VII. 51.

33. Ex dictis iſtud nunc colligimus, *Circumciſionem*, verum & proprium Sacramentum fuiſſe, dum ei omnino convenit notio §. *6.* tradita. Illa enim gratiam Evang. quamvis non immediate, mediate tamen, non modo repræſentabat, ſed & in recto uſu conferebat. Quum Fœdus Dei cum Abrah. initum,

tum, & omnes ejus circumſtantiæ per circumciſ. adumbratæ, eſſent figura Fœderis Evangelici, & rerum ad illud pertinentium; hinc,qui ea recte utebatur,eamque ad fidem in Meſſiam adhibebat confirmandam, ille Gratiam Evangelicam ad veniam peccatorum & vitam æternam conſequebatur, Rom. IV. 11.

34. Sed cum a Deo mandatum eſſet, ut infantes ſ. pueri octavo die poſt nativitatem circumciderentur; non poterat actualis fides apud illos ſic produci; quod quidam affirmant. Neque tamen nudum ſignum fuiſſe cenſemus, niſi illis, qui circumciſionis, cum adoleviſſent, haud memores, fidem & pietatem neglexerunt, quibus certe nihil conferre potuit, præter externam fœderis participationem. Ceteris & *Circumciſio*, & ejus poſtmodum pia recordatio, Gratiam fœderalem & obſignabat, & ut medium externum conferebat.

35. Superſunt adhuc quædam circumſtantiæ ad Circumciſ. pertinentes. 1. *Tempus*, quod erat dies octavus, Gen. XVII. 12. Levit. XII. 3. nempe a Nativit. Infantis, quod obſervatum legitur, Luc. I. 59. II. 21. Excipitur caſus itineris neceſſarii, cujus cauſſa per annos XL. Peregrinationis populus circumciſus non eſt, Joh. V. 5, 7. & morbi. Cum de adultis agebatur, præcedebat inſtitutio, ut fieri poſſet fidei profeſſio, quod exemplo Proſelytorum conſtat. Cur nec citius voluerit Deus infantes circumcidi, nec tardius? non quærimus.

36. 2. *Modus* Circumciſionis deſcribitur a *Buxtorf.* in *Synag. Jud.* c. 4. Nos duo tantum notabimus. 1. *Miniſtrum* ordinarium circumciſionis, qui erat Vir Iſraëlita, & in caſu neceſſitatis mulier Judæa. Non opus ergo erat, ut eſſet Sacerdos aut Levita 2. *Suſceptorem* cujus officium eſt, ut invigilet, quo omnia rite & legitime adminiſtrentur. Hinc pius, probus ac honeſtus vir eſſe debebat.

37. Notanda porro eſt *neceſſitas* Circumciſionis, quæ colligitur 1. ex mandato Dei. 2. ex addita comminatione pœnæ. Gen. XVII. 14. Heic quæritur, qualis hæc pœna *Excidii?* Alii pro ratione locorum, quibus de ea agitur, diverſam eam ſtatuunt. Exod. XXXI. 14, 15. intelligi putant pœnam capitalem a Magiſtratu infligendam. Sed Levit. XVII. 10. & XX. 4, 5, 6. de morte repentina & θεηλάτω, vel etiam de æterna damnatione in impœnitentibus interpretantur. *Judæi* pœnam aliquam divinitus immiſſam, ſeu mortem, ſeu aliam calamitatem intelligunt. *Maimonides* in morte temporali & æterna ponit. Alii in excluſione civili e Reip. aut ex communione Eccleſ. ita ut idem ſit, quod ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, Joh. XVI. 2. quæ ſententia maxime probanda videtur, quandoquidem non circumciſus, cum externum Signum fœderis divini non receperit, pro membro Politiæ & Eccleſiæ Iſraëlit. haberi non potuerit. Nec tamen negandum, quin æterna quoque pœna contumaces eſſet ſecutura, quandoqui-

dem

dem tales auxilia ad ſalutem ſpernerent, ac Dei mandata ſuſque deque haberent.

38. Non dubium eſt, quin ab hac pœna excepti fuerint Infantes, ante diem octavum mortui; quippe tales circumcidi non poterant. Pertinebat ergo tantum ad eos, quorum circumciſio neglecta fuerat. Ita tamen, ut iſti tantum Eccleſiæ membra non eſſent, quamdiu incircumciſi; ac, ſi etiam adulti eam negligerent, ut fœderis divini contemtores in æternum punirentur.

39. Hoc etiam addimus; exemplum ejus, quod Moſi accidit, Exod. IV. 24. oſtendere non infantem, uſque dum attigerit annos diſcretionis; ſed parentes pœnæ obnoxios fuiſſe. Sententia Judæor. hæc fuit. Si pater ipſum non circumcidat, incumbit Judicib. eum circumcidere; & ſi ipſos Judices res lateat, & ipſum non circumcidant, ubi adultus factus eſt, tenetur ſeipſum circumcidere.

40. Quæritur porro, *quamdiu* durare debuerit Circumciſio? Judæi contendunt, id in perpetuum fieri debere, eo quod appelletur ברית עולם, Gen. XVII. 13. *fœdus æternum.* Sed notum, & ab ipſis Jud. conceſſum, עולם non ſemper æternitatem abſolutam, ſed interdum longam durationem ſignificare, ut Exod. XXI. 6. Pſalm. LXI. 5. Eccl. I. 10. Jeſaj. XXXII. 14. Unde colligitur Circumciſ. duraturam quamdiu Abrah. poſteri terram Canaan eſſent poſſeſſuri. Cohæret n. illa cum promiſſione de multiplicandis Abr. po-

 ſteris,

ſteriis, & de ampla regione iis concedenda, fuitque nota diſcriminis, qua illi a reliquis gentibus dignoſcerentur. His omnibus finitis, imprimis diſcrimine ſublato, notam diſcriminis ſervari non oportet. Nobis certius fit ex Fœdere novo, quod veteri antiquato, Deus, Meſſiæ interventu, cum omnibus Gentibus ſe conſtituturum promiſit, Jer. XXXI. 31. Accedit Deciſio Conventus Hieroſ. Act. XV. & ſpiritualis Circumciſio, Coloſſ. II. 11. Gal, V. 16. in perpetuum neceſſaria (*).

(*) Vid. *Wagenſeil.* Tela ignea Sat. p. 551. *Carpzov.* Appar. p. 605. *Limborg.* Verit. R. C. Scripto III. C. 4.

41. Neque tamen, veniente *Chriſto*, ſtatim ſublata eſt *Circumciſio.* Primum *Ipſe* circumciſus; 1. ut iſto Signo oſtenderet, ſeſe verum Semen Abr. &, quoad hominem, membrum Eccleſiæ Iſraëlit. eſſe. 2. Ut teſtaretur, ſeſe noſtro nomine Legem ſubire, Gal. IV. 4. quandoquidem qui circumciditur; ille ad totam Legem ſeſe obligat, Galat. V. 3. Dein aliquandiu adhuc ſervata, ut ritus indifferens; ſed propter infirmos adhibendus. Sic Paullus circumcidit *Timotheum*, Act. XVI. 1-3. Non vero neceſſarium eſſe contendit, adeoque *Titum* non circumcidit, Galat. II. 4, 5. Plena abrogatio illius deſtructionem Templi ſecuta eſt, ubi abnegare Chriſtum exiſtimabatur, qui circumcideretur, Philipp. III. 2, 3.

42. Itaque fruſtra *Judæi* mordicus retinent; quos *Mohammedani* imitantur, qui tamen non præcepto ſui doctoris; ſed more

majo-

majorum, i. e. Arabum, apud quos, ut Abrahami ex Iſmaële aut Eſavo poſteros, uſitata, retinuerunt. Ejus enim nulla in Alcorano exſtat mentio.

43. Hæc de *Circumciſione*. Alterum vero Sacramentum V. T. eſt *Paſcha*; de quo nunc quoque agendum. *Paſcha* erat ritus ſacer a Deo inſtitutus, per quem tenebantur quotannis certo die *Agnum* mactare & comedere in memoriam Liberationis ſuæ a ſervitute Ægypti; quæ fuit figura Liberationis a peccato & ſervitute Satanæ. Nomen *Paſchatis* derivarunt quidam Patres, hebr. Linguæ ignari, a græc. Verbo πάσχω, *patior*. Sic *Chryſoſtomus* Hom. V. in 1 Tim. & *Tertull.* adv. Judæos c. 10. putabantque ita dictum, quia Chriſtum, qui paſſus eſt, præfigurabat. Sed hoc merito ab *Auguſt.* Ep. 119. reprehenſum. Rectius ex hebr. deducunt, ubi dicitur פסח, a פסח, *tranſiit*, quod etiam agnovit *Chryſoſt.* Hom. 149. ὑπέρβασις ἐςὶ τὸ πάσχα, quod exterminator percutiens primogenita tranſiit ædes Hebræorum. Vid. Exod. XII. 13.

44. Invenitur nomen illud duplici potiſſimum ſenſu adhiberi. 1. notat mactationem & conſumtionem Agni, ut Exod. XII. 27. & hinc dictio: *facere Paſcha*, *mactare Paſcha*, Num. IX. 2, 3. Matth. XXVI. 2. 18, 19. Secundo notat totum Feſtum, quod & *Azymorum* dicebatur, & ſeptem diebus durabat, ut Exod. XXXIV. 25. Luc. XXII. 2.

 Joh.

Joh. II. 13. VI. 4. Interdum notat ipſum Agnum, qui mactabatur, Exod. XII. 11. 21. 2 Chron. XXXV. 11. Luc. XXII. 7. Tandem & notat Sacrificia feſtalia, quæ primo die Paſchatis offerebantur, Deut. XVI. 2.

45. Latinis Scriptoribus *Paſcha* & *Phaſe* dictum, quo & Judæorum & Chriſtianorum Feſtum deſignabant. Prius etiam apte vocabant græci *διαβατήριον ἑορτὴν*, *feſtum tranſitorium*. Poſterius duplex notabant, unum *ςαυρώσιμον*, quo die crucifixus eſt Dominus; alterum *ἀναςάσιμον*, quo die reſurrexit a morte.

46. *Paſcha* etiam appellari *Sacrificium* variis locis Scripturæ conſtat; Exod. XII. 27. Deut. XVI. 4-6. &c. & fuit utique; quia ex Dei juſſu mactabatur & ſanguis per ſacerdotes altari affundebatur. Neque eo ſecius fuit *Sacramentum*, propter Symbolicam repræſentationem.

47. Inſtitutio refertur Exod. XII. 1. &c. facta in Æg. illa nocte, qua Iſraëlitæ inde exire debebant, expreſſis quibusdam ritibus. 1. adhibendus erat *Agnus* ſ. *Hœdus*, iſque maſculus anno non major. 2. Ille X. die Menſis Niſan, qui Martio noſtro incipit, quo die Novilunium eſt primum poſt æquinoctium vernale, erat a grege ſeparandus, & XIV. die mactandus. 3. Id fieri debebat *intra duas veſperas*, de qua phraſi poſtea. 4. Sanguis ejus faſciculo hyſſopi erat poſtib. & ſuperliminari forium allinendus. 5. Nemini licebat ea Nocte domo egredi. 6. Con-

vivæ

vivæ erant circumciſi tot, quot ſufficiebant ad agnum abſumendum. 7. Comedendus erat aſſus, integer, cum panibus azymis & herbis amaris, habitu feſtinantium, lumbis cinctis & pedibus calceatis.

48. Ritus hos, quantum opus eſt, declarabimus. *Agnus* vel *Hædus* erat adhibendus. Sunt qui putant, non *Hædum*, ſed tantum *Agnum* adhibitum, quoniam Chriſtus cum hoc tantum comparatur. Sed Exod. XII. 5. expreſſe dicitur ab *Agnis & hædis* accipienda illa pecus. Non שֶׂה, pecudem notat parvam, quæ duarum eſt ſpecierum, Agnorum & hædorum. Neque phraſis adducta tantum notat ex Grege Agnorum & Hædorum accipiendum Agnum; ſed eſt potius disjunctiva; id quod & praxis declarat, 2. Chron. XXXV. 7. Nec typica obſtat ratio, quia Chriſtus hoc reſpectu nec Agnus dicitur, nec hædus: Sed τὸ πάσχα ὑμῶν, 1 Cor. V. 7. Quod vero בֶּן שָׁנָה debuit eſſe, id rectiſſime exprimitur, *anno uno non major*; ſed qui annum impleverit, non tamen in tantum exceſſerit, ut *bimulus* dici poſſit. Itaque Judæi non recte interpretantur de eo, qui annum nondum compleverit, ac ſi natus eſſe deberet illo anno. Paucarum hebdomadum aut menſium agnus non eſſet *filius anni*, vel annum unum natus.

49. *Tempus* celebrati Paſchatis ordinarium eſt d. XIV. M. Niſan. Reperitur tamen tempore Ezechiæ regis 2 Chron. XXX. 2.15.

Menſe ſecundo celebratum, propter rationem ỽ. 3. allegatam, quod Deus, ut in caſu neceſſitatis, indulſit. Porro etiam illud de d. X. quo Agnus eſſet ſeparandus, non ſemper obſervari potuit, quia ſeq. temporibus introductum, ut Paſcha ſolummodo Hieroſolymæ celebraretur. Eo autem non omnes Iſraëlitæ ſatis mature convenire poterant, ut illa ſeparatio fieri poſſet. Itaque ſufficere cenſebatur. ſi pridie, quam mactaretur, ſeparatus eſſet. Menſis vero *Niſan* primus eſſe menſis anni cœpit inde ab Exitu ex Æg. cum antea M. *Tiſri*, qui in Autumnum incidit, annum inchoaret. Ponunt plerique ex ea cauſſa duplicem apud hebr. annum ſupputandi rationem, *ſacram* & *civilem*, quod ex eo confirmari poteſt, quia *Feſta* a M. *Niſan*, *Sabbatici* & *Jubilæi* anni a M. *Tiſri* computabantur. De duplici ergo anni initio conſtat, quod ſi quis vel *Sacrum*, vel *Civile* nominare velit, perinde eſt. Feſta ſane ad Sacra, reliqua ad negotia domeſtica & civilia pertinebant.

50. *Inter duas veſperas* mactari debebat Paſcha. Hoc quale ſit varie diſceptatur. Rectiſſime illi ſentiunt, qui ea phraſi id tempus, quod occaſum ſolis proxime antecedit, intelligant. Sic reperimus, etiam Græcos, imprimis Atticos, duas veſperas, δειλὴν πρωίαν, & δειλὴν ὀψίαν, ſtatuiſſe, quarum illa meridiei, hæc occaſui ſolis propior. Hinc: *Neſcis quid veſper ſerus vehat*, ait Poëta.

51. *San-*

51. *Sanguine illinendi poſtes*; quandoquidem Ægyptiis permiſti Hebræi habitabant, illud erat ſignum, quod intuens Angelus, qui ea nocte Primogenitos Æg. occidebat, domos Iſraëlitarum intactas præteribat. Hic ergo ritus ad illud modo primum Paſcha pertinebat. In Canaane non erat neceſſarius. Sic & ſequens ritus ut nemo ea nocte foras prodiret, ne in periculum incideret, omiſſus.

52. Debebant omnes convivæ eſſe *circumciſi*, i. e. Iſraëlitæ, non extranei; & quidem tot, ut comedendo agno ſufficerent. Ille numerus non infra X. nec ſupra XX. vocabatur חבורה, ſ. φϱατϱιὰ, *ſodalitium*. *Herbæ amaræ*, in Hebr. dicuntur *Amaritudines*. *Ambroſ.* triſtitiam animi intellexit, ſtudio allegoriæ ductus. Judæi tradunt, embamma adhibitum ex intybis, lactucis agreſtibus & aceto. Alii alias herbas addunt. Sed probabile eſt, adhiberi debuiſſe herbas, quarum ſapor ingratus, aut ipſum fel cum aceto miſtum, quale Domino crucifixo oblatum. Hodie Judæi, licet Agnum paſchalem non comedant, propter amiſſam Terram ſanctam, in epulo paſchali acetarium apponunt e lactucis, hedera, raphano &c. cum aceto ſeorſim addito.

53. Quod vero *habitu feſtinantium* comedere debebant Paſcha, id tantum ad illud primum in Ægypto pertinebat. Nam poſtmodum ſedentes, vel potius accumbentes comediſſe conſtat, cum otio fruerentur.

54. *Mi-*

54. *Miniſtri* Paſchatis mactandi *Sacerdotes* fuerunt, quod conſtat ex 2 Chron. XXX. 17. XXXV. 11. Item quod in atrio Templi ſunt agni mactati. Sed obſervandum id in Ægypto factum non fuiſſe, quia nec Sacerdos nec Templum erat. Sed pro more ante Legem uſitato, Pater familias ſacrificium mactabat.

55. Ritibus Paſchatis accenſendus eſt etiam uſus *Azymorum*, ſ. Panum ſine fermento coctorum. Illud eſt, cujus mentio, Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 1. Luc. XXII. 1. Act. XII. 3. XX. 6. Azymi cum ipſo agno comedebantur; quod & per 7. continuos dies fiebat. Die 1. & 7. conventus habebatur, Levit. XXIII. 5. 8. Id quod fieri debebat quibusvis in locis, ubi Hebr. habitabant. Iſtud dicebatur *Feſtum Azymorum*, quod feriatum totum agebatur. Hinc die XIV. Niſan fermentum ex ædibus ſuis expurgabant, & propterea ille vocatur primus d. Azymorum, locis ex N. T. citatis, quo nondum comedebatur; ſed tantum parabatur Paſcha, ſequenti nocte, quæ ad XV. d. pertinebat, comedendus.

56. Statuunt quidam Paſcha celebratum fuiſſe duabus cœnis, quæ ſibi eadem nocte ſucceſſerint, ita ut in priore veſcerentur agnis, in altera vero pulmento, ſ. embammate, quod חֲרוֹסֶת dicebatur. Sed illud quidem non ita eſſe recte *Buxt.* de Coen. Dom. demonſtravit. Nam primo quidem Cibum capiebant, ad explendam famem; dein

dein illo finito Agnum paſchalem abſumebant; eo facto poculum gratiarum actionis capiebant, & ita epulum finiebant.

57. Iſti ſunt *Ritus Paſchatis*. Nunc de *ſignificatione* illius eſt agendum. Illam miſſis ambagibus in duob. capitibus conſtituimus. 1. In annua & ſolemni commemoratione Liberationis miraculoſæ ex ſervitute Ægyptiaca, ne unquam ea res oblivioni traderetur, nec gratias Deo agere deſinerent. 2. In præfiguratione futuri ſacrificii Meſſiæ, per quod a ſervitute peccati & Satanæ homines liberari debebant. Iſtam ſignificationem dubium non eſt, quin Eccleſia V. T. intellexerit, & ita in fide Redemtoris ſuſtentata fuerit. Hinc Jeſus a Joh. Bapt. vocatur *Agnus Dei*, Joh. I. 29. conf. 1 Petr. I. 19. Eſaj. LIII. 7. & *Agnus mactatus a fundatione Mundi*, Apoc. XIII. 8. Porro notatur, *nullum os ei in Cruce confractum*, ob typum agni Paſchalis, Joh. XIX. 36. & tandem vocatur *Paſcha noſtrum pro nobis mactatum*, 1 Cor. V. 7.

58. Ad hoc illuſtrandum facit *Analogia* iſtius *Typi* cum *Antitypo*, quam in XIII. Circumſtantiis obſervamus; 1. Agnus ex grege erat deligendus. Sic Chriſtus homo ex hominibus. 2. Ille debebat eſſe integer: hic ſine peccato. 3. Ille mactandus & aſſandus: hic crucifigendus & occidendus. 4. Utrique non frangenda oſſa. 5. Ille offerendus circa veſperam; hic in conſummatione ſæculorum. 6. Illius ſanguine adſpergendi poſtes; hujus

hujus nobis applicandus. 7. Illud ut tranſiret interfector. Hoc ut liberemur a morte æterna. 8. Ille manducandus in ſingulis familiis. Hic a ſingulis per fidem arripiendus. 9. Ille conſumendus totus; huic per omnia credendum. 10. Ille ſine fermento; hic ſine hypocriſi. 11. Ille cum herbis amaris: hic cum tolerantia Crucis. 12. Ille feſtinanter & peregrinantium habitu: hic cum ſerio & ardenti deſiderio Vitæ æternæ. 13. Ille a ſolis circumciſis: hic a ſolis fidelibus.

59. Hæc Analogia diligenter tenenda adverſus *Spencerum* in Opere erudito de *Leg. rit. Iud.* II. 4. 1. aſſerentem: *In Chriſti Vita vel morte nihil fuiſſe, quod in agno aſſato depingi vel adumbrari potuerit.* Id aperte falſum liquet ex ante dictis. Nam multam eſſe Analogiam patet. Et hæc *Spenceri* opinio non aliunde orta, quam ex falſa ejus hypotheſi, qua de toto Cultu rituali V. T. ſtatuit, primariam ejus rationem fuiſſe in Judæorum pertinacia, quæ effecerit, ut Deus ritus ab Ægyptiis acceptos iis præſcripſerit, quorum ſecundarius tantum finis fuerit typica ſignificatio. Quam hypotheſin multi jam refutarunt, imprimis *Witſius* in Ægyptiac. & *Meyer.* de feſtis Hebr.

60. Hoc *Sacramentum* tamdiu durare debebat, uſque dum adveniret illa res, quæ tanquam futura per illud præfigurabatur. Id erat ipſum *Sacrificium Chriſti*, quo Redemtio hominum peracta eſt. Hinc ergo intelligi-

tur,

tur, *Paſcha*, iſto præſtito, ceſſare debere, p. c. eſſe abrogatum. Iſtud porro probatur ex 1 Cor. V. 7. Joh. XIX. 36. Hebr. X. 1. 1 Petr. I. 19. Accedit, quod divina Providentia ipſum hoc Paſchatis feſtum in Excidii Judæorum occaſionem vertit, dum gens fere tota in unius Urbis Hieroſolymorum mœnibus concluſa, in ipſis Templi ac Reip. ruinis, deleta eſt. Quo facto ceſſare debuit *Paſcha*, cum, ut ſupra dictum, nullibi, niſi in ea Urbe ac Templo, mactari deberet, nec propter excidium poſſet. Quapropter & Judæi nunc, quamvis feſtum Paſchale celebrent, non tamen Agnum Paſchalem comedunt.

61. Sicuti autem in Circumciſione factum, ita & in *Paſchate*; ut Chriſtiani ab initio, non ob neceſſitatem; ſed ne Judæis in ea re ſcandalo eſſent, illud obſervare cum Judæis pergerent. Id liquet exemplo Pauli Act. XVIII. 21. Ubi nullum aliud Feſtum, præter iſtud Paſchale, intelligendum, ex collatione aliorum locorum, ubi ἑορτὴ, ſimpliciter *Paſcha* notat, intelligere eſt. Sed etiam poſt Politiæ Judaicæ interitum Chriſtianos videmus *Paſcha*, ſed Chriſtiano modo, in memoriam Redemtionis per Chriſtum peractæ, celebraſſe. Non tamen ut *Sacramentum*: quia nullus hic ritus, nulla eſt ceremonia; ſed tantum ut ſolemne tempus, quo Beneficii illius divini meminiſſent, atque etiam de eo lætarentur, Deo gratias agentes.

62. Cir-

62. Circa hoc *Chriſtianorum Paſcha* duæ quæſtiones occurrunt illuſtrandæ. 1. Quo tempore celebratum ? 2. Quibus ſolemnitatibus ? De *Tempore* diverſa & ſenſiſſe olim & egiſſe illos conſtat. Eccleſiæ Aſiaticæ ſ. Orientales, inde a Johanne & Philippo Apoſtolis morem arceſſentes, una cum Judæis d. XIV. M. Niſan celebrarunt, quo die Chriſti paſſiones cœperunt. Eccleſiæ vero Occidentales, exemplo Romanæ, quæ id a Petro & Paulo ſibi traditum ajebat, non alio, quam dominico die XIV. illam ſequente agebant, ob Reſurrectionem Chriſti eo die factam. Ea de re Sæc. II. grave ortum diſſidium, quod propemodum in ſchiſma erupit, eo quod *Victor*, Rom. Epiſcopus, impotenti zelo impulſus, Eccleſias Aſiaticas eam ob rem excommunicare auſus eſt, nemine, etiam Occidentalium, probante; unde & poſtea manſit diverſitas, ſublata demum in Concilio Nicæno I. ubi ſtatutum unanimi conſenſu, ut d. Dominico XIV. Lunam ſequente celebraretur Paſcha; quod & in aliis dein Conciliis repetitum, damnatis *Audæanis* hæreticis, qui & *Quartodecimani* dicti ſunt; vetitumque συνεορτάζειν τοῖς Ἰουδαίοις.

63. *Solemnitates* apud Chriſt. in Paſchate uſitatæ a Scriptorib. Sæc. IV. nobis ita referuntur. Nox præcedens vigiliis celebrabatur; accendebantur faces ac lucernæ tam in ædib. ſacris, quam privatis, ut indicarent lucem ſeq. die ortam mundo eſſe. Porro multa

multa opera charitatis eo tempore exercebant, & largiſſima dona in Eccleſiis offerebant, ad pauperum ſuſtentationem. Quo pertinebat etiam liberatio captivorum per totum Imperium juſſu Imperatorum facta, exceptis iis, qui graviora crimina admiſerant. Tandem dubio procul dies ipſe in Conventibus precatione & gratiarum actione, celebratione S. Euchariſtiæ, ſermonibus ſacris peractus.

64 Non omittenda eſt quæſtio, quæ agitari ſolet; *an Chriſtus eodem, quo Judæi, die; an pridie, ultimum ſuum Paſcha celebraverit?* Poſterius ſentiunt Græci, ſ. Orientales Chriſtiani, qui & fermentato pane uſum contendunt, quia ἄζυμος nondum erat. Sed hæc ipſi ſacro Textui ſunt contraria. Nam Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7. Paſcha paratum & celebratum legitur *prima die Azymorum.* Hac etiam die Paſcha mactari debuiſſe Marc. & Luc. ajunt. Unde dies ſequens, quo Chriſtus traditus & crucifixus, feſtus fuit. Nam eo die captivus a Præſide dimiſſus; quod in feſto fieri debebat. Porro, ſi Chriſtus Paſcha anticipaſſet, hæc fuiſſet manifeſta violatio Legis, cujus tamen reus nunquam fuit.

65. Itaque falſa Græcorum iſta ſententia, qui putant, Chriſtum d. 13. Judæos d. 14. celebraſſe. Adferunt hanc quoque rationem; quia dicitur Judæos non intraſſe Prætorium, *ut ederent poſſent Paſcha*, Joh. XVIII.

Q 28.

28. Sic videtur illa ſententia confirmari, Judæos d. 14. nondum ediſſe Paſcha, ſed ſequente. Reſpondetur ab aliis, quod φάγειν πάσχα, heic non notet, *agnum* paſchalem; ſed *ſacrificia* comedere, quæ in feſto Paſchatis magno numero offerebantur, Deut. XVI. 2, 3. Propter hæc etiam a pollutione erat abſtinendum, quia pollutis non licebat veſci ſacrificiis. Itaque nullam hactenus video rationem, Paſcha Chriſti a Paſchate Judaico removendi.

66. Hæc de *Sacramentis V. T.* Nam cetera, quæ *Witſius* Oecon. f. L. IV. c. X. & *Burm.* Synopſ. Theol. L. IV. c. 32. referunt, ut Tranſitus maris rubri, Nubes, Manna, ſerpens æneus, Rupes aquas exundans &c. non ſunt Sacramenta proprie dicta, ſed *Typi.* Non enim illis convenit notio Sacramenti, qualem in ſuperioribus tradidimus.

67. Ceterum iſtud quoque eſt notatu dignum, quod cum illa *Sacramenta V. T.* non quidem immediate, mediate tamen, gratiam Chriſti fidelibus repræſentaverint; atque ita in eſſentia convenerint, cum Sacramentis N. T. ideo aptiſſime Paulus 1 Cor. X. 1-3. fidelibus V. T. tribuat Sacramenta Novi, & viciſſim fidelibus N. T. Sacramenta Veteris, Col. II. 11. 1 Cor. V. 7.

CA-

CAPUT II. *De Sacramentis N. T. in genere.*

1. Quum V. T. nihil aliud ſit, quam Fœdus gratiæ, quod Deus accommodavit ad ſtatum & conditionem Fidelium eorum, qui ante Incarnationem Verbi vixerunt: Novum vero poſt viventibus rationem ejusdem patefacit: Hinc ſicut Deus illud nonnullis Sacramentis inſtruxit, ita hoc eorum expers eſſe non voluit.

2. De his ergo 1. quæritur, quo *numero* ſint inſtituta? Ut ad illam quæſtionem reſpondere poſſimus, attendendum eſt ad rectam *Sacramenti* notionem, ubi ea vox non lato ſenſu, pro quovis Symbolo ſacro, aut etiam pro Typo; ſed ſtricte, pro eo, quod Cap. I. §. 6. dictum eſt, accipitur. Huc ergo ea pertinent, quæ in quovis Sacramento, ſtricte ſic dicto, continentur. 1. *Elementum* externum ac viſibile cum ritu ſ. actione circa illud ſuſcepta. 2. *Res cæleſtis* & *ſpiritualis*, quam divina promiſſio exprimit. 3. *Inſtitutio* divina ad eum finem, ut Gratiam Dei in fœdere propoſitam, repræſentet. His accedit 4. ſtatus & ordinarius, ac omnibus fidelibus communis, *uſus* in Eccleſia.

3. Etiam hoc obſervatione dignum eſt, quod, utut Deus in Eccleſia N. T. cultum Ceremonialem abrogaverit, ac inſtituerit mere ſpiritualem, Joh. IV. 23. tamen quædam addiderit *Sacramenta*. 1. Ergo ruditatem no-

ſtram & tarditatem juvare voluit, & imbecillitati conſulere. Quia corporei ſumus, etiam ſub corporalibus & ſenſibilibus, ſpiritualia & intelligibilia tradidit. 2. Obviam ivit diffidentiæ & incredulitati noſtræ, fidem noſtram, quaſi pignoribus ſuæ voluntatis, ſuſtentando. 3. Verbo ſuo, quod auditur, majorem addidit efficaciam per ſigna, quæ videmus, tum evidentius repræſentando, tum & recte utentibus ſpecialiter applicando.

4. *Numerum* Sacramentorum N. T. augent Pontif. dum duobus, *Baptiſmo* & *S. Cœnæ*, addunt quinque alia: *Confirmationem*, *Pœnitentiam*, *Ordinem*, *Matrimonium*, *& extremam Unctionem*. In horum examine non accipiendum eſt nomen Sacramenti lato ſenſu, quo non negamus, omne ſignum ſacrum dici Sacramentum; & ſic Pontificios ſuis iſtis Ritibus per arbitrariam Nominis definitionem Sacramentorum nomen tribuere poſſe. Sed accipimus illud ſenſu proprio & ſtricto, prout in ſuperioribus traditum. Adeoque in Sacramentis deſideramus omnia illa, quæ §. 2. poſita.

5. Oportet ergo, ut ſingula examinantes, oſtendamus, Sacramenta vera non eſſe. 1. *Confirmatio* eſt, ſecundum Pontificios, Unctio Chriſmatis in fronte baptizati, adhibita ab Epiſcopo, in formam crucis, cum iſta verborum formula: Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine

mine Patris, Filii & Spiritus S. inflicta Alapa. Effectum ritus duplicem fingunt. 1. Donationem Spiritus S. ad robur Chriſtianum, qui in Baptiſmo fuerat tantum datus ad remiſſionem peccatorum. 2. Characteris indelebilis impreſſionem, qua adſcribitur homo militiæ Chriſti, qui per Bapt. in familiam erat admiſſus.

6. Nos vero haud negamus, bonum eſſe, & ad confirmationem fidei utile, ſi baptizati, poſtquam adoleverunt, in doctrina Chriſtiana ſedulo inſtituantur; dein Paſtori rationem reddant progreſſuum, adſtipulentur voto baptiſmali, quod ipſorum loco ſuſceperunt Parentes ac Teſtes, conceptis precibus & benedictione Deo commendentur, ac tandem ad uſum S. Euchariſtiæ, cum ſevera exhortatione, admittantur. Illud vero negamus, talem qualemcunque actionem eſſe Sacramentum, multo minus illam Pontificiorum Ceremoniam, quam ne pro utili quidem aut neceſſario ritu habemus.

7. Argumentum noſtrum eſt; quod *Confirmatio* Pontif. non habet requiſita Sacramenti. 1. *Elementum* adeſt quidem, ſ. res externa, & actio ritualis; ſed non 2. *Promiſſio* rei ſpiritualis & cœleſtis, quæ nuſquam in ſ. Script. exſtat; nec 3. *Inſtitutio divina*, quandoquidem mandatum de ea hoc modo adhibenda non invenitur. Non exſtant etiam exempla. Nam χειροθεσία Apoſtolorum, Actor. VIII. 15. & XIX. 6. non habet Unctionem,

 nec

nec crucem, nec formulæ pronuntiationem, nec Alapam; adeoque diverſa eſt a *Confirmatione* Pontif. Etiam alio fine adhibebatur; ſcilicet, ut Spiritus S. viſibiliter & miraculoſe diſpenſaretur, quod & Eccleſiæ naſcentis conditio poſcebat, & divina promiſſio ſpecialis concedebat Apoſtolis.

8. Non fuit etiam 4. ſtatus & ordinarius ejus uſus in Eccleſia Chriſti. Id ex eo patet, quod nec nomen, nec res ipſa, occurrit in antiquis Eccleſiæ Scriptoribus. Non nomen. Græci nullum prorſus habent, quod Latino reſpondeat. Latini non memorant, nec *Tertullianus*, nec *Cyprianus*, nec *Ambroſius*, nec *Auguſtinus*, nec *Hieronymus*, nec quisquam alius Veterum Patrum. Non res. Nam *Tertulliani* ævo, i, e. Sæc. II. ungebantur Baptizati ſtatim poſt Baptiſmum, & impoſitionem manuum ad Benedictionem accipiebant. Vid. *Libr. de Bapt.* c. VII. & VIII. Ita erant tres Baptiſmi, ſ. unius Sacramenti, veluti partes: Lotio, Unctio & Impoſitio manuum. Idem *Cypriani* ævo, Sæc. III. obſervabatur. Vid. *Ep.* 73. *ad Jubaj.* Ille ultimus actus Baptiſmi vocabatur *Perfectio* ſ. *conſummatio*; non *Confirmatio*, quod vocabulum *Canoni* 77. *Concil. Eliberit.* Sæc. IV. habiti, recentiore manu eſt adjectum.

9. In toto Oriente nulla *Confirm.* fuit a Bapt. ſeparata, ſive per Unctionem fieret, ſive per ſolam manuum impoſitionem. Egreſſis e ſ. Lavacro ſtatim Unctio adhibe-

batur,

batur, ut conſtat ex *Catech. Cyrilli*, & ex *Concil. Laod. Can* 48. idque fiebat, ut participes redderentur regni Chriſti, dum ſcilicet & Chriſtus unctus, & ab unctione ſic dicti Chriſtiani.

10 Hoc modo probatum, *Confirmationem* non eſſe Sacramentum. Addendum 2. quod ſententia illa & doctrina Pontif. Baptiſmo dignitatem detrahit. Statuunt enim Baptiſmum non eſſe perfectum, nec efficere nos plane Chriſtianos, ſine Confirmatione, cum tamen per illum recipiamur in Communionem Eccleſiæ; ut & omnium Bonorum, quæ fidelib. ſunt promiſſa, participes reddamur. Sed de hoc plura, cum de *Bapt.* agetur.

11. Dicunt Pontif. 1. Apoſtoli Manus baptizatis impoſuerunt, Act. VIII. 15. XIX. 6. ℟. Id factum, ut §. 9. dictum, ad diſpenſationem extraordinariam donorum Sp. S. 2. Ut Chriſtus fuit unctus, ita & nos Chriſtiani ungi debemus ℟. Chriſtus unctus non unguento corporali; ſed ſpirituali, Pſalm XLV. 8. cujus unctionis Typi fuerunt unctiones Regum, Sacerdotum & Prophetarum in V. T. Cum ergo Ceremoniæ typicæ ſint abrogatæ, neutiquam licet corporalem in Chr. Eccleſia unctionem revocare. 3. Unctionis fit mentio 2 Cor. I. 21. & 1 Joh. II. 20. ℟. Sed nemo non videt, non intelligi unctionem corporalem; ſed ſpiritualem, ipſam ſcil. collationem dono-

rum Spiritus S. quo confirmamur in Gratia Dei & illuminamur. 4. Spiritualis vita opus habet confirmatione. ℟. Ea fit per preces, Verbum Dei & S. Euchariſtiam, quæ imprimis ad confirmationem fidei conducit. 5. Ptomiſſus Sp. S. eſt Joh. XIV. 16. XV. 27. XVI. 8. Luc. XXIV. 49. Act. I. 8. ℟. Apoſtolis promiſſus eſt ſingulari modo. Ceteris fidelibus pro neceſſitate ſalutis; ſed nullo ſigno viſibili præter Bapt. & S. Cœnam adjuncto.

12. Allegantur etiam in *Catech. Rom.* Parte II. Cap. III. §. 3. auctoritates Rom. Pontif. ſed ex falſis Decretalibus, ut *Melchiadis* & S. *Clementis* &c. item *Dion. Areop.* ſpurii, nec ante Sæc. IV. noti Scriptoris. Alios Patres, ut *Ambroſium* & *Auguſtinum*; item *Euſebium* falſo allegant, quippe qui nihil eorum habent. Quod enim *Ambr.* ait de iis, qui Myſteriis initiantur c. 7. *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo*: id ad Bapt. ipſum, non ad Confirmationis proprium ritum pertinet.

13. Secundo, *Sacramentis* addunt Pontif. *Pœnitentiam*, quam volunt eſſe Sacramentum vere & proprie dictum, pro fidelibus, quoties poſt Bapt. in peccata labuntur, reconciliandis, a Chriſto inſtitutum, ut loquitur *Concil. Trid.* Seſſ. XIV. C. 1. In hoc Sacram. tria diſtinguunt circa materiam; *Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem.* Formam

mam conſtituunt in *Abſolutione*, qua Sacerdos, velut judex, ſententiam remiſſionis ferat, non tantum miniſterialiter pronunties.

14. Sed nos plane aliam concipimus *Pœnitentiam*, ſ. potius *Reſipiſcentiam.* Poteſt illa conſiderari, ut *interna* & *privata*, ubi Peccator ſui peccati ſentit magnitudinem & gravitatem, ideoque ſerio dolet; quæ & poteſt vocari *Contritio*, ſ. *Triſtitia ſecundum Deum* 2 Cor. VII. 10. Dein facit Deo *Confeſſionem*, tanquam ei, qui peccato eſt offenſus, Pſalm. LI. 6. Tandem ſerio ſibi proponit vitam *emendare*, quod eſt in reſipiſcentia præcipuum. Talis a Deo accipit *Remiſſionem* peccatorum, quam Miniſter, cognitis illis Actibus Reſipiſcentiæ, nomine Dei ex Verbo annunciat. Poteſt etiam *Pœnitentia* conſiderari, ut *publica*, ubi peccator ob ſcandala data per diſciplinam Eccleſ. adigitur, ut coram Eccleſia peccata confiteatur, dolorem teſtetur, & emendationem polliceatur: quo facto in gratiam Eccleſiæ recipitur, ſicque ab ulteriore diſciplina abſolvitur.

15. Quamvis ergo certum ſit, *Pœnitentiam* ſ. Reſipiſcentiam cum publicam in certis caſibus, tum privatam ſemper, eſſe ad ſalutem neceſſariam; non tamen ſequitur, illam eſſe *Sacramentum.* Ipſa vero, *Confeſſio* Peccatorum eſt quidem neceſſaria, facienda 1. Deo, quem præcipue offendimus; 2. Proximo, quem læſimus, Matth. V. 23. 3. Paſtori,

ſtori, cujus conſilio & conſolatione, atque etiam interceſſione egemus; 4. Eccleſiæ, cui ſcandalo fuimus. Sed illi Confeſſionis actus, quoad Deum tantum neceſſarii, quod ad homines liberi, quoad Eccleſiam ad Leges diſciplinæ Eccles. adſtricti ſunt. Non vero jure divino neceſſe eſt ad ſalutem, peccata omnia ſua, etiam occultiſſima, quorum poſt diligentiſſimum ſui examen conſcientiam habet peccator, in aurem ſacerdotis confiteri; quæ dicitur *Confeſſio auricularis.*

16. Quod ergo *Pœnitentia Sacramentum* non ſit, inde conſtat, quia non habet requiſita Sacramenti, quæ §. 2. propoſita ſunt. Nec enim adeſt 1. *Elementum externum*; *ac viſibile*, quamvis adſit actio, ſcil. *Confeſſio* & *Abſolutio.* Nec adeſt 2. *Res cœleſtis* & *ſpiritualis*, quandoquidem nulla promiſſio Dei illi actioni, prout eam Pontif. exercent, & exercendam ſtatuunt, eſt annexa. Nam Remiſſionem peccatorum promiſit Deus ſimpliciter credentibus & reſipiſcentibus, nulla Confeſſione auriculari, nec Abſolutione ſacerdotis requiſita. Hinc & 3. nulla eſt *divina inſtitutio*, quæ tamen ſola ſi deſit, Sacramentum eſſe non poteſt. Unde nec 4. in *Veteri Eccleſia* illam tali modo uſitatam fuiſſe videmus, prout illa nunc in Romana eſt introducta.

17. Adducunt quidem Pontif. Loca quædam S. Scripturæ pro eo Sacramento, ut Matth.

Matth. XVI. 19. XVIII. 17, 18. Joh. XX. 23. Sed nulla in his *Signi* nec *Signati* fit mentio, nec quidquam commemoratur, quod Pœnitentiæ Pontif. conveniat. Verba illa Chriſti pertinent ad Miniſterium reconciliationis & diſciplinæ Eccles. per quod ligantur Peccatores impœnitentes, & a Sacramentis arcentur; ſolvuntur autem reſipiſcentes, & admittuntur. Itaque *Claves* illæ non principales ſunt, quales ſoli Chriſto conveniunt, Apoc. I. 18. III. 7. Sed miniſteriales, qualibus præditi ſunt Oeconomi. Porro 1 Joh. I. 9. pertinet ad *Confeſſionem* Peccatorum Deo faciendam, qualis & in multis aliis locis præcipitur. Act. XIX. 18. non de *Conf. Auric.* ſed de palam facta, & generali, & ſpontanea; non ſacramentali, aut ex Lege neceſſitatis, qualis & illa, de qua Matth. III. 6.

18. Major difficultas videtur reſpondendi ad Jac V. 16. Sed 1. patet ibi agi de Confeſſione peccatorum mutua, qua fideles alii aliis, non vero ſacerdoti, peccata confitentur. 2. De ea, cujus ſcopus ſit, ut alii pro aliis precentur, atque juvent impetrare a Deo remiſſionem peccatorum. Hæc ergo confeſſio ab Auriculari & ſacramentali longiſſime diſtat.

19. Tandem illud haud probandum, quod ubicunque fere in Verſ. Vulg. Bibliorum occurrit vox *Pœnitentia*, ſtatim arripiant, ac pro Sacramento habeant, cum tamen in græc.

ſit

ſit μετανοεῖν, μετάνοια, quod ipſam *Reſipiſcentiam* integram, cujus proprie tantum pars eſt *Pœnitentia* ſ. dolor de peccato, denotat. Nec quisquam negat, eam eſſe neceſſariam; ſed eſſe Sacramentum negatur. Conf. §. 14.

20. Quid vero de *Satisfactione* dicemus, illi Sacramento adjuncta, tamquam parte eſſentiali, cum ea duplicem errorem ſupponat; 1. Chriſtum non expiaſſe peccata perfecte, ſic, ut nihil ſuperſit, pro quo homines ſatisfacere debeant. 2. Opera quædam hominum eſſe ſatisfactoria, & meritoria. Qui duo errores alio loco, nempe in Doctrina de Munere Chr. ſacerdotali, & de Juſtificatione refutati ſunt. Vide *Syn. Theol.* Sect. I; §. 401. 435. 565. ſeq.

21. Porro, *Confeſſio auricularis* jugum eſt Conſcientiis hominum impoſitum, ut ſub pœna damnationis peccata omnia tum venialia tum mortalia Sacerdoti confiteantur: 1. Quia eſt impoſſibile, propter peccata ignota: Pſalm. XIX. 13. 2. Per eam ſemper incertus eſt peccator de venia peccati, tum quia nunquam certus eſt de ſufficiente conſcientiæ ſcrutinio, tum etiam quia ſuſpenditur efficacia abſolutionis ab intentione Sacerdotis abſolventis. Conf. Cap. I. §. 9. 3. Eſt præcipuum dominationis eccleſiaſticæ fulcrum, quo Clerus potentiam formidabilem acquirit, & in arcana Familiarum, & Perſonarum penetrat: Ut alia reprehenſione digna omittantur.

22. Sed

22. Sed illud nunc pluribus demonſtrandum, quod §. 16. 4. propoſitum; *Pœnitentiam* tanquam Sacrament. in Vet. Eccleſia non fuiſſe uſitatam, quod tamen ex Pontif. *Salmero*, Jeſ. Hiſp. aſſerit, & in eo ponit rationem validam, a firma Eccleſiæ traditione ductam; quod *Bellarm.* modeſtior ad quinque poſteriora Sæc. reſtringit. Sed huic quidem facile, quod vult, absque cauſſæ noſtræ detrimento concedimus. Illius ergo aſſertionem ſolam excutiemus.

23. Sæpe mentionem faciunt Patres & *Confeſſionis peccator.* & *Pœnitentiæ.* Sed in hoc verſatur cardo quæſtionis; an iis nominibus intelligant *Sacramentum Pœnit.* Nam eſſe Pœnit. neceſſariam ſeu privatam ſeu publicam & per eam remitti peccata, nemo negat. Illud quoque certum eſt, ejus efficaciam eſſe a Deo, qui ſolus habet jus peccata remittendi. Sed ex his nondum conſtat eam eſſe Sacramentum. Cumque etiam Patres *Pœnitentiam* cum *Baptiſmo* comparant, faciunt id reſpectu remiſſionis peccatorum, quæ tam cum illa, quam cum hoc eſt conjuncta. Nec omne illud eſt Sacramentum, quo remiſſio peccatorum impetratur. Nam & precibus id fit, nec tamen quisquam preces pro Sacramento habet.

24. Quod videntur Patres nonnulli *Sacramentis* annumerare *Pœnitentiam*, illud 1. tale eſt, ut nomen Sacramenti generaliter, pro quavis re Sacra adhibeatur. 2. Non fit tum, cum

cum Sacramenta proprie ſic dicta enumerant; ſed tantum ab aliud agentibus. Cum plura enumerant, ſi inter ea ſit etiam Sacramentum, non ſequitur, omnia, quæ enumerant, Sacramenta eſſe. Sic Paulus Rom. XVI. ſalutat complures, in quibus Timotheus Epiſcopus. Nec tamen recte concluditur, & ceteros fuiſſe Epiſcopos Exemplum pravæ interpretationis Patrum afferam unicum. *Gregorius Nyſſenus* allegatur, de vita Moſis, ubi memorat τὸ τῆς μετανοίας μυστήριον, quod Georg. Trapezuntius interpres vertit, *Pœnitentiæ Sacramentum*, dum pro *Myſterio Sacramentum* dixit, quod & feciſſe ſæpius Vulg. Scripturæ S. interpretem Cap. I. §. 2. docuimus. An inde conficitur; *Pœnitentiam* eſſe verum & proprie dictum *Sacramentum?*

25. Sequitur *Extrema Unctio*, quæ eſt unctio hominis infirmi pœnitentiam agentis, facta in certis membris corporis a Sacerdote, oleo ab Epiſcopo conſecrato, additis verbis præſcriptis, cum intentione debita, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans remiſſionem peccatorum venialium, & ſalutem. Ea vero non applicatur niſi tam graviter ægrotantibus, ut de vita periclitentur. Sic enim aliquis ipſorum doctorum: *Quamdiu vita ſpes eſt in aliquo, non debet ei conferri Extr. Unct.* Hanc ſtatuit *Concil. Trid.* eſſe vere & *proprie ſic dictum Sacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a B. Ap. Jacobo promulgatum: Non ritum tantum a Patrib. acceptum, aut figmen-*

mentum humanum: Item illam unctionem conferre gratiam, & remittere peccata, & allevare infirmos: Seſſ. XIV. Can. I.

26. Huic doctrinæ oppoſita eſt ſententia Proteſt. Olim cum dona ſanationum vigerent in Eccleſia, id eſt, Apoſtolorum tempore, in uſu fuiſſe quandoque infirmorum unctionem, ut adhibito Signo externo Deus operaretur miraculoſe Sanitatem Corporis. Itaque negamus, illud unquam fuiſſe Sacramentum, aut inſervire Gratiæ juſtificanti, aut ordinario adhiberi debere. Multo minus vero probamus, illam adhiberi ad remiſſionem peccatorum, & ſalutem animarum, aut in articulo mortis, ubi nulla corporis ſanatio amplius ſperanda.

27. Allegant Pontif. 1. Marc. VI. ℣. 13. Sed reſpondebit pro nobis ipſe *Bellarm.* qui contendit, illam unctionem, qua tum Apoſtoli uſi dicuntur, non eſſe ſacramentalem; ſed figuram quandam & adumbrationem; & quidem affert rationes. 1. Quod unctio illa ad corpus aut ſolum aut præcipue, non ad animam, relata fuerit: cum Sacramenta ad animam pertineant. 2. Quod ea unctio non a Sacerdotibus, ſed ab Apoſt. fuerit adminiſtrata, qui tum nondum fuerint Sacerdotes. 3. Quod promiſcue omnibus infirmis, non tantum illis, qui erant in periculo vitæ, adminiſtrabatur. 4. Quod etiam non baptizatis collata fuerit. Addo 5. Quod illa Apoſtolorum fuerit *unctio miraculoſa*, ad quam in-

infirmi ſanabantur; quod in extrema Unctione Pontif. nec fit, nec intenditur.

28. Unde locum Marci deferunt multi ex Pontif. & unico loco Jac. V. 14. utuntur, in quo dicunt, illud Sacramentum *promulgari.* Sed manifeſtum eſt 1. heic non agi de Sacramento. Nam nihil ibi occurrit de Gratia interna, aut ſpirituali, nec de fœdere Evangelico: Sed tantummodo de Sanatione Corporis. Remiſſio peccatorum ỽ. ſeq. additur, quatenus morbus, quo homo laborat, ob peccatum aliquod a Deo immiſſus fuit. Loquitur enim ibi Ap. de Peccato aliquo ſingulari, non de peccatis in genere. 2. Jac. non jubet exſpectari Articulum mortis; ſed ſtatim cum aliquis ægrotat, id fieri jubet: 3. Non jubet accerſi unum *Sacerdotem*; ſed plures Presbyteros, qui ægrum ungant, & pro ipſo orent.

29. Patet adeo Jacobum non de alia unctione loqui, niſi de illa, de qua Marci VI. agitur, cui Deus vim miraculoſam addere voluerat; cum eo tamen, ut videtur, diſcrimine, ut Apoſtolis majore gradu ea vis collata, quam Presbyteris, fuerit; dum illi ſimplici unctione; hi adjunctis precibus ſanationem peragebant. Itaque clarum eſt, illam ceſſare debuiſſe, cumprimum dona miraculoſa ceſſarunt.

30. IV. Sacramentum falſum Eccleſiæ R. eſt *Ordinatio*, ſeu *Ordo*. Per Ordinem autem intelligunt Gradum aliquem in Eccleſia eminentem

hentem, quo diſponitur homo ad Sacramenta rite & legitime celebranda. Horum conſtituti VII. quorum 4. minores, 3. majores. Illi: 1. *Oſtiarii*, qui templi januis præficiuntur, cuſtodiuntque ejus omnia interiora, & exteriora. 2. *Lectores*, quorum eſt S. S. publice prælegere. 3. *Exorciſtæ*, qui pellant Dæmones ex corporib. poſſeſſorum, per manus impoſitionem. 4. *Acolythi*, qui geſtent cereos, & porrigant vinum & aquam in S. Eucharitia. Majores: 1. *Hypodiaconi*, qui Diaconis præparent vaſa ad S. Euchariſtiam. 2. *Diaconi*, qui Sacerdoti Sacrificanti adſint, ſerviantque. 3. *Sacerdotes*, qui ipſi ſacrificant, ſeu offerunt Corpus & Sanguinem Domini. Hi ordines Sacramentis accenſeri jubentur *Concil. Trid.* Seſſ. XXIII. Can. 3.

31. Nos vero non negamus, *Ordinationem* Miniſtrorum Eccleſiæ eſſe a Chriſto inſtitutam; ſed non admittimus illam in numerum Sacramentorum, ideo, quia 1. non adeſt *Elementum* ſ. Signum externum, a Chr. in hunc finem inſtitutum; ſed ordinatio per impoſitionem manuum eſt ritus arbitrarius in Eccleſia antiqua uſurpatus; nec tamen eſſentialis, ut ſine eo ordinatio non ſit. 2. Non habet cœleſtem gratiam, ad fœdus Evang. pertinentem, id eſt, remiſſionem peccatorum. 3. Non habet ſacramentalem inſtitutionem; nec 4. tanquam Sacramentum in Vet. Eccleſia fuit adhibita, aut ſic dicta.

32. Loca, quæ adducuntur, pertinent ad Inſtitutionem Miniſterii Eccleſiaſtici in genere, ut Eph. IV. 11. Sic etiam 1 Tim. IV. 14. ubi *Impoſitio manuum Presbyterii* eam notat, qua Tim. ordinatus eſt Presbyter. Conf. 1 Tim. V. 22. Interdum & ſpecialiter ad Apoſtolos reſpicitur, ut Act. XIII. 2. Porro Donum, quod Timotheo datum fuit, notat Gratiam doctrinæ & ædificationis; non juſtificationis, quæ ſola ad Sacramenta pertinet; Ceterum etiam obſervatur Pontif. confundere χειροθεσίαν, cum χειροτονία. Sic Act. XIV. 23. Ubi nominatio Presbyterorum ſ. conſtitutio eorum nulla facta impoſitionis mentione notatur.

33. Secundo, rejicimus *Ordines Eccl. Rom.* Nulli enim tales in S. Codice memorantur, ſed ſoli *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ*, *Prophetæ*, *Paſtores* & *Doctores*, Eph. IV. 11. Aliis in locis *Presbyteri*, *Epiſcopi*, *Diaconi*, & *Diaconiſſæ*. Imprimis, quod ad *Sacerdotes* attinet, qui Ordo in Eccleſia R. primarius; certum eſt, nullos tales in N. T. conſtitui, cum Sacerdotium & Sacrificia per Chriſtum abrogata ſint, quippe qui unicus eſt N. T. *Sacerdos*, Hebr. VI. 20.

34. Quid vero antiqua Eccleſia, de his Ordinibus? Primo nec Sacramentis annumeravit, nec tot habuit, quot Pontificii. Quamvis enim *Cyprianus*, *Hieron. Auguſt.* alii Veterum, *Ordines Sacramentum* appellent, non tamen, niſi in ſenſu lato, ut ſupra indicatum,

hoc

hoc nomine utuntur. Porro, de aliis Ordinib. in Hiſtoria primorum Sæc. nihil invenimus, niſi de iis, qui §. præc. commemorati ſunt. Patet ergo reliquos eſſe recentioris inventionis.

35. Supereſt V. ex *Pontif. Sacram.* ſcil. *Matrimonium.* Iſtud pro Sacram habendum declarat *Concil. Trid.* Seſſ. XXIV. Can. I. Occaſionem Pontificii decreti ejus ceperunt ex eo, quod Verſ. Vulg. Eph. V. 32. ubi de Conjugio agitur, *Sacramenti* vocem habet. Sed Vetus ille Interpres ea voce utitur ad exprimendum id, quod in Græc. dicitur *Myſterium*, quod nonniſi ſenſu latiſſimo fieri poterat. Deinde, *Myſterium* ſ. *Sacramentum* non dicitur ibi *Matrimonium*; ſed *Unio Chriſti cum Eccleſia*, ſub figura Matrimonii propoſita.

36. Sed Pontificiis præcipua ratio, cur *Matrimonium* inter Sacramenta repoſuerint, eſt, ut quicquid circa illud controverſiæ oriri poſſet, ad ſe traherent Eccleſiaſtici, atque ſic Pontificis ac Cleri poteſtas augeretur. Unde & tam multa falſa dogmata circa illud ſunt exorta; ex. gr. de indiſſolubili vinculo, de Gradib. Cognationis, de neceſſariis Diſpenſationibus. Quod autem inter Chriſtianos introducta eſt *Conſecratio Matrimonii*, illa non efficit Sacramentum; ſed conſiſtit in publica teſtificatione Conſenſus in Matrim. cum piis precibus & admonitionib. novorum Conjugum, ad exemplum Vet. Eccleſiæ.

37. Itaque patet, quod *Matrimonium* non habeat ea, quæ Sacramentis ſunt propria. 1. Non Elementum, ſ. rem externam. 2. Non rem cœleſtem ſ. ſpiritualem. 3. Non inſtitutionem ſacramentalem. 4. Non ſtatum & omnib. fidelib. communem uſum in Eccleſia, tamquam Sacramenti. Quod imprimis attinet ad *inſtitutionem;* non negamus quidem a Deo inſtitutum, ſed negamus, inſtitutum inſtar Sacramenti. Itaque quæcunque loca pro religione Matrimonii allegari poſſunt, ut Matth. XIX. 4. Gen. II. 24. 1 Cor. VII. 2. Hebr. XIII. 4. 1 Tim. IV. 3. & V. 14. Joh. II. 1. illa probant quidem, Matrimonium non ut rem mere civilem aut humanam inter Chriſtianos; ſed aliquo modo Sacram eſſe ſpectandum. Nec tamen probant, eſſe Sacramentum. Nam in nullo illorum locorum de tali eſt ſermo.

CAP. III. *De Baptismo.*

1. Nunc porro de veris Eccleſiæ Chriſtianæ *Sacramentis* agendum nobis eſt. Horum ſunt tantum duo, *Baptismus* & S. *Cœna.* Hæc a D. N. J. C. inſtituta eſſe ex Evangeliis intelligimus, idque factum, cum promiſſione Gratiæ Fœderis divini. Habent ergo hæc ſola nunc requiſita verorum Sacramentorum omnia.

2. *Baptismus* in N. T. ſucceſſit Circumciſioni V. T. dum hac abolita ille ſubſtitutus eſt, ut

ut ſub diverſis ritibus idem ſit ſignificatum, idem finis & uſus utriusque. Probatur 1. ex Coloſſ. II. 11, 12. quo loco perſpicue docet Ap. *Baptiſmum* Chriſtianis idem eſſe, quod Iſraëlitis fuit *Circumciſio*. 2. ex fine utrique Sacramento communi. Nam utrumque Sacramentum eſt Signum receptionis ſolemnis in Populum Dei, i. e. in Eccleſiam. Itaque ſicut Infantes Judæorum, tanquam nati in Eccleſia, circumcidebantur; adulti vero tum demum, cum per Profeſſionem Judaiſmi ad Eccleſiam V. T. acceſſiſſent: ita Chriſtianorum infantes ſtatim baptizantur, adulti poſt profeſſionem doctrinæ Chriſti, qua Eccleſiæ N. T. ſe adjungunt.

3. Sic ergo *Baptiſmus* cum *Circumciſione* convenit. Differt autem 1. in ritu. 2. in diſcrimine Sexus, & definitione ætatis. 3. in modo ſignificandi, quatenus *Circumciſio* exhibendum, *Baptiſmus* exhibitum Meſſiam reſpicit. 4. in Objecto & duratione, cum illi obnoxii tantum poſteri Abrahæ, & Proſelyti; huic vero omnes gentes Chriſti fidem amplectentes ad finem usque Sæculi.

4. Utroque Sacramento uſus eſt ipſe *Chriſtus*, quamvis ea non prorſus eodem ſignificatu ipſi convenerint, quo ceteris. Nullum enim beneficium Fœderis divini illi poterat repræſentari, qui ipſe eſt ejus auctor. Nulla etiam ſpiritualis immunditia aufferri ab eo, in quo nulla omnino hærebat.

5. Suſcepit *Circumciſionem* propter cauſas,

 ſupra

ſupra S. 1. §. 42. dictas, quas ibi videat Lector, quibus hanc 3. addimus, quod voluit, ut ſtatus humiliationis omni modo in ipſo eſſet conſpicuus, dum & huic moleſto ritui ſeſe accommodavit, ac ceteris Abrahami poſteris etiam in hoc ſimilis eſſe voluit.

6. Suſcepit porro *Baptismum*, 1. ut ſe Chriſtianæ Eccleſiæ membrum principale, ſ. Caput declararet. 2. ut faceret finem V. & initium N. T. 3. ut Baptismo cum Johannis, tum ſuo adderet fidem & auctoritatem proprio exemplo; quæ omnia continentur in verbis ipſius, Matth. III. 15. Sic enim implevit *omnem juſtitiam*, id eſt, omnia ſibi in ſuo Munere mediatorio mandata.

7. Primum ergo in N. T. *Baptismo* uſum *Johannem*, Zachariæ filium, ob id *Baptiſtam* dictum, invenimus Matth. III. Si quæratur, quare hoc potiſſimum ritu ſit uſus? ℞. Aut jam ante uſitatum ad ſuum inſtitutum traduxit; aut Deo mandante novum introduxit ritum. Prius multi ſtatuunt. Aiunt enim in recipiendis *Proſelytis* apud Judæos uſitatum fuiſſe Baptismum (*a*). Nec id negari poteſt, quippe quod ex Scriptis Judæorum veterum conſtat. Non tamen hoc ſufficere videtur, niſi probari poſſit, illum Proſelytorum Baptismum jam ante tempora Chriſti in uſu fuiſſe. Id vero num ex teſtimoniis fide dignis aliis conficiatur, aliis dijudicandum relinquo.

(*a*) *Lightfoot* Hor. ad Matth. III. 6. *Budd.* Th. Dogm. V. 1. 2. p. 1436. *Selden.* de Synedr. I. 3.

8. Nam

8. Nam in Lege certe *Moſis*, aut ceteris Libris ſacris nihil tale; nec in Libris Apocryphis; ne in *Joſepho* quidem aut *Philone*: Sed in Talmudicis demum, & in *Maimonide*. Lex de Proſelytis expreſſa nihil niſi Circumciſionem requirit, Exod. XII. 48. Etiam de uxore peregrina aſſumenda Deut. XXI. 10-13, nihil omnino de lotione additur.

9. Minime vero Johannem a Baptiſmo Proſelytorum ſuum accepiſſe probare quidam contendunt: (*b*) 1. quod ei divina origo attribuitur, Matth. XXI. 25. Luc. III. 2. VII. 30. Joh. I. 33. 2. Quod Phariſæi Johannem non putabant baptizare poſſe, niſi aut *Meſſias*, aut *Propheta*, aut *Elias* eſſet, Joh. I. 25. Referebant ergo ritum illum ad Meſſiam ſolum, aut ejus Præcurſorem; unde liquere videtur, haud ante uſitatum fuiſſe.

(*b*) V. *Owen*. Theologum. p. 425. *Carpzov*. Appar. Antiq. p. 46.

10. Uſus vero videtur Deus eo ritu, non modo, quia ſic placebat; ſed & 1. ob ejus convenientiam ad id repræſentandum, quod repræſentari debebat. Nam, qui ab impura, & cum in doctrina tum in moribus corrupta, Eccleſia Judaica ad Chriſtianam tranſire volebat, nihil prius agere, quam ſordes animi deponere debebat. 2. ob Analogiam cum Lotionibus V. T. & cum ipſa *Circumciſione*, Coloſſ. II. 11.

11. *Baptiſmum* ergo *Johannis* nunc conſidera-

derabimus, cujus naturam ipſe exponit Matth. III. 11. Fuit *Baptismus aquæ ad reſipiſcentiam.* Nomen eſt a græco βάπτω, *tingo*, cujus derivatum frequentativum, ut grammatici vocant, eſt βαπτίζω. Proprie ergo ablutionem notat, quæ fit, dum corpus aquæ immergitur. *Ad reſipiſcentiam* autem peragi dicitur, cum homines per eum admonentur, reſipiſcendum eſſe, ſordes animi deponendas, quemadmodum ſordes corporis abluuntur.

12. Itaque baptizabat Johannes eos, qui *confitebantur peccata*, quod eſt initium reſipiſcentiæ. Erat illa ſumma Prædicationis; *Reſipiſcite, appropinquavit enim regnum Cœlorum.* Reſipiſcentia illa inferebat quidem totius vitæ, ſed imprimis animi, mutationem, qua Judæi apti fierent ad recipiendum Meſſiam, cujus adventum ſignificat appropinquatio *Regni Cœlorum.*

13. Eſt idem illud *Regnum*, de quo vaticinatur Daniel VII. 13, 14. ubi de Regno, quod Meſſias erecturus eſſet, agitur. Item II. 44. Sic etiam in Scriptis veterum Judæorum, pro adventu Meſſiæ accipi patet ex Chald. Paraphr. ad Eſaj. XL. 9. & LIII. 11. nec non ex Luc. XVII. 20. ſ. XXIII. 51. Sicque ad Regnum Meſſiæ Judæos præparans fungebatur Munere ſuo, de quo Matth. III. 3. & Actor. XIX. 4.

14. Quærunt, num Baptismus *Johannis* idem fuerit, cum Baptiſmo, quem dein Chriſtus inſtituit? Hanc quæſtionem, utpote inutilem,

utilem, ne tractaremus quidem, niſi 1. duceret nos in accuratiorem notitiam Baptismi. 2. a Pontificiis acriter agitaretur; unde in *Concil. Trident.* Seſſ. VII. Can. 1. dicitur *Anathema* illis, qui ſtatuerent *Baptismum Johannis habuiſſe eandem vim cum Baptismo Chriſti.* Hinc *Bellarm.* tres propoſitiones deducit. 1. Johannis Baptiſmum non fuiſſe eundem cum Baptismo Chriſti. 2. non eandem vim habuiſſe. 3. Poſt Bapt. Joh. neceſſario adhibendum Bapt. Chriſti fuiſſe.

15. Reſpondemus, differentiam quidem fuiſſe; ſed non in eſſentialibus. Sic differebat Bapt. Joh. a Bapt. Chriſti 1. in modo patefactionis, quia ille exhibendum, hic exhibitum, Redemtorem reſpiciebat. 2. in menſura donorum, quæ in illo minor, in hoc major erat, potiſſimum ad dona extraord. quod ſpectat. Hanc duplicem differentiam ipſe Joh. Bapt. notavit Matth. III. 11. eademque non obſcure indicatur Actor. XIX. 4, 5.

16. Convenit Bapt. Joh. cum Bapt. Chriſti 1. quod eſſet teſtificatio & obſignatio remiſſionis peccatorum per fidem, & receptio in Eccleſiam N. T. Unde *Tertull.* alicubi ait: *Nec quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.* 2. Quod adeo eundem haberet effectum, ſaltem quoad dona ordinaria Sp. S. 3. Convenit Formula; dum Johannes Bapt. ſuos jubebat in Chriſtum venturum credere, idem erat, ac ſi *in nomen ejus* baptizaret. Nec opus

erat, ut nomen SS. Trinitatis exprimeret, quia apud Judæos, non apud Gentiles verſabatur. His Nomen triunius Dei erat patefaciendum. Judæis, tantum indicanda erat Perſona *Meſſiæ*.

17. Num igitur Baptizati a *Johanne*, iterum baptizari debebant a diſcipulis *Chriſti?* Id colligunt quidam ex Act. XIX. 4. in eaque ſententia ſunt maxime Pontif. Scriptores. Reſpondent noſtri, non probari ex eo loco, eos, qui Joh. Baptismum acceperant, denuo a Paullo baptizatos; ſed verba ἀκούσαντες δὲ &c. eſſe verba Paulli, continuantis ſermonem cœptum per Ἰωάννης μὲν &c. non Lucæ aſſerentis, quid poſt priora dicta evenerit. Sed fateor hanc mihi reſponſionem haud ſatis evidentem videri. Quid ergo, ſi admittamus, hos XII. a Paullo rebaptizatos, & forte nonnullos alios quoque, ut, qui ſolum habebant Baptismum aquæ, acciperent quoque Baptismum Spiritus a Chriſto exſpectandi, i. e. donorum extraordinariorum? Non inde ſequetur Baptismum Joh. in eſſentia ſua diverſum a Baptismo Chr. fuiſſe. Nam prior nihiloſecius ad ſalutem & fidem in Chriſtum ſufficiebat, quamvis non ad Sp. S. i. e. dona extraordinaria, de quib. eo in loco agebatur.

18. Nunc de *Baptismo Chriſti* agemus. Is eſt *Sacramentum* a Chr. inſtitutum, ut per illud Eccleſiæ inferamur, cum hac ſpe, quod, ſicut aqua extrinſecus lavamur, ſic interne ablua-

abluamur per Sang. & Sp. Chriſti. Ejus primum notanda eſt *inſtitutio.* Ea exſtat Matth. XXVIII. 19. & Marc XVI. 15. Baptismus a Diſcipulis Chriſti ipſo adhuc vivente adhibitus, jubente ipſo; ſed in ſolis Judæis. Id conſtat ex Joh. III. 22. 26. & IV. 1, 2. Voluit Chriſtus ritu ab Johanne adhibito uti, ut ſe eum eſſe demonſtraret, in quem ille reſpiciebat. Fruſtra negat F. *Socinus*, verba inſtitutionis agere de *Baptismo aquæ.* Nam quod contendit, *baptizare* pro *docere* & *initiare* dici, illud refellitur 1. quia continuo ſequitur: *docentes* &c. 2. Praxi Apoſtolorum. 3. perpetuo conſenſu Eccleſiæ.

19. Res *externa* ſ. Elementum Baptismi eſt 1. *Aqua*, & quidem vera & naturalis, pura, ſine aliarum rerum miſtura. Tali uſus eſt Joh. & diſcipuli Chriſti, in fluminib. & rivis baptizantes. 2. *Ablutio* per aquam; quæ olim fiebat per *immerſionem* totius corporis. Sed cum iſta in regionibus ſeptentrionalibus propter frigus ſine periculo, imprimis infantium, peragi non poſſet, hinc introducta *adſperſio*, ſeu adfuſio, quæ non eſt contraria inſtitutioni Sacramenti, cum eſſentia ritus ſervetur, quæ in *ablutione* conſiſtit, & immerſione pariter ac adfuſione peragitur.

20. Immo vero haud obſcura ſunt argumenta, quibus conſtat, & in primitiva Eccleſia *adſperſionem* fuiſſe uſitatam. Sic Act. II. 41. cum 3 M. baptizarentur, vix credibile

bile eſt, omnes aquæ immerſos, cum res in Urbe perageretur. Porro cum in ædib. homines baptizarent, ubi continuo ſufficiens aquarum copia ad immerſionem totius corporis? Tandem Baptismus *Clinicorum* & ægrotorum veteris Eccleſiæ non niſi aſperſione peragi poterat. Imo etiam ῥαν]ιϲμοὶ V. T., quibus ſucceſſit Baptismus N. T. æque fiebant per adſperſionem, ac per immerſionem.

21. Quæri etiam ſolet, an ille ritus ter repetendus, an unus ſufficiat? In antiqua Eccleſia utrumque fiebat. Alii ter mergebant, ad fidem in SS. Trinitatem notandam; alii ſemel, ut unitas Dei deſignaretur. Hodie quoque diverſam conſuetudinem eſſe videmus. In noſtra Eccleſia terna fit aſperſio; in Genevenſi unica; quod ſane indifferens, quia nec mandatum nec vetitum.

22. Res *interna Baptismi*; 1. Sanguis Chriſti, quo facta expiatio peccatorum. 2. Ipſa peccatorum expiatio, quæ ſub imagine corporalis ablutionis purificat animam. Sic ergo intelligitur Analogia Signi cum re ſignata: 1. in ſignificatione; quia ut aqua abluit ſordes corporis, ita Sanguis Chriſti abluit ſ. tollit peccata. 2. in exhibitione; cum Deus reipſa præbet in uſu legitimo, quod repræſentatur per Baptismum.

23. Propter iſtam Analogiam dicitur Baptismus *abluere peccata*, Act. XXII. 16. & *Lavacrum* appellatur *regenerationis* Tit. III. 5. dicitur

dicitur etiam, Baptismum *nos ſervare*, 1 Petr. III. 21. improprie omnia, quia Baptismus eſt Sigillum & Signum ablutionis a peccatis, & regenerationis; & Spiritus S. per eum operatur ad fidem in nobis producendam, cum ſcil. recte utimur. Adumbrat porro Baptismus *Chriſti mortem* & *ſepulturam*, nec non ſecutam *reſurrectionem*, atque ita noſtram de ea ſpem confirmat. Vid. Rom. VI. 4, 5. Coloſſ. II. 11, 12.

24, Iſtud etiam ad interna Baptismi pertinet, quod commune habet cum omnibus Sacramentis, ut ſupra dictum; ſcil. in iis requiri rectum uſum. Hic autem circa Baptismum conſiſtit imprimis in *fide*, quam propterea profiteri tenebantur omnes, qui baptizari volebant: Act. VIII. 37.

25. *Fides* autem reſpicit univerſum ſignificatum & finem Baptismi. Hic eſt multiplex, ut adeo utile ſit, illum paullo accuratius & diſtinctius conſiderare. Itaque 1. Baptismus nobis obſignat univerſam promiſſionem Gratiæ Dei in Chriſto; i. e. beneficia Juſtificationis & Regenerationis noſtræ; continetque teſtificationem divinæ voluntatis, quod Deus ipſe hæc beneficia nobis collaturus ſit. Hoc patet ex formula Baptismi, in qua primum baptizamur in nomine Patris, Filii & Spiritus S. & ita Dei triunius proprii eſſe adſerimur: deinde audimus divinam promiſſionem; *qui credit & baptizatur, ſervabitur:* Marc. XVI. 16.

26. Se-

26. Secundo *Baptiſmus* eſt teſtificatio officii noſtri, ſ. obligationis ad fidem & ſanctitatem. Hunc enim ſolum Deum, in cujus nomine baptizati ſumus, agnoſcimus pro vero Deo, amamus, honoramus, colimus; ſpondemusque ei, nos per omnem vitam operam daturos eſſe, ut ei ſimus grati; quod & appellatur *Votum Baptismale*, cujus arctiſſimum eſt vinculum, & recordatio quotidie neceſſaria.

27. Tertio *Baptismus* eſt publica & ſolemnis receptio in Eccleſiam Dei, ſ. communionem Fœderis Gratiæ, quam per Miniſtrum facit Eccleſia. Viciſſim is, qui baptizatur, fidem ſuam Eccleſiæ obſtringit, quod ut dignum ejus Membrum ſeſe gerere, conſtanter in fide perſeverare, & cum ipſa perpeti omnia velit, quæ propter fidem ipſi a Mundo ac Satana immittentur mala. Sicut in Rep. qui civis eſt, officium facere, & non boni modo particeps eſſe, ſed & mali ſocietatem ſuſcipere debet; ſic & in S. hac Civitate faciendum eſt.

28. Hæc ſi teneamus, alieni erimus tum ab *opere operato*, & efficacia phyſica *Pontificiorum*, quam in præcedentibus §. 16. Cap. I. jam refutavimus; tum ab ſententia *Socinianorum* & *Remonſtrantium*, Sacramentorum vim, & in ſpecie Baptismi, nimis extenuantium Cap. I. §. 19.

29. Cum porro dicimus, Baptismo *regenerari* hominem, non ſtatuimus, etiam labem

bem originalem aufferri, ut homo perfecte Sanctus efficiatur. Nam repugnat experientia, & Scriptura. Videmus ipſos fideles illam labem in ſe animadvertere, Pſ. LI. 7. & perfectio fidelium morti demum & futuro Sæculo adſcribitur: Coloſſ. II. 11, 12. 1 Joh. I. 8. Unde nec illorum ſententiam probamus, qui ſtatuunt, Infantes Chriſtianorum in Baptismi actu regenerari; quod ſi fieret, oporteret ſane adeſſe vim ex opere operato id efficiendi; quod antea jam refutatum.

30. Nunc porro de *adminiſtratione* Baptismi eſt videndum. Illa fungebantur *Apoſtoli*, Chriſto adhuc in terris vivente, ac poſtea quoque, adjuvantibus *Evangeliſtis*, ſeu præconibus Evangelii, divino ſpiritu actis, qualis erat *Philippus*, Act. VIII. 12. & *Ananias* IX. 18. &c. His dein ſucceſſerunt *Epiſcopi* & *Presbyteri*, ad publice docendum in Eccleſia vocati. Id quod ita fieri debere non exemplis modo probamus; ſed inde quoque certiſſime conſtat, quod Chriſtus ipſe docendi Munus cum Munere baptizandi conjunxit, Matth. XXVIII. 19. Eſt quoque manifeſta ratio, cum initiatio fidelium, ſ. receptio in Eccleſiam Dei ſit negotium publicum, quod publice a perſona publica peragi debet. Etiam Miniſtri Eccleſiæ vocantur 1 Cor. IV. 1. *Diſpenſatores myſteriorum Dei.* Eo vero pertinet Baptismus.

31. Hinc intelligitur, abuſum eſſe, in Eccleſia Rom. jam olim introductum, ut in caſu

caſu neceſſitatis Infantes a *Laicis*, imo a mulieribus, baptizentur. Ea conſuetudo ſenſim introducta, & in Concilio Florentino Sæc. XV. confirmata, originem habet ab errore de abſoluta Sacrament. neceſſitate, quem §. 18. C. I. jam rejecimus. Interim ex eo fit, ut cuivis potius permittatur baptizare, quam ut infans ſine Baptismo moriatur.

Suicer. Theſſ. p. 633. adducit Teſtimonia Vett. quib. alii probant, alii improbant *Bapt. Laic.* Ex his ſunt Conſtit. Apoſt. III. 10. Sic & ibid. rejicitur mulierum Bapt. ab hæreticis adhibitus; nec ab antiqua Eccleſia unquam probatus. Quod conſtat etiam ex *Tert.* Præſcript. c. 41.

32. Pontificii adferunt exemplum *Zipporæ*, uxoris Moſis, Exod. IV. 25. quæ filium circumcidit. ℞. illud ad Baptismum trahi non poteſt, ſi vel maxime Circumciſio a quovis privato ſit peracta. Non enim officium docendi cum officio circumcidendi conjunctum fuit, ſicut cum officio baptizandi conjungitur. Quæ de Baptismo adduci ſolent exempla, non privatorum ſunt; ſed Miniſtrorum. Et quamvis vetus Eccleſia habuerit *Diaconiſſas*, non tamen inde ſequitur, Mulieres baptizaſſe. Nam *Diaconiſſæ* non ad baptizandum; ſed ad alia miniſteria conſtituebantur.

33. Sicut vero abuſus ille de *Laicorum Baptismo* mature in Eccleſiam intravit; ſic & alii ritus: ex quibus nonnulli tolerabiles, quia non modo indifferentes, ſed etiam utiles.

les. Talis uſus *Sponſorum*, ſeu *Teſtium*, ac *Suſceptorum*, qui Græcis *ἀνάδοχοι* dicebantur. Horum in Baptismo infantium mentio jam fit apud *Tertullianum* de Bapt. c. 18. tanquam *Sponſorum*. Adhibitos etiam apud adultos docent loca Vett. Eorum circa Infantes officium erat, ut ſancte promitterent, ſe puerum ad ſanctam vitam informaturos, & ut ejus loco profiterentur *abrenuntiationes* uſitatas; circa adultos vero, ut ad Baptismum eos adducerent.

34. Quæri poteſt, an uſus *Teſtium* ſ. *Sponſorum* adhuc ſit neceſſarius, necne? ℞. Non poteſt negari, quin olim fuerit quodammodo neceſſarius, tum ratione Teſtimonii de Baptismo exhibendi, ne quis non baptizatus, pro baptizato ſeſe venditaret; tum ratione ſponſionis, ut tanto certius eſſet conſtantiæ incitamentum, quia, qui ſponſor idem & monitor erat, ut fides ſponſioni conſtaret. Quum autem nunc ſoli fere baptizentur infantes, & quidem a Chriſtianis Parentibus oblati, patet, *Sponſoribus* opus non eſſe, ut monitoribus, cum infantes nullius fidei aut curæ tutius credantur, quam Parentum. Cumque ita ordinatæ ſint Eccleſiæ, ut baptizatorum nomina in publicas tabulas referantur; ne *Teſtibus* quidem porro opus eſt. Neque tamen propterea morem receptum damnamus; neceſſitatem tantum negantes. Non poteſt is omitti, niſi communi & publica auctoritate abrogatus.

S 35. Aliis

35. Alius ritus Baptiſmo additus, eſt *Nominis impoſitio*, quæ inde orta videtur, quod Baptiſmum petentes adulti nomina ſua apud Presbyterum profiteri debebant. Talis quoque eſt *Abrenuntiatio* Satanæ, quam Baptizandus, aut ejus ſponſor faciebat, Chriſto ſeſe dedens. Illud græci ἀποταγὴν, hoc συνταγὴν nominabant. Hæcque potiſſimum per fidei profeſſionem & recitationem Symboli fiebat.

36. Alius olim in Eccleſia Sæc. IV. & ſeq. & nunc quoque apud Pontif. uſitatus eſt ritus, ſc. *Exorcismus*. Ille ortum ſuum habuit ex dono miraculoſo Apoſtolorum & primæ Eccleſiæ, quo Dæmones ex Obſeſſis ejiciebantur. Inde paullatim invaluit opinio, Gentiles, & alios infideles a dæmone omnes obſideri, quamvis non tam conſpicuo modo, ut ipſi *Energumeni*. Propterea creditum eſt neceſſarium eſſe *Exorcismum*, quo dæmon fugaretur. Id dein ad infantes quoque extenſum eſt.

37. Quo tempore ille in Baptismo adhiberi cœperit, disquiritur. Sunt qui *Tertulliani* ævo id jam factum dicant: ſed illi ad locum provocant, qui id neutiquam probat, &, ſi probaret, de hæreticis agit, quorum exemplo nemo cærimoniam eccleſiaſticam defendet. Locus Tert. §. 31. cit. Alii *Cypriani* verba in Ep. ad Magnum allegant, ubi ſtatim poſt *Exorcismi* mentionem de Bapt. agit. Sed id certe nihil probat; quod quili-
bet

bet ex loci inſpectione intelliget. Rectius ergo ad Sæc. IV. deſcendimus, quo ritus eccleſiaſtici multiplicari incipiebant.

38. Cum enim Sæc. III. donum ejiciendi dæmones, cum ceteris donis miraculoſis ceſſaret, nec tamen ceſſaret illa, quam dixi, opinio, cujus confirmationem ex Eph. II. 2. fortaſſe quærebant; factum eſt, ut *Exorciſmi* formulæ Baptismo adderentur, ſeu potius præmitterentur. Factum etiam deinceps peculiare Munus, quod *Exorciſtarum* dicebatur. Poſtea invaleſcentibus controverſiis, Catholici *Exorciſmum* tanto acrius retinebant, & in argumentum trahebant corruptionis, cui homo ante Baptismum immerſus eſſet.

39. Quod itaque Rom. Eccleſia *Exorciſmo* utatur, mirum non eſt, quum Ceremonias ſupra modum amet. Sed de Lutheranis non poſſumus non mirari, quod eum non prorſus abjecerint. Eo tamen utuntur tantummodo in hunc finem, ut de ſumma, in qua „ omnes naſcimur, quæve ex peccato origi„ nali provenit, miſeria admoneamur, ſi„ mulque condoceamur, Chriſtum ideo ve„ niſſe, ut opera Diaboli deſtrueret, 1 Joh. „ III. 8. immo, ut efficacia atque valor ba„ ptismi eo luculentius omnibus ante ocu„ los ponatur: quæ ſunt verba *Budd.* Theol. „ dogm. p. 1475. Quamvis ille hac potiſſimum ratione defendatur, quod quælibet Eccleſia jus & poteſtatem habeat, ejusmodi ritus indifferentes aut abrogandi aut retinen-

di; tamen cum iſte ex ſuperſtitioſa de omnibus hominibus a Dæmone obſeſſis opinione ortus ſit, abjecto errore ipſe quoque ritus abrogandus erat; quod ſane in Ref. Eccleſia factum eſt.

40. Ceterum jam memorata libertate utens vetus Eccleſia ætate *Tertulliani* alios adhibuit Baptiſmo ritus, innocentes quidem ac pios; haudquaquam tamen neceſſarios. Talis eſt *unctio* Baptiſmo ſtatim addita, *manus impoſitio*, *conſignatio in formam Crucis*, quæ fiebat manib. impoſitis, & nominabatur σφραγὶς, *ſignaculum*; *guſtatio lactis & mellis*; quod infantium alimentum; tum &, hoc, quod Baptizati per totam hebdomadem *lavacro* ordinario abſtinebant, nec non *veſtibus candidis* induebantur. Cum neceſſarii non ſint hi ritus, nec ab ipſis Apoſtolis adhibiti legantur, rectius omittuntur, ut Baptiſmo genuina ſimplicitas conſtet.

41. Nam ab illis initiis, & audacia novos addendi ritus, orti ſunt illi abuſus, quos Eccleſia Rom. mordicus retinet, quoniam eos non minus neceſſarios eſſe ſtatuit, quam ipſum Sacramentum. Sic addita eſt aquæ baptiſmalis *conſecratio*, non ſolum ſacris orationibus facienda; ſed & *unguenti* & *Chriſmatis* trina perfuſione. Additum eſt *Sal*, baptizato in os datum, ut per ſal typicum *iniquitatis fœtore*, ut ajunt, *careat*. Accedit *ſputum*, quod naribus atque auribus admovetur, ut aperiantur ei nares ad accipiendum odo-

odorem notitiæ Dei; & aures ad audiendum mandata Dei. Eo pertinent & plures *unctiones* & *Cerei* &c.

Vide *Chamier.* Panſtrat. Cath. T. IV. L. V. c. 16. ubi de his prolixe agitur.

42. Supereſt quæſtio de *iis*, *qui baptizandi ſunt*. Hi ſunt omnes, qui fœdere gratiæ continentur. Iſti enim etiam Fœderis ſigno ac teſſera inſigniri ac conſecrari debent. Quapropter cum mandatum Chriſti habeamus tam expreſſum Matth. XXVIII. 19. & præterea *Baptismus* non adultorum modo ad Eccleſiam Chriſtianam ultro accedentium; ſed etiam infantium in ea natorum, in univerſa Eccleſia ſemper fuerit uſitatus; hinc negantium eſt, adferre rationes, cur *Pædobaptismum* admittere nolint. Quales autem iſtæ tationes adferantur, dicemus in ſequentibus. Prius tamen noſtras proponemus.

43. *Prima* ratio pro Pædobaptismo deſumta eſt ex *Fœdere Gratiæ*, quod non ad fideles modo; ſed & fidelium Liberos pertinere omnis Scriptura teſtatur. Hoc non modo de V. T. ex Gen. XVII. 10-12. Sed & de N. T. conſtat ex Act. II. 38, 39. & Matth. XIX. 14. Si itaque parvuli ad Fœdus Dei pertinent, iniquum fuerit, illos ejus ſignis privare.

44. *Secundo*; argumentamur ex Baptismi natura. Is eſt Chriſtianæ militiæ teſſera, & divinarum promiſſionum pignus. Eſt porro ſignum receptionis noſtræ in Eccleſiam.

Jam vero nihil obſtat, quominus Infans ex Chriſtianis Parentibus natus, ab ipſis cunabulis Chriſto nomen det, ejusque militiæ adſcribatur. Porro cum Infantes Chriſtianorum omnium confeſſione Chriſtiani ſint, ac Eccleſiæ annumerentur, cur non expreſſum quoque illis ſignum conferatur?

45. Hoc *tertio* confirmatur ex conditione Infantum in Eccleſia natorum. Iſti ab illa non ſunt prohibendi Matth. XIX. 14. Sunt enim ſancti 1 Cor. VII. 14. quæ Sanctitas non poteſt eſſe naturæ, quia hæc eſt corrupta: Sed fœderis, in quo nati ex parentibus fœderatis. Hinc & parentum conſolatio haud exigua eſt, ſi Liberi ipſorum mature in Fœdus Dei per externum quoque ritum recipiantur.

46. *Quarto:* cum nihil obſtiterit, quominus Infantes in V. T. circumciderentur; etiam nihil obſtare poteſt, quominus baptizentur. Eadem enim eſt Baptismi in N. quæ Circumciſionis fuit in V. T. ratio: quemadmodum & Fœdus Gratiæ ſemper idem eſt: Coloſſ. II. 11. 12.

47. *Quinta* ratio additur ex eo, quod Apoſtoli integras familias baptizaſſe referantur. Jam vero probabile eſt, in his etiam Infantes fuiſſe. Nam ſi ipſe Pater familiæ aut Dominus non habuit, potuerunt ſervi habere, quorum ſemper aliqui conjugati in familiis fuere: Act. XVI. 15. 33. XVIII. 8. 1 Cor. I. 16.

48. *Sexto* habemus uſum Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ. Teſtes ſunt ex ſecundo & tertio Sæculo. Sic certe *Tertulliani* Teſtimonio conſtat, Pædobaptismum inde a temporibus Apoſtolorum in uſu fuiſſe. Ipſe quidem Baptismi dilationem ſuadet, de *Bapt.* c. 18. ſed ſuadere hanc non potuiſſet, niſi jam tum Pædobaptismus in uſu fuiſſet. Sic *Irenæus* L. II. c. 39. *Infantes & parvulos & pueros renaſci* ait, quod Phraſi eo tempore recepta nihil aliud, quam Baptismum deſignabat. *Juſtinus Martyr* Ap. I. § 18. commemorat homines, qui a pueris ἐμαθητεύθησαν τῷ χριςῷ, *facti ſunt Chriſti diſcipuli*, per Baptismum ſcilicet. Sic *Origenes* variis in locis, & *Cyprianus* Epiſt. LIX. Ex Canon. II. *Concil. Carthag.* a. 253. celebrati idem patet, ubi dicitur; *quicunque parvulos recentes ab utero matris baptizandos negat &c. Anathema ſit.*

Vid. plura apud *Voſſium* diſp. XIV. de Bapt. & *Forbeſium* Inſtruct. L. X.

49. Sunt qui argumentum quoque ex Baptismo Proſelytorum deducunt; quia ſcilicet Judæi non Proſelytos modo, ſed & eorum liberos, qui ante Profeſſionem Judaismi nati eſſent, baptizare ſolerent; igitur aut Chriſtum infantes excipere debuiſſe, aut illos æque baptizandos eſſe. Sed videri poſſunt, quæ de hac quæſtione §. 7. ſeq. dicta ſunt.

50 Huic *Pædobaptismo* qui adverſantur, Sæc. XVI. ſub tempora Reformationis exor-

ti, *Anabaptiſtæ*, ſ. *Catabaptiſtæ* dicuntur. Prius nomen acceperunt ab iteratione Baptismi, dum de novo tingunt illos, qui ab aliis Eccleſiis ad ipſos tranſierunt. Poſterius a contemtu Baptismi infantibus dati.

51. His concedimus quidem, infidelium infantes haud eſſe baptizandos, dum infantes ſunt; ſed exſpectandam ætatem adultiorem, dum inſtitutionis & profeſſionis ſint capaces. Unde haudquaquam probamus Pontificiorum praxin, qui in regionibus Infidelium exiſtimant, ſe egregie amplificaſſe Eccleſiæ pomœria, ſi quamplurimos Gentilium parvulos, ignaros aut etiam invitos, Baptismo impertiant. Concedimus etiam, Baptismum non eſſe de neceſſitate abſoluta ad ſalutem, qualem iterum Pontificii ſtatuunt; ſed ſolummodo hypothetice neceſſarium, ubi ſecundum ordinem a Chriſto inſtitutum peragi poteſt.

52. Dilationem Baptismi, quam nos damnamus, confirmare nituntur 1. ex eo, quod Chriſtus ipſe jubeat prius doceri, deinde baptizari, Matth. XXVIII. 19. Reſp. primo: Si Chriſtus inſtitutionem Baptismo præmittit; hoc referendum eſt ad adultos, de quibus tum agebatur, eo quod Eccleſia ex ipſis eſſet colligenda. Hi ergo ſine dubio prius erant docendi, quam baptizandi. Ubi vero Eccleſia jam eſt inſtituta per converſionem adultorum, ibi propter rationes jam adlatas, credentium, aut ſaltem in Eccleſia viventium, infan-

infantes quoque ſunt baptizandi. Secundo: Vox *μαθητεύειν* proprie non tam ſignificat *docere*, quam *diſcipulos facere*; ſicut Joh. IV. 1. *μαθητὰς ποιεῖν*, *in diſciplinam accipere*; quod non ſolum fit docendo, ſed & baptizando, ſeu ad ſacra Chriſtiana initiando. Idque confirmatur ex verbo *διδάσκειν*, quod deinceps adhibetur, ac *docere* ſignificat.

59. Nimirum, Chriſtianorum Infantes præſumuntur fore etiam Chriſtiani, unde in diſciplinamEccleſiæ recipiuntur,docendi cumprimum per ætatem inſtitutionis ſunt capaces.

54. *Anabaptiſtarum* arg. 2. Si infantibus conferendus eſt Baptiſmus, eo quod res eo ſignificata ad eos pertinet; tum & danda iis ſ. Cœna. Atqui hoc fieri non debet. ℞. Baptiſmi capaces ſunt Infantes, S. Cœnæ non item. Nam ad hanc requiritur primo Exploratio ſui ipſius; dein Commemoratio mortis Chriſti, 1 Cor. XI. 26. 28. Neutram peragere poſſunt infantes. Ad Baptiſmum vero nihil tale requiritur. Profeſſionem fidei, & Votum Parentes & Suſceptores illorum nomine edunt, quia eorum vices gerunt, ſicut olim etiam in Circumciſione factum eſt.

55. Arg. 3. Infantes non ſunt capaces fidei, nec regenerationis, nec ceterorum Beneficiorum fœderis Gratiæ. ℞. Sunt capaces Beneficiorum, quæ ipſorum ætati & conditioni conveniunt, ut Redemtionis & receptionis in Eccleſiam. Si non ſunt capaces fidei & regenerationis actualis; præſumun-

tur tamen fore fideles & regeniti, cum ad ætatem adultam pervenerint, quia ex Parentibus fidem profitentibus, & in fide ac cognitione Ghriſti educaturis, ſunt nati. Quod, ut fiat, ſe operam daturos & iſti & Suſceptores ſpondent.

56. Arg. 4. Non eſt Præceptum de infantibus baptizandis, nec exemplum. ℞. Præcepto generali de omnibus Eccleſiam intrantibus continetur ſpeciale, de infantibus Chriſtianorum; qui ſi non eſſent baptizandi, debuiſſet a Chriſto aut Apoſtolis exceptio fieri. Exempla in familiis baptizatis fuiſſe eſt probabile, ſi non certum. Sane non minus probabile, quam infantes non fuiſſe.

57. Arg. 5. Infantes ſunt infideles; adeoque non baptizandi. ℞. Chriſtianorum Infantes actu non ſunt fideles; nec tamen infideles. Nam ſicut actum fidei non edunt, ita nec actum incredulitatis. Præſumuntur autem potius fideles fore, quam infideles, propter nativitatem & educationem in Eccleſia, ac uſum mediorum, quibus fides, accedente Gratia Dei, producitur.

58. Quæri etiam ſolet, de *ſalute Infantium*, qui ſine Baptismo obeunt. Ea quæſtio minime eſt neceſſaria. Nam de ſalute omnium judicabit Deus. Interim connexa eſt ea, cum doctrina de neceſſitate Baptismi. Si enim abſolute neceſſarius eſt Baptismus, ut ſine eo ſervari nemo poſſit, infantes ſine eo obeuntes perirent. Hinc aut Baptismus quacunque

cunque ratione, urgente neceſſitate, adminiſtrandus potius, quam ut infantium ſalus negligatur, id quod faciunt Pontif. aut ab illa neceſſitate aliquid remittendum. Id quidem in præcedentibus adſeruimus, Sacramenta ita neceſſaria eſſe, ut ubi legitimo haberi poſſint modo, haudquaquam ſint negligenda. De ſalute itaque Infantium, ſine Baptismo defunctorum, minime eſt ambigendum.

59. Id ulterius probatur: 1. Nemo damnatur, niſi ſua culpa. Infantes autem non ſua culpa carent Baptismo; ſed aut caſu, aut culpa Parentum, quorum negligentia impune non abibit, quia contemtum Sacramenti in ſe habet, Infantibus tamen obeſſe non poteſt. 2. Etiam Infantes Iſraëlitarum ante diem octavum, quo circumcidendi erant, mortui, ſalute non excludebantur. Salvantur ergo, & quidem vi illius fœderis, in quo nati ſunt. Non equidem ſufficit adultis ad ſalutem, quod in fœdere Dei nati ſunt. Sed infantibus, qui actualis fidei & pietatis capaces non ſunt, ſufficere poteſt; quod ob Dei benignitatem & Fœderis divini prærogativam pie credimus.

60. Quæritur tandem, an Baptismus ſit iterandus? ℞. non eſt, niſi neglecta fuerint eſſentialia Baptismi, ut ſi quis non aqua, ſed alia re; nec in Nomen Jeſu θεανθρώπου baptizatus eſſet, quod fit ab antitrinitariis. Anabaptiſtarum rationem invalidam eſſe ex iis patet, quæ de Pædobapt. dicta ſunt.

CAP.

CAP. IV. De S. Cœna.

1. *S. Cœnæ* primo Nomina ſunt conſideranda. In Scriptura vocatur *Cœna Domini*, 1 Cor. XI. 20. quia Dominus inter cœnandum inſtituit. Hinc & *Menſa Domini* dicta, 1 Cor. X. 21. ob uſum Convivii. Propter effectum autem dicitur *Communio* Corporis & Sanguinis Domini; ib. ℣. 16. Apud Eccleſiaſticos Scriptores appellatur communiter *S. Euchariſtia*, cum quia ipſe Chriſtus gratias egit Patri, Matth. XXVI. 27. Luc. XXII. 19. tum quia fideles, qui S. Cœna utuntur, Deo gratias agere de Redemtione per Chriſtum facta debent. *Fractionem* quoque *Panis* dici, Act. II. 42. exiſtimant multi; nec ſine ratione, cum non de Cibo ordinario agatur; ſed de ſacro & religioſo actu. Sic Act. XX. 7. 11. &c.

2. S. quoque *Synaxin* dictam conſtat, ob Conventum Chriſtianorum, in quo celebratur. Confer Act. XX. 7. Invenimus veteres *Miſſam* quoque dixiſſe, idque factum ex vocabuli abuſu; ſeu detorſione. Nam cum poſt Concionem olim dimitteretur Populus, remanentibus tantummodo communicaturis, pronuntiari ſolebat: *Ite; miſſa ſeu dimiſſa eſt*, ſc. Concio. Inde factum, ut ipſa S. Cœnæ celebratio *Miſſa* diceretur. Ea tamen poſtea tali modo immutata eſt, ut jam nec rem nec nomen amplius ſervet; de quo poſtea agetur. Tandem & nonnunquam appellatur

Sacra-

Sacramentum Altaris, quia Menſæ illæ, ad quas celebratur, *Altaria*, ſed nonniſi improprie, a Veterum quibusdam dictæ, ſunt. Nam Chriſtianis proprie *Altaria* non eſſe, cum non ſint ſacrificia, præter illud unicum Chriſti, nec Sacerdotes, manifeſtum eſt.

3. *S. Cœnam inſtituit* Chriſtus, Servator noſter; quod cum a tribus Evangeliſtis commemoratur, tum a Paullo 1 Cor. XI. 23. repetitur. Errant ergo, qui ſtatuunt, Chriſto Servatori nunquam in mentem veniſſe, S. Cœnam, ceu Sacramentum aliquod N. T. inſtituere; ſed illum tantum diſcipulos admonere voluiſſe, jam non de liberatione ex Ægypto, ſed de paſſione & morte ſua imminente, cogitandum: Itaque mandatum non ad quoslibet Chriſtianos, ſed tantum ad Apoſtolos & diſcipulos eo tempore præſentes, pertinere. Nam 1. Chriſtus Matth. XXVI. 28. ait; *Calicem eſſe ſanguinem ſuum N. T. qui effunditur pro multis.* Pertinet ergo ad omnes fideles. 2. Apoſtoli, optimi Interpretes mentis Domini, qua S. Cœnam inſtituit, illius ubique celebrationem introduxerunt. Id apparet exemplo Eccleſiæ Corinth. 3. Paullus 1 Cor. XI. 26. addit, S. Cœnam celebrandam eſſe, *donec veniat* Dominus, i. e. uſque ad finem Mundi.

4. Solis Eccleſiæ *Miniſtris* convenit *Adminiſtratio S. Cœnæ.* Nam hi ſunt, excluſis ceteris, diſpenſatores myſteriorum Dei, 1 Cor. IV. 1. Obj. 1 Cor. X. 16. in plurali numero poni-

ponitur; *poculum benedicimus ; panem frangimus.* ℟. Non includit Apoſtolus Laicos in S. Cœnæ adminiſtratione, ſed de ſolis Apoſtolis & Presbyteris loquitur. Aiunt porro, etiam in veteri Eccleſia, ubi Miniſtri non aderant, permiſſum Laicis fuiſſe, S. Cœnam adminiſtrare. Sed Teſtimonium *Tertulliani*, cui *H, Grotius* potiſſimum eam ſententiam ſuperſtruit, Lib. *de Cœnæ adminiſt. ubi Paſt. non ſunt:* ipſius quidem Tertulliani ſententiam; ſed non Eccleſiæ doctrinam exprimit.

5. *Res externæ* in S. Cœna ſunt 1. *Panis & Vinum.* 2. A parte Miniſtrorum *Conſecratio & diſtributio.* 3. A parte Communicantium *acceptio*, & *uſus.* Panis & Vinum; qualia in ordinario uſu adhiberi poſſunt. Nec opus eſt, ut Panis ſit *Azymus*, quamvis Chriſtus tali uſus eſt. Ille enim tum erat in ordinario uſu ob Feſtum Paſchale Judæorum. Unde errant Pontificii, qui ſtatuunt, ſolo *Azymo* utendum. Neque enim Chriſtus tali uſus fuiſſet, ſi alium habuiſſet ad manus; neque Apoſtoli alio utebantur, quàm eo, quem in ædibus ſingulorum inveniebant. Et Eccleſia vetus in S. Euchariſtia eo utebatur Pane, quem fideles offerebant, qui dubio procul ordinarius fuit. *Epiphanius* quoque Ebionæos ideo reprehendit, quod Myſteria ſua δι' ἀζύμων celebrarent, hæreſ. xxx. n. 16. Et vix ante ſæc. xi certo conſtat *Azymos* in Eccleſia occidentali adhibitos; unde de iis cum Eccleſia Græca certari cœpit. Etiam illas placentulas

tulas minores, ſ. *hoſtias* non ante illud ſæc. adhibitas traditum eſt.

6. *Conſecratio* Panis & Vini facta eſt a Chriſto per εὐλογίαν ſ. εὐχαριστίαν. Nam his vocabulis promiſcue utuntur Evangeliſtæ, Matth, XXVI. 26. Luc. XXII. 29. Quales autem fuerint gratiarum actiones non difficulter colligitur ex natura rei, quippe cum Sacramento non uti debuerint unquam homines, quin Deo gratias agerent, quod illud ad commemorationem Mortis Chriſti inſtituerit. Sic & Apoſtolos egiſſe ex 1 Cor. X. 16. conſtat. Id imitati ſunt deinceps Chriſtiani, addita tamen recitatione Inſtitutionis & Orationis dominicæ. Hinc invaluit in Eccleſia Latina error, conſecrationem verbis Inſtitutionis fieri, ita ut hæc verba vim habeant, panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini mutandi, qua de re poſtea. Interim patet, recte in Eccleſiis noſtris illum morem adhiberi, ut precibus *Conſecratio* fiat, ac recitatione Symboli & Inſtitutionis aliisque formulis homines de negotii natura admoneantur.

7. *Effectum Conſecrationis* non alium eſſe credimus, quam 1. quod per eam Symbola ſanctificentur, & ad uſum ſacrum deſtinentur. 2. Quod Corpus & Sanguis Chriſti cum pane & vino ſacramentaliter & ſpiritualiter uniantur, ita ut fidelis, qui panem & vinum accipit, eo ipſo particeps reddatur beneficiorum, quæ Corpore & Sanguine Chriſti ſunt parta.

8. Poſt

Digitized by Google

8. Poſt Conſecrationem ſequitur *diſpenſatio* ſ. *diſtributio* S. Symbolorum. Hanc præcedit *Fractio* panis. Nam & ipſe Dominus *fregiſſe* memoratur, & fractio egregie ob oculos ponit corporis Chriſti per cruciatus lacerationem. Vid. 1 Cor. X. 16. XI. 24. Non exiſtimaverimus tamen, omiſſionem fractionis eſſe defectum eſſentialem, quandoquidem fractio apud nos uſitata ab aliis non damnatur, ſed pro indifferente habetur. Fuit autem fractio etiam in veteri Eccleſia uſitata; quod patet ex verbis *Ignatii* in Ep. genuina ad Epheſ. ubi dicuntur Chriſtiani in S. Cœna *ἄρτον κλῶντες*, ut taceam de Locis Act. App. ubi S. Cœna *fractionis panis* nomine appellatur §. 1.

9. *Diſtributio* ipſa duplici ratione fieri poteſt, vel ut Panis in manum communicantium tradatur, vel ut ipſi ori ingeratur. Poſteriore utuntur ii, qui credunt Transſubſtantiationem & præſentiam corporalem. Prior modus in Eccleſia veteri uſitatus, quod vel ex eo patet, quod Chriſtus diſcipulos ſuos jubet *accipere* panem. Nemo autem ore accipit Cibum, qui porrigitur; ſed manu. Dein *Ambroſius*, cum *Theodoſium* Aug. arcet a communione Eccleſiæ, ait, non debere illum *ſanguine madentes manus extendere ad accipiendum corpus Chriſti*: *Theodoret.* L. V. 18.

10. Hinc ergo intelligitur non eſſe incommodum, aut indignum, ſi a communicantibus accipiatur manibus Panis & Vinum, & ori

ori a ſingulis ſuo ingeratur, ut ſic clarius pateat, eos vere participes fieri per fidem Corporis & Sanguinis Domini, quemadmodum panem & vinum accipiunt.

11. Videndum nunc, quales ſint *Res internæ* in S. Cœna. Has Chriſtus ipſe indicavit, dum *Panem dicit eſſe ſuum Corpus ; Vinum ſuum Sanguinem.* Hinc ille, qui accipit *Panem & Vinum conſecratum*, accipit *Corpus & Sanguinem Domini.* Quodſi vero Chriſtiani ſemper adhæſiſſent ſimplicitati Evangelicæ, haudquaquam in tot diverſas ſententias de modo ejus rei diſceſſiſſent. Nam cuivis patere potuiſſet, fructum S. Cœnæ non in manducatione & potu orali, conſiſtere; Sed in perceptione ſpiritualium Bonorum & Beneficiorum Fœderis Gratiæ, quorum *Symbola* eſſent Panis & Vinum. Unde fidelis per uſum iſtorum Symbolorum de illorum Bonorum perceptione certus redditur. Id cum ex ipſa rei natura intelligitur; quia panis & vinum, nullo, niſi Symbolico modo, poſſunt eſſe Corpus & Sanguis Domini; tum ex Joh. VI. 53-56. quæ quomodo accipienda ſint ℣. 63. indicat.

12. Sed nullus hic eſt Controverſiarum finis. Sunt, qui exiſtimant verum Corpus & verum Sanguinem Chriſti in diſtributione panis & vini omnibus, qui S. Cœna utuntur, ita exhiberi, ut ab iis ore quoque corporis accipiatur, illud manducetur, hoc bibatur. In modo tamen maximopere diſcrepant. Pon-

tificii illud fieri docent per *Tranſſubſtantiationem*, cujus vi poſt Conſecrationem, Panis & Vini ſubſtantia mutetur in SubſtantiamCorporis & Sanguinis Domini. Alii rejecta Tranſſubſtantiatione ipſo tamen ore manducationem Corporis & Bibitionem Sanguinis Chriſti fieri contendunt, modo tamen ſupernaturali: idque tam ab iis, qui digne, quam ab iis, qui indigne communicant.

13. Hujus ſententiæ prima origo eſt ex errore de *Præſentia corporali* Chr. in S. Euchariſtia. Quod ſi itaque iſtam refutaverimus, concidet tam Transſubſtantiatio, quam oralis manducatio. Argumentum ad Præſentiam illam corporalem adſtruendam deſumunt ex verbis inſtitutionis: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Id, inquiunt, quod edere ac bibere debemus, etiam debet eſſe præſens. Licet ergo tantum panem & vinum videmus, tamen non poſſumus dubitare, Corpus & Sanguinem Chr. adeſſe. Nam verba illa Domini proprie ſunt intelligenda: 1. quia a propria verborum ſignificatione nunquam ſine ſumma neceſſitate recedendum. 2. mentis noſtræ conceptus longe rectius per proprias, quam per improprias loquendi formulas exprimuntur. 3. In Teſtamento ſumma verborum perſpicuitas eſt adhibenda. Si autem Servator improprie locutus eſſet, ſenſus in incerto relinqueretur. 4. Ipſi illi qui improprie verba accipiunt, inter ſe haud per omnia conſentiunt.

14. Sed

14. Sed reſpondemus nos quidem. Verba Inſtitutionis utique *Præſentiam realem* inferunt; non tamen *corporalem*, ita ut Corpus & Sanguinem Domini ore corporis edere & bibere debeamus: Sed ſymbolicam & *ſacramentalem*, qualis eſt ſignificatæ rei in ſigno, aut repræſentatæ in figura. Signum enim & figura cum ſenſibus proponuntur, excitant ſimul cogitationem rei ipſius; quæ ſi conjuncta ſit cum fide & pietate, non poteſt non effectum ſalutarem producere. Itaque edere & bibere dicimur *Sacramentaliter*, i. e. ſpiritualiter, quemadmodum Joh. VI. ỽ. 63. faciendum præcipitur. Quamvis enim in eo loco non de S. Cœna agatur, quæ tum nondum inſtituta fuit; declarat ille tamen, quo modo Carnem Chr. edere & Sang. bibere poſſimus. Itaque omne hoc negotium *Fide* peragitur, dum Meritum Chriſti nobis applicamus, cujus repræſentamen externum ſunt Panis & Vinum in S. Euchariſtia.

15. Argumentis, quibus probare nituntur, Verba Inſtitutionis eſſe proprie intelligenda, §. 13. reponimus hæc. 1. Concedimus. Sed heic eſſe ſummam neceſſitatem contendimus, cur a propria ſignificatione, ſ. ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ, diſcedamus. Contradictorium heic eſt τὸ ῥητὸν, adeoque non eſt retinendum. 2. negamus. Sæpe enim æque perſpicuæ, immo magis, ſunt locutiones impropriæ, quam propriæ. Immo vero multæ ſunt res, quæ propriis verbis non

æque evidenter exprimi poſſunt. Unde & 3. conceditur, quia ſic lectores vel auditores minime incerti relinquuntur. Tandem 4. diſſenſiones eorum, qui τὸ ῥητὸν, deſerunt, longe minores ſunt, quam illorum, qui retinent.

16. Aliud Argumentum pro reali & corporali Præſentia petunt ex 1 Cor. XI. 27. 29. unde colligunt, illos quoque, qui indigne communicant, edere & bibere Corp. & Sang. Chr. Cum ergo tales careant fide; non alia relinquitur, niſi oralis manducatio, per conſ. præſentia corporalis. ℞. Falſa eſt hypotheſis, indigne communicantes ideo dici, quia Corpus & Sang. Chr. oraliter accipiunt. Nam ille jam indigne communicat, qui ſine fide ac devotione S. Symbola accipit. *Ille edit ac bibit ſibi judicium, quia non diſcernit Corpus Domini*; dum profanat Symbola Corporis & Sanguinis D. ac ſine fide ac devotione res ſacras tractat.

17. Tertium arg. adfertur ex 1 Cor. X. 16. ubi *Panis* dicitur *Communio Corporis Chr.* & *Calix*, *Communio Sang. Chr.* Inde colligunt veram eſſe & realem unionem rerum externarum & internarum, adeoque Præſentiam realem. ℞. Non negamus Symbola S. vere & realiter unita eſſe cum Corp. & Sang. D. dum accipiens illud, per fidem accipiat & hæc. Sed cum illa ſit *Unio ſacramentalis* & ſpiritualis, haudquaquam inde fluit Præſentia corporalis.

18. Vi-

18 Videamus nunc argumenta, quibus iſta *Præſentia corporalis* refutatur. Eorum ſummam ex *Sam. Werenfelſii* Diſſert. *de ſenſu Verbor. D.* præcipue contrahemus. 1. Longe eſt probabilius, illos errare, qui Verbis Domini ſenſum proprium attribuunt, atque inde Præſentiam realem ſ. ſubſtantialem concludunt, quam vero nos, qui ſenſum improprium ſtatuimus. Nam ille eſt contradictorius; hic non eſt. Contradictorius eſt, quia ſtatuit, Corpus humanum, *noſtris ſimile*, ante oculos poſitum, eſſe inviſibile; ore corporis manducatum neque tactu, neque olfactu, neque guſtu percipi, neque corpus nutrire, ſed animam; ſimul eſſe in plurib. locis, aut ubique; eſſe locale, & non locale, extenſum & non extenſum, impenetrabile, & penetrabile. Ut alia taceamus.

19. Fruſtra hac in parte ad *potentiam Dei* recurritur. Nam hæc non facit contradictoria. Fruſtra etiam ad *Myſterium* intellectui noſtro incomprehenſibile. Nam hoc admittendum non eſt, niſi claris, diſertis & aliam expoſitionem non admittentibus tradatur verbis. Præterea Myſteria non ſunt ἀσύςατα, ubi nihil omnino capi poteſt. Nam de Corpore Chriſti in S. Cœna præſente ea dicuntur a diſſentientibus, quæ cum veritate corporis pugnant.

20. Porro 2. ſenſus Verborum Domini, qui præſentiam corporalem infert, ſcopo S. Cœnæ minime convenit. Scopus S. Cœnæ

 eſt

eſt *Communio Corp. & Sang. Chr.* 1 Cor. X. 16. Sed Communio vivifica & ſalutaris. Huc pertinet *recordatio* Chriſti, ſeu *commemoratio mortis* Chr. Ut hunc ſcopum conſequamur, exhibet nobis S. Cœna Chriſtum pro nobis crucifixum & mortuum, cujus Symbolum eſt panis fractus, & vinum effuſum. Proponit nobis efficaciam crucis & mortis Chr. cujus Symbolum eſt virtus panis & vini in nobis alendis & recreandis. Indicat medium, quo Chriſtum recipiamus, ſcil. Fidem, cujus Symbolum eſt, uſus panis & vini a Domino præceptus. Itaque huic ſcopo conveniens ſenſus Verborum Dom. eſt hic. Panis iſte fractus, eſt Symbolum, cujus exhibitione vobis confirmo exhibitionem Corporis mei crucifixi: Hoc vinum effuſum eſt Symbolum, cujus exhibitione vobis confirmo exhibitionem ſanguinis mei pro vobis profuſi.

21. Exhibitio Corp. & Sang. D. non fit *corpori hominum*, qui Panem & Vinum, percipiunt. Primum enim cum Chr. S. Cœnam inſtitueret, ipſe adhuc vivebat; nec Corpus fractum, nec Sanguis effuſus, ſed omnia adhuc futura erant. Nunc vero jam præteriit fractio, i. e. paſſio Corp. Chr. & effuſio ſanguinis. Corpus autem nec præterita, nec futura apprehendere poteſt; ſed tantum præſentia. Ergo exhibitio fit *animæ*, quæ iſta apprehendit per *fidem*, non præſentia modo, ſed præterita quoque & futura reſpicientem.

Ne-

Neque eo ſecius eſt exhibitio & apprehenſio vera, Hebr. XI. 1. Sic igitur Fides in fractione panis & effuſione vini *mortem Chriſti* videt, & in uſu earum rerum commemorat.

22. Si vero ſtatuamus Corpus & Sang. Chr. vere & *corporaliter præſentia* eſſe, tum quidem Chr. non ut *mortuus*, ſed *vivus*, ſub pane & vino, eorumve ſpeciebus, adeſſet. Sic oculi & mentes communicantium a cogitatione *Mortis Chr.* averterentur. Quomodo hæc cum ſcopo S. Cœnæ conſiſtere poſſunt? Porro eo modo Chr. non datur in ſtatu exinanitionis, ſed in ſummo gradu exaltationis: non in ignominia ſua, ſed in Gloria: Corpus non fractum, ſed glorioſum; ſanguis non effuſus, ſed cum Corp. unitus. Sic S. Cœna in prodigium convertitur, quod nos in ſtuporem conjicit; cum potius inſtituta ſit ad ſalutarem conſolationem. Sic ipſa utentibus nihil prodeſſet. Nam ſi vel maxime Chriſtum *ore* recipimus, non fit noſter redemtor; ſed tum demum, cum in ipſum *corde* credimus. Atqui manducatio oralis *fidem* non producit, ſed ſpiritualis, quæ conſiſtit in viva ſ. vivida repræſentatione Mortis Chriſti.

23. Tandem 3. Verba Inſtitutionis de Præſentia reali & corporali ab Apoſtolis nec intelligi potuerunt, nec intellecta ſunt: e contrario, facillime intelligi potuerunt per figuram, eo modo, quo Nos intelligimus.

Nam hic loquendi modus, quo ad innuendum, *hoc ſignificare illud*, dicitur, *hoc eſt illud*, nec ignotus fuit Apoſtolis; & facile illis in mentem venire potuit, Chriſtum tunc hoc loquendi modo eo ſenſu uti. Primo ille loquendi modus apud Hebræos erat uſitatiſſimus. Innumerabilia ſunt ejus in omni genere rerum exempla. Sed huc pertinent imprimis locutiones ſacramentales. *Petra* in deſerto, ex quo aquæ profluxerunt, *erat Chriſtus*, 1 Cor. X. 4. *Agnus*, quem mactabant Iſraëlitæ, *erat tranſitus*, Exod. XII. 11. 21-27. *Circumciſio* eſt *Fœdus Dei*, Gen. XVII. 10, 11. *Poculum* eſt *N. T. in Sang. Chr.* Luc. XXII. 20. Adeoque dici non poteſt, eum modum loquendi eſſe obſcurum, cum potius in rebus & verbis obſcuris declarandis ſit uſitatiſſimus. Unde & Chriſtus ipſe frequenter eo uſus in Parabolis ſuis, & Apoſtoli ei fuerunt omni modo adſueti.

24. Facile in mentem Apoſtolis venire potuit hæc ejus locutionis ſignificatio. Nam 1. Quotidie, imprimis tempore Paſchatis, tales locutiones occurrebant. 2. aſſueti erant, dicta & facta Magiſtri ſui conſiderare, ut ſymbolica, & aliquid reconditum ſignificantia. 3. Obſervabant facile Analogiam inter *panem fractum* & *Corpus* Chr. quod ipſe quoque *fractum* aut potius frangendum, vocat. 4. Erat etiam jam nota hæc Analogia inter *Carnem* Chr. & *Panem*, ex iis, quæ Chr. Joh. VI. diſſeruerat; unde æque facile intellexerunt

lexerunt verba; *hoc eſt corpus meum;* ac illa: *ego ſum vitis; vos eſtis palmites*, Joh. XV. 1. 5. Accedunt locutiones ſimiles, quas Chr. eodem tempore adhibebat: ut, *Poculum eſt* N. T. *Fractio panis eſt fractio Corporis mei*, quæ non aliter, quam ſymbolice & figurative intelligi poſſunt. 6. Denique cum addit; *hoc facite in mei commemorationem;* quid aliud ſibi vult, quam S. Cœnam fore monumentum ſui abſentis, & quidem *donec veniat*, ſc. ad Judicium?

25. Etiam hoc utile eſt obſervare, nullum alium eſſe modum, quo Chriſtus potuiſſet uti ad id, quod voluit, exprimendum. Hebræis deeſt vocabulum *ſignificandi.* Itaque cum dicere volunt, *hoc ſignificat illud*, ſemper dicebant: *hoc eſt illud.* Porro hæc loquendi ratio majorem Emphaſin habet, quam altera. Chriſtus ita exprimit; ſe exhibendo *panem*, *tam certo* exhibere *corpus ſuum*, ac ſi *panis* eſſet ipſum *corpus*. Sic, ut Chr. daturus corpus ſuum, dedit panem; ita fides panem accipientis, accipit ipſum corpus Chr. crucifixum. Fruſtra ergo dicitur, ſic proprietatem ſermonis non ſervari. Nam judice *Quintiliano; id laudari ſolet, ut proprie dictum, quo nihil inveniri poteſt ſignificantius;* Inſtit. Orat. VIII. 2.

26. E contrario Apoſtolis vix, & ne vix quidem, in mentem venire potuit, Chriſtum ſignificare velle *Præſentiam realem* & *manducationem oralem* Corporis ſui. Nam ille ſenſus

eſt omnium obſcuriſſimus; unde & in tam diverſa abeunt ſenſus litteralis defenſores. Alii ſtatuunt conjunctionem Corp. Chr. cum pane, ita ut panis maneat: alii transmutationem panis in Corp. Chr. ita ut panis non maneat, ſed *tranſſubſtantietur*. Sic ergo lis ſtatim oritur circa vocabulum: *Hoc.* Nam illi panem, hi ſpeciem nudam ſeu accidentia panis intelligunt: ſeu potius, illi rem cum pane conjunctam, hi rem ſub ſpecie panis latentem. Atqui neutrum horum Apoſtoli intelligere potuerunt. Quomodo enim illis in mentem venire potuit, aliquam ſubſtantiam a pane diſtinctam ſub pane, aut ejus ſpecie, latere? Nam panis natura non eſt, ut aliud ſub ſe contineat.

27. Igitur Apoſtoli, audientes Dominum dicentem; *Hoc eſt &c.* de nullo alio ſubjecto id intelligere potuerunt, quam de *pane.* Non certe de aliquo, quod ſub pane contineretur. Debuiſſent alias relinquere ſenſum clarum, & quærere obſcurum. Debuiſſent abjicere ſenſum uſitatum, & quærere inſolitum; ſenſum planum, & quærere incomprehenſibilem. Porro num potuit illis in mentem venire; Corp. Chr. cum ipſis accumbens ſub pane aut ſub ſpecie panis latere; viſibile eſſe & inviſibile: Sanguinem in venis ejus contineri, & ſub vino aut ſub ſpecie vini? Ponamus tandem loco Apoſtolorum, hominem omnium Controverſiarum penitus ignarum; interrogemus eum, quid per verba Domini intel-

intelligat; num ille unquam ad præſentiam realem & corporalem deveniet? Non certe putaverim. Hinc ergo de Apoſtolis fiat judicium, quibus certe alius ſenſus ſeſe offerre non potuit, quam iſte noſter, *Panem*, quem dabat Dominus, Symbolum eſſe *Corporis* illius; *Vinum*, *Sanguinis*. Ergo *Præſentia* illa *Corporalis* nulla eſt, quia nullo fundamento nititur.

28. Sunt etiam argumenta, quibus directe impugnatur illa *corporalis præſentia*. 1. *Ex circumſtantiis S. Cœnæ* a Chr. inſtitutæ. Tum enim Chr. corporaliter ſuo loco Menſæ adſidebat. Non accepit Corpus ſuum, nec fregit ac diſtribuit; ſed panem: nec hunc ſolum, ſed etiam poculum. Atqui Corpus ejus non erat exſangue, nec ſanguis a Corp. ſeparatus. Dein; ſi corporaliter præſens eſſet Chr. non opus eſſet ejus recordatione, quæ eſt tantum abſentium. 2. *Ex Natura Sacramentorum*. Ea non ſunt alia, niſi externa Elementa & præſentia, quæ interna bona & abſentia, tanquam præſentia, ſiſtunt. Unde illa corporaliter, hæc ſpiritualiter intelliguntur & aſſumuntur. Porro Sacramenta non exhibent bona, niſi quæ ſunt in Evangelio promiſſa. Atqui oralis manducatio, vel præſentia Corporis Chriſti non fuit promiſſa. Quod dicitur Matth. XXVIII. 20. pertinet ad gratioſam & ſpiritualem ac divinam, non corporalem præſentiam. Immo vero Chr. oralem ſui corporis manducationem rejicit Joh.

Joh. VI. & quidem non craſſam tantum; ſed omnem, etiam ſubtiliorem. Dein Sacramentum eſt res externa, i. e. Panis & Vinum, non vero interna ſ. inviſibilis, i. e. Corpus & Sanguis Chr. adeoque non oportet hæc proprie eſſe præſentia.

29. Tertium arg. deſumitur ex *Analogia fidei*, i. e. ex aliis Dogmatibus, cum quibus illa Præſentia Corp. conſiſtere non poteſt. Docet S. S. Chriſtum habuiſſe verum Corpus humanum, noſtro per omnia ſimile. Hoc Corpus poſt reſurrectionem recepit, ac in hoc Corpore adſcendit in Cœlum, ubi ſedet ad Dextram Dei. Jam vero, tale corpus non poteſt eſſe viſibile, ſicut omne Corpus: & ſimul inviſibile, ſicut ſpiritus. Non poteſt eſſe eodem tempore in plurib. locis, adeoque non in terris, quamdiu in Cœlo eſt; nec in omnibus illis fruſtulis panis, quæ in S. Euchariſtia diſtribuuntur. Sed in his a nobis penitus diſſentiunt illi, qui humanæ Chriſti naturæ vere communicata eſſe quædam attribura divinæ naturæ aiunt, ſcil. omniſcientiam, omnipotentiam, omnipræſentiam: idque factum in Unione hypoſtatica duarum Naturarum in Chriſto. Atqui hæc penitus tollunt humanam Naturam. Nam Homo omniſcius, omnipotens, omnipræſens non eſt Homo, ſed Deus. Non eodem tamen modo omnes de his loquuntur. Alii enim omnipræſentiam Naturæ humanæ Chr. ex Glorificatione ejus & Seſſione ad

ad dextram Dei deducunt; quæ omnia in eum finem ſunt excogitata, ut dogma iſtud de reali præſentia & manducatione orali defendi poſſet.

30. Quartum Arg. deducimus ex omnibus illis Locis S. S. ubi ſimiles dictiones occurrunt. Quæ cum omnes figurative & Symbolice ſint intelligendæ; idem etiam de his, quibus Chr. in S. Euchariſtia utitur, eſt ſtatuendum. Videantur tales §. 23. collectæ. Nemo hæc aliter, quam ſymbolice & per figuram interpretari poteſt Quid igitur cauſſæ, cur non & Verba Inſtitutionis S. Cœnæ eodem modo ſint accipienda? Cur in his τὸ ῥητὸν eſt ſervandum, & non in ceteris?

31. Quintum Arg. ex Teſtimoniis Patrum antiquæ Eccleſiæ deſumi poteſt, de quibus haud difficulter demonſtratur, haudquaquam eos oralem manducationem ſtatuiſſe; quamvis raro proprie, ſed plerumque allegorice, de Sacramento iſto loquantur. Sic tamen præter alios *Auguſtinus* aliquoties panem S. Euchariſtiæ *figuram* Corporis Chr. dicit. Et in Ep. 23. ad Bonif. ait: *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum Sacramentum Corporis Chr. Corpus Chr. eſt; Sacramentum Sanguinis Chr. Sanguis Chr. eſt; ita Sacramentum fidei fides eſt.* Ut alia ſimilia omittamus.

32. Quum

32. Quum itaque tot ac tam evidentibus argumentis refellatur *Præſentia* illa *Corporalis*, mirum videri poſſet, quomodo iſtud Dogma in Eccleſiam intraverit. Sed dubium non eſt, quin id factum ſit imprudentia Doctorum quorundam, Sæculis barbaris, qui dictiones figuratas cœperunt ſenſu proprio accipere. Quod cum ſemel factum eſſet, alii deinceps id ſibi negotii datum crediderunt, ut quovis modo defenderent doctrinam in Eccleſia receptam. Ut apertius hoc fiat, paucis Hiſtoriam hujus dogmatis ex vetuſtis monumentis exponemus.

33. Quod attinet ad Rom. Eccleſiam, tuetur illa Præſentiam realem per modum *Transſubſtantiationis*. Hanc mutationem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Domini, manentib. accidentibus, i. e. colore, figura, quantitate, ſapore &c. rejicimus, cum propter rationes antea contra Præſentiam corporalem adlatas, tum quia omni fundamento deſtituitur. Nam ex verbis Inſtitutionis: *Hoc eſt Corpus meum;* etiamſi proprie accipienda eſſent, quod jam antea refutavimus, haud tamen Transſubſtantiatio ſequitur. Non dicitur; *Hoc ſit Corpus meum*, aut *hoc mutatur in Corp. meum.* Ceterum, contra Transſubſt. valet etiam iſtud, quod a ſenſuum noſtrorum Teſtimonio deducitur, quodque acutiſſime eſt pertractatum ab *Joh. de la Placette* in Libr. *de l'autorité des ſens contre la Transſubſtantiation;* cui nihil ſolidi hactenus

ctenus opponi potuit. Liber editus Amſt. 1700. 8.

34. Interim ex illo errore nati ſunt alii. 1. Exiſtimant *Hoſtiam* ſemel conſecratam etiam extra uſum S. Euchariſtiæ manere Corpus Chr. Unde fluunt plurima incommoda; ut, cum a mure arroditur, cum alio modo corrumpitur; quæ ſane Corpori Chr. accidere longe abſurdiſſimum eſt. 2. Inde ſequitur *adſervatio*, quæ inſtitutioni & fini S. Euchariſtiæ e diametro repugnat. Jubet enim Chriſtus *accipere & edere*, non adſervare. Nec in Veteri Eccleſia quidquam tale uſitatum. Solebant quidem ad abſentes S. Symbola dimittere; ſed in uſum Communionis, non adſervandi gratia. 3. Peſſimum vero eſt omnium, quod *Hoſtia* propter Transſubſt. *adoranda* creditur, & quidem *Cultu Latriæ*, i. e. ſummo, quo ipſe Deus adoratur: *Concil. Trid. Seſſ. XIII. C. 6.* Sed cum fundamentum Adorationis vanum ſit, patet eam nihil aliud eſſe, quam Idololatriam, quoniam loco DEI Hoſtia adoratur. Nec in veteri Eccleſia ullum eſt ei præſidium, quod invictis documentis demonſtravit *Joh. Dallæus de Cultus relig. objecto.* 4. Huc pertinet Panis conſecrati *Circumgeſtatio* & *Oſtentatio* in Proceſſionibus, quæ Superſtitionem auget. Nam & hæc in Vet. Eccleſia ignota erant. 5. Tandem & *Feſtum* anniverſarium, quod *Corporis Chriſti* vocant, quodque ſumma cum Pompa & Religione celebrant, anno demum 1264. ab Urba-

Urbano IV. P. introductum, & in Concil. Vienneſi Sæc. XIV. confirmatum. De ejus origine & Hiſtoria erudite agit *Joh. Zuingerus*, Libr. peculiari, Baſil. 1685. 4.

35. Eſt itaque vere *Transſubſt.* talis, ut pro *Miraculo* haberi non poſſit, quia omnium ſuperat Miraculorum indolem. Nam cetera miracula ſenſibus percipiuntur; hoc ipſis ſenſibus omni modo repugnat. Et quamvis Dominus immenſa ſua virtute ſubſtantiam panis in aliam ſubſtantiam convertere poſſit; nemo tamen id factum credat, quamdiu ſubſtantiam panis ſuperſtitem & incolumem ſenſibus percipit. Sicut eſt illud Dogma ab omni Scriptura alienum, ſic etiam toti antiquitati incognitum fuit.

36. Ineunte demum Sæc. IX. prodiit *Paſchaſius Ratbertus*, Monachus Corbejenſis, qui primus, ut videtur, Latinorum omnium, in L. de Corp. & Sang. Chr. *conſubſtantiatum* in Cœna Chriſtum, ſ. potius *impanatum*, & *corporaliter* Pani *unitum* docuit. Nondum enim ad *Transſubſtantiatum* Panem perventum fuerat. At novum iſtud loquendi genus, quum a Doctrina communi, ſ. catholica ejus temporis, nec non a mente veterum Patrum, eſſet alienum, nullos fere fautores habuit ante Sæculum XI. Nec defuerunt hac ipſa quoque ætate, qui ſeſe novæ huic doctrinæ oppoſuerunt, in quibus & *Hatto* Ep. Baſil. fuit, qui in Capitulari ſuo jubet Presbyteros docere populum, quid ſit Myſte-

Myſterium corporis & ſanguinis Domini, quomodo appareat Creatura viſibilis, & recipiatur ſalus inviſibilis, quæ in *ſola fide* conſiſtat (*a*). Neque tamen *Paſchaſius* vel annihilato vel ſubtracto vel transſubſtantiato pani favebat. Quin & multa habet, quæ cum Transſubſt. pugnant. Inter alia dicit: *Chriſtus reliquit nobis hoc Sacramentum, viſibilem figuram & characterem Carnis & Sanguinis, ut per hæc mens noſtra ad inviſibilia & ſpiritualia capeſſenda per fidem uberius nutriatur.* Quomodo certe nemo Pontificiorum loqui audeat. Multo magis a Transſubſt. alieni ſunt, qui contra *Paſchaſium* ſcripſerunt. Sic ergo per M. annos a nato Chr. ignotum illud Dogma.

(*a*) Capitulare iſtud *Haitbonis* vel *Hattonis* exſtat apud *Dacherium* Spicileg. T. VI. p. 961. edit. 1. Vid. & *Cave* Hiſt. Litter. ad a. 811.

37. Etiam XI. Sæculo inventus eſt *Fulbertus*, *Carnotenſis* Ep. in Epiſt. ad Adeodatum, quæ inter Opera ejus exſtat, qui clariſſime loquitur contra eos, qui Chriſtum in os & ventrem hominum intrare nimis craſſe docent. Præceptorem ſequutus eſt *Berengarius*, Eccleſiæ Andegavenſis in Gallia Archidiaconus, ſanctimonia vitæ & doctrina præſtans. Iſte acriter pugnavit contra eos, qui nec Panem nec Vinum poſt Conſecrationem in S. Euchariſtia ſupereſſe docebant. Nequaquam tamen docuit, nihil aliud in Cœna

D. a fidelibus percipi, præter nuda Signa, ſ. Panem & Vinum; ſed Credentium animas vero Corpore & Sanguine Domini refici ad Vitam æternam. Interim aut ſubſtantiam Panis & Vini aboleri, aut in verum & naturale Corpus Chr. transmutari, aut ipſum e Cœlo carnaliter deſcendere negavit. Conſtant hæc ex fragmentis Scriptorum ejus, quæ ipſi adverſarii conſervarunt.

38. Non deerant, qui cum *Berengario* ſentirent, in Gallia, Italia & Anglia. Sed apparuit quoque contrariam ſententiam apud plurimos invaluiſſe. Unde *Leo IX. P.* a. 1050. in Synodo *Vercellenſi* eum condemnavit. Sub *Victore II. P.* a. 1055. habitum eſt Concilium *Turonenſe*, ad quod *Berengarius* vocatus negavit *Panem & Vinum eſſe meras umbras ac figuras*, idque propriæ manus ſubſcriptione teſtatus eſt. Non tamen revocavit doctrinam ſuam, quia id nunquam docuerat. Sed dein ad Synodum *Romanam* a. 1059. ſub *Nicolao II. P.* vocatus, minis & carcere ac intentato mortis metu adactus eſt, ut ſubſcriberet formulæ præſcriptæ, in qua præter alia hæc Verba erant: *Corpus & Sanguinem D. ſenſualiter, non ſolum Sacramento, ſed Veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.* Quæ tamen formula, ſicut haudquaquam conformis eſt hodiernæ doctrinæ Pontificiorum, ita etiam nullam facit *Transſubſtantiationis* mentionem.

Et

Et *Berengarius* mox, præſenti periculo liberatus, ſubſcriptionem revocavit, & errorem refutavit.

39. Quapropter a. 1079. a *Gregorio* VII. P. rurſus ad Concilium *Romæ* habitum evocatus eſt *Berengarius*, ubi *multis hæc*, *nonnullis illa ſentientibus*, poſt inducias trium Menſium *Berengario* conceſſas, & jejunium Cardinalib. indictum, *ut Deus per ſignum aliquod de Cœlo oſtenderet*, *quis rectius ſentiret de Corpore Domini*, Rom. *Pontifex*, an *Berengarius*; ad extremum nova formula *Berengario* obtruſa, qua *Panem illum myſticum ſubſtantialiter converti in veram & propriam Carnem Chriſti*, ſub graviſſimo Papæ præcepto deinceps confiteretur. Paullo poſt *Bereng.* obiit.

40. Neque tamen cum eo exſtincta eſt illius doctrina. Nam *Bernardus*; Abbas *Clarevallenſis*, qui poſt initium Sæc. XII. floruit; dein *Rupertus*, Abbas *Tuitienſis*, Panis ſubſtantiam non converti, ſed manere docuit. Addit tamen poſterior *Unionem* eſſe *Panis & Corporis Chriſti hypoſtaticam*; qualis fere eſt hodie Sociorum Aug. Conf. ſententia.

41. Nomen *Transſubſtantiationis* ante Sæc. XII. medium non fuit inventum. Primum occurrit apud *Petrum Bleſenſem*, & *Stephanum Eduenſem*. Sæc. XIII. ſub *Innocentio* III.

P. habitum *Romæ* in *Laterano* Concilium, quo *Tranſſubſtantionis* & Dogma & Nomen, tanquam fidei Articulus neceſſario credendus, ſtabilitum eſt. Additæ ſtatim ſunt pœnæ illis, qui hanc doctrinam non admitterent; alioquin ne illi quidem omnes, qui Rom. Eccleſiæ adhærebant, eam admiſiſſent (*b*).

(*b*) Excerpta ſunt hæc ex Hiſtoria Transſubſtantiationis, quæ a. 1678. Bremæ 8. edita fuit. Auctor eſt Joh. Coſinus, Ep. Dunelmenſis.

42. Cumque hoc dogma omnibus temporibus ſuos haberet impugnatores, quales *Waldenſes*, *Wicleſitæ*, *Huſſitæ*; hinc & *Reformatores* Eccleſiæ ab eo confeſtim diſceſſerint, non tamen eodem modo rem conceperunt. *Lutherus* quidem *Transſubſtantiationem* improbavit; quia tamen ex communi ejus temporis errore, de ſubſtantiali & reali præſentia corporis & ſang. Chr. in S. Cœna, emergere non poterat, docere cœpit, verum panem & vinum poſt conſecrationem manere quidem, ſed ſimul *cum pane & vino reale Corpus & Sanguinem Chr. a quovis communicante ore corporis vere accipi*, idque *virtute verborum: Hoc eſt Corpus meum.*

43. Non ille primus fuit in hac ſententia. Nam ipſe aſſerit, *P. de Alliaco Card. Cameracenſem*, unum ex Scholaſticis Doctoribus, Sæc. XIV. ſibi occaſionem talia cogitandi dediſſe. Neque tamen ille ſolus fuit, qui olim

ſic

ſic ſtatuebat, quod vel ex *P. Lombardo* patet. Interim haud credo, *Lutherum* prorſus idem de hoc negotio ſtatuiſſe, quod Scholaſtici iſti Doctores; ſed paullo aliter illud explicabat. Sic enim putabat *ſalvam manere utramque ſubſtantiam, ſicut ſalva manet humanitas, quamvis in Chriſto Deus ſit homo.*

44. Brevi poſt a *Luthero* diſſentire auſus eſt a. 1524. *Caroloſtadius*, qui tum temporis Wittebergæ docebat. Is non a Transſubſtantiatione tantum, ſed & a Præſentia & manducatione corporali abhorrens; exiſtimavit verbum *Hoc*, in Inſtitutione S. Cœnæ, non de *Pane*, ſed de ipſo *Corpore Chriſti*, eſſe intelligendum, quaſi Chriſtus Panem manu tenens, & digito Corpus ſuum demonſtrans dixiſſet: *Hoc eſt Corpus meum, quod* &c. Eam ille ſententiam ex hoc potiſſimum probabat, quod Pronomen neutr. gener. τοῦτο, non ad ἄρτον, ſed ad σῶμα referri poſſit. Hinc acre certamen inter *Lutherum* & *Caroloſtadium* exortum, cujus exitus fuit, ut tandem hic Wittebergam relinquere, & poſt aliquod tempus ad Helvetios tranſire cogeretur, quorum dein ſententiam, ſua mutata, eſt amplexus.

45. Nam apud hos *Zuinglius* & *Oecolampadius* rejecta ſtatim *præſentia corporali* Carnis & Sanguinis Chriſti in S. Euchariſtia; docuerunt *Præſentiam veram* quidem, ſed *Sacramen-*

talem, ſ. *Spiritualem*; hancque conſtanter defenderunt. Tentata quidem eſt ſæpe Unio quædam ſententiarum inter Lutheranos & Reform. ſed obtineri non potuit. Immo vero diſſenſus in apertum Schiſma Proteſtantium erupit, levius quidem ab initio, quippe in *ſolo modo præſentiæ eucbariſticæ* tempore *Lutheri* conſiſtens: poſtmodum acerbius, accedente in ſubſidium præſentiæ corporalis dogmate *Ubiquitatis*, auctore *Joh. Brentio*, & *Jac. Andreæ.* Abſolvit Schisma, *Formula Concordiæ*, a quibusdam Lutheranis compoſita, quæ omnem Pacis Eccleſiaſticæ ſpem propemodum ademit. Aliæ poſtea de aliis dogmatibus natæ controverſiæ hujus loci non ſunt.

46. Neque eo ſecius ſæpe, ut hoc Schiſma tolleretur, laboratum eſt,.quod Eccleſ. docet Hiſtoria. Eum in finem ſtatuerunt & docuerunt noſtri, diſſenſum non eſſe in Eſſentia fidei. Nam in S Euchariſtia haudquaquam negatur a Reform. præſentia vera & realis Corporis & Sang. Chriſti; ſed tantum *corporalis*, ſ. ut quidam appellant, *ſubſtantialis*, una cum manducatione orali. Nec alia eſt cauſſa, cur Lutherani plerique hunc diſſenſum eſſentialem putent, quam quod ſpiritualem præſentiam, & manducationem, quæ fit per fidem, non eſſe veram cenſeant: quaſi vero quod fide fit, non vere fiat. Hinc &, quamvis Reformati Lutheranos *Fratres* habere & nominare ſoliti ſint; idem tamen

ab

ab horum majore parte impetrare non potuerunt. Unde hæc *Unio* magis optanda, quam ſperanda eſſe videatur.

47. Longe aliter de *Pontif.* doctrina eſt ſentiendum. Nam hæc eſt complexus quidam variorum eorumque graviſſimorum errorum. Nati iſti ſunt paullatim, & nonnulli ex innocuis quibusdam ritibus Eccleſiæ Veteris; ceteri dein alii ex aliis originem duxerunt. Sic, quum Veteres ſoliti fuerint Panem & Vinum in ſacris Conventibus offerre, unde ex parte Euchariſtia celebrari, cetera inter Pauperes diſtribui debuerint; eæque oblationes etiam pro pie defunctis fierent, non ut iſti poſt mortem juvarentur, aut fructum aliquem inde perciperent, ſed ut fide defunctos teſtarentur ſuperſtites, ſicque *loco ipſorum* offerrent; inde per lapſum temporis *Miſſa* eſt exorta. Jam IV. Sæc. exſtitiſſe quosdam, qui exiſtimarent, animarum a Corporibus ſeparatarum ejusmodi eſſe ſtatum, ut juvari adhuc poſſint, ideoque illas *Oblationes* ipſis prodeſſe, teſtimoniis conſtat.

48. Huc pertinet totus ille *Miſſæ* apparatus; Veſtes pretioſæ ac ſplendidæ, altaria eleganter adornata, quæ Sæc. VIII. & ſeqq. emerſerunt. Eisdem temporibus debentur *Miſſæ ſolitariæ*, uſus *Linguæ Latinæ*, opinio de *opere operato*, de *ſacrificio expiatorio*, & tandem de *ſolo Pane Laicis* diſtribuendo, ſuam

 ori-

originem. Hanc vocant *Communionem ſub una ſpecie*, quam ex errore de *Tranſſubſtantiatione* ortam eſſe manifeſtum eſt. Inde ſequebatur, *Calice* non opus eſſe, quia Corpus ſanguinem jam includat, & præterea periculum ſit, ne Laici per imprudentiam aliquid ex Calice in terram effundant, atque ita ſanguis Domini profanetur. Is abuſus ſenſim introductus, nec ante a. 1415. in *Concilio Conſtant.* confirmatus fuit. Decretum memorabile ſeſſione XIII. factum. Ejus rei nulla omnino idonea ratio adduci poteſt. E contrario certum eſt, illam Calicis oblationem & Inſtitutioni S. Cœnæ, & ejus fini ac naturæ, & praxi Eccleſiæ per a. 1200. repugnare, quod ipſi Patres Conſtantienſes fatentur.

49. De *Miſſa* tamen Pontificiorum adhuc nonnulla nobis ſunt dicenda. Nam illud eſt unum ex graviſſimis capitibus, quod in Rom. Eccleſia reprehendimus, quodque animos omnium maxime ab ea alienare debet. De ejus nomine ſupra jam actum. De reipſa primum obſervandum, *Miſſas eſſe varias*; omnes tamen eo redire, ut habeantur pro *Sacrificio Eccleſiæ perpetuo ac expiatorio, proprie ſic dicto, quo ipſum Dei Filium pro vivorum ac mortuorum peccatis, Deo Patri, ſub accidentibus Panis & Vini, per Sacerdotem quotidie offerunt.* Sed hoc pugnat 1. cum natura Sacramentorum. 2. cum S. Cœnæ inſtitutione. 3. cum natu-

natura & requiſitis Sacrificii. 4. præſertim cum vero Chriſti Sacrificio.

50. *Primo* ipſa *Sacramenti natura* huic Sacrificio Miſſæ adverſatur. Nam Sacramentum eſt confirmatio & applicatio divinæ Gratiæ nobis promiſſæ. Sacrificium autem eſt actus externus, quo Deus colitur. Per Sacramentum Beneficia Dei nobis conferuntur. Per Sacrificium cultus ipſi debitus præſtatur. *Secundo:* S. Cœna nihil habet, quod Sacrificium dici poſſet. Non in Cœna, ſed in Cruce Chriſtus ſeſe obtulit. In Cœna Dominus Corpus & Sanguinem ſuum non Patri, ut Sacrificium; ſed diſcipulis, tanquam redemtionis media, in Symbolis ſacris tradidit. Juſſitque in S. Euchariſtia Mortis ſuæ *commemorationem;* non Corporis ſui *ſacrificium* fieri. *Tertio*, nulla hic ſunt *requiſita ſacrificii.* Nulla adeſt *victima*, cum Transſubſtantiatio ſit falſa: &, ſi vera eſſet, non tamen deberet eſſe victima inviſibilis. Nec Chriſtus, utpote fons omnis ſanctitatis, a Sacerdote *conſecrari* poteſt, ut victimæ olim ſolebant. Nulla eſt *Formula* ſacrificandi, in omni S. Cœnæ inſtitutione. Nulla tandem ſacrificii *deſtructio*. *Quarto*, illud Miſſæ ſacrificium evertit *unicum verum Chriſti ſacrificium.* Hoc enim ſemel oblatum expiavit omnia peccata, prout multis docetur Hebr. IX. & X. Sin autem quotidie offerri debeat Chriſtus, id ſane dici non poſſet.

51. Aiunt Pontificii, *Miſſam eſſe ſacrificium*, 1. quia in ea ſacrificium Chriſti hominibus applicatur. Sed applicatio ſacrif. non eſt ſacrif. ipſum, verum potius ſacrificii jam facti commemoratio. 2. aiunt diſtinguendum ſacrif. Chr. primarium & ſecundarium, propitiatorium & commemoratorium, cruentum & incruentum. Sed talis diſtinctio in S. S. non invenitur. Ea teſtatur, unicum eſſe ſacrif. Chr. expiatorium; S. Euchariſtiam ejus eſſe gratam commemorationem. Multo minus vero admitti poteſt, quod *Miſſæ mortuis* proſint, quum horum ſtatus jam a morte ſit decretorius & immutabilis, ſicut docetur Theolog. Dogm. Sect. I. §. 581. ſ.

52. Addatur his, quod omne ſacrificium requirit *Sacerdotem*. Talis in N. T. unicus eſt Chriſtus, Pſalm. CX. Hebr. VII. Fideles vero omnes ſunt Sacerdotes ſpirituales Rom. XII. 1. 1 Petr. II. 5. 9. Sed Pontificii Sacerdotium Miſſaticum ex eo probare nituntur, quod Chriſtus S. Cœnam inſtituens dicit: *Hoc facite* &c. contendentes, *facere*, hic ſignificare, *ſacrificare*. E contrario manifeſtum eſt, Chriſtum cum ea diceret, non inſtituiſſe Sacerdotes; ſed omnes communicantes docuiſſe, quo fine *facerent*, aut celebrarent S. Cœnam. Sic & Paullus interpretatur 1 Cor. XI. 25, 26. & X. 16. Producunt exemplum *Melchiſedeci*, qui Gen. XIV. 18. dicitur *protuliſſe panem & vinum*.

Sed

Sed hoc nihil ad ſacrificium; Nam Munus non Deo obtulit, ſed Abrahamo, quo ipſe cum comitibus e prælio defatigatis reficeretur.

53. Ne *Altaria* quidem habet Eccleſia Chriſtiana. Sublatus enim omnis cultus ceremonialis cum ſacrificiis. Et Dominus cœnam ſuam ad *Menſam* celebravit. Sicut & Paullus 1 Cor. X. 20. *Menſam* vocat. Quod vero Hebr. XIII. 10. dicitur, id figurate intelligendum patet. Sic illud quoque, quod in Veteri Eccleſia nonnunquam *Altaria* ſunt dicta. Sicut S. Cœna figura ſacrificii Chr. ita *Menſa Domini* figura Altaris eſt.

54. Argumentantur porro Pontif. 1. ex eo, quod *Paſcha* fuerit Typus S. Cœnæ. Id autem fuit ſacrificium. Sed negatur prius. Nam Sacramentum non eſt Typus Sacramenti; ſed utrumque eſt Typus & figura Chriſti. 2. ex eo, quod 1 Cor. X. 15. Menſa Domini confertur cum Menſa Dæmoniorum, ubi ſacrificia idolis offerebantur. Sed nulla eſt conſequentia. Nam comparatio illa non fit ratione ſacrificii; ſed ratione communionis. 3. ex eo, quod Apoſtoli Act. XIII. 2. λειτουργοῦντες dicuntur. Sed id non oblationem, verum preces & jejunia indicat. Id ex ipſo patet, & aliis locis, ubi eadem vox occurrit. 4. ex eo, quod Malach. I. 11. dicitur *in omni loco oblationem mundam Nomini Divino offe-*

offerendam eſſe. Sed Oblatio Spiritualis, non corporalis intelligitur: Preces, Pſ. CXLI. 2. & eleemoſynæ, Hebr. XIII. 6.

55. Supereſt unica Quæſtio, eaque graviſſima, de iis, qui S. Cœna uti debent. Hi ſunt Chriſtiani, 1. qui peccata ſua agnoſcunt, & vere de iis dolent; 2. qui ſerio credunt, Chriſtum pro peccatis victimam expiatoriam præſtitiſſe, cujus vi reſipiſcentes conſequantur remiſſionem peccatorum; 3. qui habent ſerium propoſitum, vitam piam & Chriſtiano dignam agendi. Ergo exploratio ſui, circa tria hæc capita, eſt illa δοκιμασία, de qua 1 Cor. XI. 28. Sic ante uſum S. Cœnæ animus rite præparandus eſt. Deinde in ipſo uſu etiam atque etiam de Morte Chriſti eſt cogitandum, cum piis precibus & gratiarum actione. Tandem & poſt uſum perpetuo cogitandum, quanto Sacramento nos obſtrinxerimus, ut gratiam acceptam in pio corde cuſtodiamus.

56. A S. Cœna ergo arcendi ſunt. 1. Infideles. 2. Infantes. 3. Impii & manifeſti Hypocritæ. Hi vel ipſi ſeſe abſtinere deberent, ne in graviſſimum incidant judicium, 1 Cor. XI. 29. vel ab Eccleſia ejusque Miniſtris arceri; ne profanetur Sacramentum, ac ne fiant deteriores, Matth. VII. 8.

57. Quandoquidem nihiloſecius contingit, ut

ut inter fideles multi ad S. Cœnam accedant impii aut hypocritæ, quæritur, an pius & fidelis Homo ſalva Conſcientia ſimul accedere poſſit? Sine dubio adfirmandum id eſt. Objectiones parum ponderis habent. Communicando cum Hypocritis non participes reddimur peccati ipſorum, quod nec probamus, nec imitamur. Adeoque nulla poteſt ab aliis oriri nobis juſta cauſſa abſtinendi a S. Cœna, niſi uſus ejus per capitales errores & idololatriam corruptus ſit, prout in *Miſſa Pontif.* factum eſt. Nunquam inquirendum eſt, quam digni aut indigni ſint alii; ſed opera danda, ut ipſi haud indigne communicemus. Sic & a dignitate vel indignitate Miniſtri ad Uſum vel omiſſionem Sacramenti non eſſe argumentandum oſtendimus Sect. I. §. 8.

F I N I S.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ SECTIONIS II.

INDEX CAPITUM.

Cap. 1. *De Sacramentis in genere & de Sacramentis* V. T. p. 207.

Cap. 2. *De Sacramentis* N. T. *ubi & de Sacramentis Pontificiorum.* p. 243.

Cap. 3. *De Baptiſmo.* p. 260.

Cap. 4. *De S. Cœna.* p. 484.

THEO-

THEOLOGIÆ POLEMICÆ

PRÆCOGNITA, ſ. PROLEGOMENA.

1. THeologia *Polemica* dicitur a πόλεμος, *bellum.* Eadem *Elenchtica*, ab ἔλεγχος, *convictio* & *refutatio.* Nec non *Antithetica*, ab ἀντίθεσις, *oppoſitio.*

2. Illa eſt ſcientia Veritates Religionis defendendi, quod fit reſpondendo ad objectiones Adverſariorum; & Adverſarios oppugnandi, quod fit, ſi eorum errores ſolide refutentur.

3. Principia Theologiæ ſunt duo, *Ratio* & *Revelatio.* Ex priori naſcitur Theologia *Naturalis*; ex altero *Revelata.* Dogmat. Sect. I. §. 2-4.

4. Veritates Religionis qui impugnat, aut errores defendit, ille movet *Controverſias.* Theologia ergo Polemica Controverſias tractat.

5. Inter Controverſias Religionis aliæ ſunt majoris, aliæ minoris momenti. Priores verſantur circa Articulos *fundamentales*, qui abſque ſalutis diſpendio aut periculo ignorari aut negari nequeunt; poſteriores circa minus fundamentales.

6. Qui-

6. Quinam ſint fundamentales Religionis Articuli, quinam non ſint, cognoſcitur ex eorum connexione cum Veritatibus primis Naturalis & Revelatæ Theologiæ. Illos vid. Dogmat. Sect. I. §. 8. Has ex conſideratione medii ſalutis elicimus, de quo ibid. §. 159. Add. §. 523. ſeqq.

7. Controverſiæ majoris momenti ſunt neceſſario tractandæ, quia circa Articulos fundamentales; ceteræ poſſunt negligi, imo debent, quia circa non fundamentales, verſantur.

8. Adverſariorum diverſitas efficit, ut Theologia Polemica apte in VIII. Capita dividi poſſit.

9. Primum ſunt refutandi, qui Religionem aut omnem, aut ſaltem Revelatam, aut tandem Chriſtianam in univerſum oppugnant. Controverſiæ cum his dicuntur *Generales*. Iſti Adverſarii negant Principia Religionis Chriſtianæ, vel in totum, vel ex parte.

10. Qui ea in totum negant, ſunt *Athei*, *Gentiles* ac *Mohammedani*; qui ex parte, ſunt *Deiſtæ* & *Judæi*,

11. Poſt hos ſequuntur, qui dogmata Religionis veræ peculiaria impugnant. Cum his ſunt Controverſiæ *ſpeciales*. Hi vel iisdem utuntur nobiscum principiis, ut *Sociniani*; vel aliquod principium addunt, quod nos non admittimus. Tales ſunt *Fanatici*, & *Pontificii*.

12. Illi

12. Illi cum quibus generales habemus controverſias dicuntur *Increduli.* Ceteri vocantur *Heterodoxi;* quibus oppoſiti *Orthodoxi.* Qui vero *Pontificiis* adverſantur, ſunt *Proteſtantes.*

13. *Hæretici*, dicuntur quatenus in fundamento errant. Ceteri *Heterodoxi*, qui ob non fundamentales errores diſceſſionem ab Eccleſia fecerunt, *Schiſmatici* appellantur.

14. Errores refutaturi multum proficiunt ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quæ præter alia etiam originem, Auctores, progreſſus eorum, nec non illa, quæ ante circa eorum refutationem facta ſint, tradit.

15. Dein quæri debet omnis Controverſiæ πρῶτον ψεῦδος, i. e. *Error primarius*, ex quo tanquam ex fonte, alii errores manarunt, ut illis eo diligentius occurri poſſit.

16. Non aliter vero accuratius cognoſcitur error primarius cum ceteris, qui exinde fluunt, quam ſi totum Adverſariorum ſyſtema, & omnium errorum connexio intelligatur.

17. Convenientiſſima igitur eſt Methodus adverſarios refutandi, ſi prius totum eorum ſyſtema ordine exhibeatur, errores inter ſe connectantur, ac deinde refutato errore primario ſyſtema univerſum refutetur.

18. Melior certe hæc ratio, quam ſi ſecundum ordinem noſtri ſyſtematis ad ſingula Capita errores notentur, aut ſolummodo ad objectiones reſpondeatur. Hoc

enim modo Veritas quidem defenditur, ſed errores non refutantur.

19. Nemo debet Theologiam polemicam tractare, niſi prius ex Dogmatica probe de Veritate convictus fuerit, ac Dogmatum ſingulorum omnem cognitionem acquiſiverit.

20. Deponendi etiam cum Præjudiciis ſunt pravi Adfectus. Hæc enim duo maxime impediunt veritatis cognitionem, & adverſariorum convictionem.

21. Non ergo vel auctoritate humana, vel violentia in Adverſarios utendum eſt. His enim modis non amor veritatis, ſed ejus potius odium excitatur.

22. Non ſunt adverſarii adgrediendi per falſas & iniquas conſequentias, quæ vel non fluunt ex eorum erroribus, vel ſi fluerent, non tamen ab illis adgnoſcuntur.

23. Nec ſunt adverſarii in invidiam adducendi, aut convitiis petendi, aut deridendi, quia hæc non ſunt idonea alios convincendi media.

24. Non ſunt etiam in Religionis demonſtratione, aut errorum refutatione ea prætermittenda, quæ præ aliis ſunt difficilia, aut multis diſceptationibus obnoxia, cum interim ſint Religioni Chriſtianæ eſſentialia.

25 Controverſiæ generales, ubi de Religione in univerſum, aut de Religione Revelata & Chriſtiana agitur, magis ſunt, his potiſſimum temporibus, neceſſariæ, quam ſpetiales, quæ de ſingulis Theologiæ capitibus agunt.

Theologiæ Polemicæ Cap. I. de *Atheis.*

1. *Atheus* eſt, qui negat exiſtentiam DEI, aut qui de ea dubitat, aut qui talem ſibi fingit DEUM, qui nec eſt, nec eſſe poteſt.

2. An tales ſint, aut fuerint, a nonnullis dubitatum eſt. Sed experientia triſtis dubitationem tollit.

3. Huc pertinent ergo *Sceptici*, quorum error *Scepticiſmus* aut *Pyrrhoniſmus* appellatur, qui de hac præcipua omnium veritatum dubitant: *Spinoſiſtæ*, qui unicam eſſe ſtatuunt ſubſtantiam Intellectu & Extenſione ſimul præditam: & *Materialiſtæ*, qui nihil niſi materiale exiſtere opinantur.

4. Primarius ergo error *Atheorum*, unde omnes reliqui fluunt, vel totidem verbis, vel per legitimas conſequentias expreſſus, eſt, *non eſſe* DEUM.

5. Quia Mundus nonniſi a DEO creari potuit, hinc Atheus negat quoque *Creationem* Mundi.

6. Si Mundus creatus non eſt, ſequitur eum aut quoad materiam & motum, aut quoad formam quoque *æternum* eſſe.

7. Inde ſequitur porro, Mundum eſſe *Ens a ſe*, atque independens, quoniam rationem ſuæ exiſtentiæ non in alio *Ente*, ſed in ſeipſo habet.

8. Ens, quod rationem ſuæ exiſtentiæ in ſeipſo habet, eſt quoque *neceſſarium:* Ergo ſecundum Atheum, hic Mundus eſt *neceſſa-*

rius, idque tum quoad exiſtentiam, tum quoad eſſentiam.

9. Diſpoſitio partium Mundi, tum ſimultanearum, tum ſucceſſivarum dicitur *Ordo naturæ.* Si ergo Mundus eſt Ens neceſſarium, etiam Ordo iſte Naturæ eſt neceſſarius, adeoque nullus eſt in Mundo motus, nullus eventus, qui non ſit neceſſarius.

10. Mundus nec Conſervatione nec Gubernatione opus habet, quia omnia in eo ſunt neceſſaria. Ergo non datur *Providentia*, cum nec DEUS ſit, qui provideat rebus.

11. Quia ordo rerum eſt neceſſarius, & per conſeq. immutabilis, hinc etiam nulla unquam facta ſunt aut fieri poſſunt *Miracula.*

12. Religio conſiſtit in DEI Cognitione & Cultu. Ubi autem negatur DEI exiſtentia, ibi nec Cognitio Ejus, nec Cultus admittitur. Ergo manifeſtum eſt, *Atheiſmum tollere omnem Religionem.*

13. Neque Naturalem neque Revelatam Religionem admittit Atheus. Ergo nec *S. Scripturam*, tanquam veram, & a DEO inſpiratam admittit.

14. Hinc *Moſen* & *Chriſtum* in eandem cum *Mohammede*, nec non cum Gentilium *Legislatoribus*, claſſem refert, qui falſo Religionis prætentu ſuis Legibus auctoritatem conciliare ſtuduerunt; ſtatuitque Religionem eſſe *callidum politicorum hominum figmentum.*

15. *Vati-*

15. *Vaticinia* ſeu Prædictiones futurorum eventuum non poſſunt habere auctorem alium, niſi DEUM, nec poſſunt eſſe niſi de rebus contingentibus. Atqui ſecundum Atheum nec DEUS eſt, nec ſunt res contingentes; ergo nec *Vaticinia.*

16. *Immortalitas* Animarum humanarum in Atheorum ſyſtemate admitti non poteſt: ſed ab hac illi præcipue abhorrent. Nam hæc illis non poteſt niſi horrorem incutere. Beatam Immortalitatem non audent ſperare: Quare miſeræ metum ex animo ſuo ejicere ſtudent.

17. Hinc poſt hanc nullam aliam vitam, ibique *nec præmia, nec pœnas* exſpectandas eſſe ſtatuunt.

18. Hinc tandem Atheus aut nullam profitetur Religionem, aut perinde eſſe cenſet, quamcunque profiteatur, dummodò commoda ſit, ut ſuum ſcopum conſequatur. Hic appellatur *indifferentiſmus Religionum.*

19. *Atheiſmus* refutatur, dum Exiſtentia DEI, & ceteræ Religionis tum Nat. tum Revel. Veritates demonſtrantur: quod factum in Dogmaticæ partis priorib. Capp.

20. Refutatur item, ſi obſervetur, *Atheiſmi veritatem demonſtrari non poſſe.* Si enim quis demonſtrare vellet, DEUM non eſſe, illum oporteret demonſtrare, DEUM eſſe non poſſe. Atqui Notio DEI nullam involvit contradictionem. Ergo nihil impedit, quominus DEUS eſſe poſſit.

21. Si non poteſt demonſtrari, DEUM non eſſe, tunc nulla ex ceteris Atheiſmi hypotheſibus demonſtrari poteſt. Omnes enim ab hac, tanquam a primo ſuo principio, pendent.

22. Si Mundus creatus non eſt, tum ab æterno exiſtit, quod ſive de forma, ſive de materia & motu dicatur, contradictorium eſt. Aut enim admittendus eſſet progreſſus cauſſarum & effectuum ab infinito, qui eſt contradictorius; aut effectum eſſe ſine cauſſa, quod eſt itidem impoſſibile.

23. Si Atheiſmus non poteſt demonſtrari, §. 20. tum, Atheus ſcire non poteſt, DEUS ſit necne. Qui vero id negat, quod neſcit, num ſit vel non ſit, ille a Ratione alienus eſt. Ergo Atheus talis eſt, meritoque dicitur *Amens.*

24. Porro ſi Atheus tantum dubius eſt de Exiſtentia DEI & Immortalitate Animarum, & tamen ita agit ac ſi horum oppoſitum certum eſſet, multo magis amens eſſe cognoſcitur, eo quod in periculum pernitioſiſſimi erroris ſe conjicit.

25. Nam ſi DEUS eſt, ſique Anima eſt immortalis, tum Atheus, qui contrarium aſſeruit, & nec DEUM eſt veneratus, nec curam pro ſalute Animæ ſuæ geſſit, in æternam incidet miſeriam, cum ei DEUS propitius eſſe non poſſit, qui eum nunquam coluit.

26. Sed

26. Sed reſpondendum etiam eſt ad *Atheorum Argumenta. Primo* dicunt, nullam dari Notionem DEI. Sed non probant. Nam ſi id verum eſſet, tum oporteret in Idea DEI inveniri contradictionem. Atqui nulla invenitur. Non enim DEO talia tribuimus, quæ inter ſe conſiſtere non poſſunt.

27. Si autem DEVS eſt *incomprehenſibilis*, excluditur Idea DEI *adæquata;* non excluditur omnis Idea. Sunt enim præter hanc plures aliæ idearum ſpecies, ut Logici docent.

28. Si porro DEVS *non cadit ſub ſenſus*, non ſequitur, ejus non dari ideam. Sunt enim ideæ plurimæ rerum metaphyſicarum, quæ nunquam ſub ſenſum cadere poſſunt.

29. Objicitur porro Attributorum Dei *incomprehenſibilitas*, de qua idem prorſus reſpondemus, quod ad §. 27. dictum eſt. Sufficit enim, ut aliquid concipi & eſſe poſſit, ſi nullam in eo inveniamus contradictionem; nec opus eſt, ut id comprehendamus.

30. Quod Athei ſtatuunt, Religionem eſſe figmentum callidorum hominum, id non alia ratione probare conantur, quam ex eo, quod multos veterum Politicorum, immo & novorum, Religione uſos eſſe conſtet, ad Populos in officio continendos. Sed nulla eſt conſequentia. Nam vera Religio non minus idoneum eſt vinculum Societatis humanæ, immo magis idoneum, quam falſa.

Si itaque falſa Religione ad ſuum finem conſequendum uſi ſunt homines, non ſequitur, nullam eſſe veram.

31. *Spinoſiſmus*, de quo §. 3. peculiare eſt Atheiſmi genus, quod DEVM verbis ponit, ſed reipſa tollit, dum eundem eſſe Deum ac Mundum ſtatuit. Unde nec Creatio locum habet; ſed tantummodo modificatio.

32, Nititur illa hypotheſis falſis definitionibus, & ſophiſticis ratiociniis, velut ubi *Subſtantiam* definit *Spinoſa* rem per ſe ſubſiſtentem, confundit eam cum Ente a ſe exiſtente, quod tamen diverſiſſimum eſt.

33. Objiciunt Spinoſiſtæ contra exiſtentiam Dei a Materia ſ. Mundo diſtincti: Materiam neceſſario exiſtere, & per conſequens eſſe æternam, & alium non eſſe Deum.

34. Reſpondemus: Materia non exiſtit neceſſario, neque id ulla ratione probari poteſt. Nam in idea ſ. notione Materiæ nihil eſt, quod exiſtentiam neceſſariam involvat.

35. Si ex Nihilo Nihil fit, quod eſt veriſſimum; non ſequitur, Mundum ab alio Ente productum non fuiſſe. Sed ſi Mundus non exiſtit neceſſario, ſ. a ſe, ſique eſt contingens, tum nunquam exſtitiſſet, niſi aliud eſſet Ens, a quo fuit productus.

36. *Materialiſmus*, qui omnia ſtatuit materialia, & in Materiam cadere Intellectum & Volun-

Voluntatem, refellitur *Dogmat.* Sect. I. §. 138-140.

37. Dicunt Materialiſtæ, nullam haberi poſſe ideam *Entis ſimplicis*, ſ. non extenſi. Sed id verum eſt tantum de rebus ſub ſenſus & imaginationem cadentibus. Dantur autem & res, quæ puro tantum intellectu concipiuntur.

38. Cumque Deum non aliter concipere poſſimus, quam ut Ens, quod initio & fine careat: id vero ſit neceſſario ſimplex, nec ullis partibus compoſitum, nec diſſolvi & interire queat; ſequitur Deum eſſe Ens ſimplex, adeoque non materiale, aut corporeum.

39. Si Anima hominis aliter inſtituit ſuas operationes in corpore infantis, aliter in adulto; ſi aliter in corpore firmo ac ſano, aliter infirmo; non hoc inde fit, quod Anima cum Corpore idem eſt; ſed quod unio arctiſſima ſit inter animam & corpus, nec anima aliter agere debeat, quam prouti conditioni corporis convenit.

40. Sunt qui Deum eſſe concedunt, negant autem *Providentiam.* Horum Hypotheſis nec ratione fundamenti, nec ſequelarum melior eſt Atheiſmo. Deum enim ſtatuit in Mundo prorſus otioſum, qui nec aliorum Entium curam habeat, nec requirat, ut alia Entia ipſum curent.

41. Omnia, quæ ſunt, aut *neceſſitati* abſolutæ, aut *caſui* adtribuunt. Illud rerum

omnium contingentiæ, hoc ſapienti nexui & ad ſuos fines adaptationi contrarium eſt. Ergo neutrum admitti poteſt.

42. Immo vero, qui negat Dei Providentiam, ille omnia, quæ eveniunt, mero caſui attribuit, quia nihil hic ſapiente quodam conſilio agitur. Idem ſimul omnia neceſſitati tribuit, quoniam negans Providentiam, non poteſt admittere Mundi Creationem, per conſequens Mundum neceſſario talem exſiſtere ſtatuit, qualis eſt. Hæc autem ſunt contradictoria; caſus & neceſſitas. Habet ergo hæc Hypotheſis in ſe contradictionem, per conſ. falſa eſt.

43. Providentiam vero eſſe, quæ omnia conſervet ac gubernet, probatum eſt *Dogmat.* Sect. I. §. 77. & ſeq.

44. Objiciunt contra illum actum Providentiæ divinæ quo credimus omnia *conſervari*; quod tali conſervatione haud opus ſit, eo quod per ſe unaquæque res in eo ſtatu permaneat, in quo eſt, donec ab alia aut mutetur aut deſtruatur.

45. Sed ita ſupponitur, ea quæ ſunt, eſſe independentia, & neceſſariam habere exſiſtentiam, cum tamen ſint contingentia, & a Deo producta. Eſt enim nexus indiſſolubilis inter Creationem & Conſervationem. Vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 77-79.

46. Nec DEVS dedit Entibus Creatis Exiſtentiam neceſſariam & independentem, quoniam hoc eſſet contradictorium, atque ſic fierent Creaturæ non Creaturæ.

47. Ita nec Natura per ſe ſubſiſtere poteſt. Illa enim nihil aliud eſt, quam diſpoſitio Entium naturalium, cum illis Legibus, aut regulis motuum, quibus aguntur. Hæc vero omnia ſunt a Deo Creatore; ideoque ab ipſo ſemper pendent.

48. Objiciunt 2. *Multa fieri caſu fortuito.* Reſpondemus: Nobis ita videri, quia non videmus cauſas & nexum rerum. Apud Deum aliter res ſe habet. Omnia ille dirigit, quia omnia certo nexu diſpoſuit, ac in eo conſervat.

49. Objiciunt 3. *Libertatem hominum* nullam eſſe, ſi omnia divinæ Providentiæ ſubjiciantur. Reſpondemus: Deum ita gubernare omnia prout Naturæ, illorum conſentaneum eſt. Itaque & illorum Entium, quæ ſunt libera, Naturam per Providentiam non deſtruit, nec in illa per vim phyſicam, ſed per media moralia agit.

50. Objiciunt 4. Multa eſſe in Mundo *inutilia*, immo *noxia.* Reſpondemus: Omnia habere ſuum uſum, etiam ea, quæ nocent. Nam quod uni videtur inutile, aut noxium eſſe, id aliis prodeſt. Nimis etiam anguſta eſt noſtra de rebus naturalibus cognitio, quam ut de omnibus judicare valeamus.

51. Objiciunt 5, Non convenire ſapienti rerum gubernationi, ut *Bonis male*, & *Malis bene* ſit, quod tamen ſæpe in Mundo contingat. Reſpondemus: Si rectius noſſemus judicare de Bonis & Malis hominibus, aut de

de bonis & malis eventibus, áliter ſentiremus. Multorum enim de his perverſa eſſe judicia conſtat.

52. Præterea ipſa illa, quæ ſunt, aut videntur bona aut mala eſſe, nonnunquam contrarios habent effectus, ut illi qui bonis male utuntur, potius miſeri, quam beati reddantur; alii, quos premunt mala, magis ad virtutem ac beatitudinem veram per ea ducantur.

53. Objiciunt 6. & præcipue; *Malum morale*, ſeu *Peccatum*, quo Mundus plenus eſt, non conſiſtere cum Providentia Dei. At e contrario conſtat, peccata hominum divinæ Providentiæ innumeram præbere materiam, Perfectiones ſuas demonſtrandi, qualis eſt Sapientia, Bonitas, Juſtitia, & aliæ.

54. Si modum non cognoſcamus, quo Providentia Dei circa peccata verſatur, non inde ſequitur, eam non eſſe, aut circa ea nihil agere. Nam propter id, quod in aliqua re obſcurum eſt, haud debet negari id, quod clarum eſt.

55. Deus certe *mali Auctor non eſt*, nec illud vult aut probat, ſed vetat Legibus. Interim hominem creavit *liberum*. Abuſum libertatis phyſice impedire noluit, quia nec debuit, nec potuit, niſi vellet hominis naturam deſtruere, ac libertatem adimere.

56. Ens ſapientiſſimum ad ſuum finem conſequendum convenientiſſima eligit media. Cum ergo Deus permittat malum, colligitur,

ligitur, etiam hoc inter media illa eſſe, quibus finem ſuum, id eſt, *Gloriam* ſuam conſequatur. Mirum adeo non eſt, nec perfectionibus divinis contrarium, quod illud permittat.

57. Ad *Gloriæ* divinæ manifeſtationem non minus opus erat Creaturis intelligentibus, quam Ratione deſtitutis. Hæ enim ſolæ poſſunt actiones morales edere, ſicque Virtuti ſtudere, Creatoremque colere. Intelligentia vero etiam Voluntatem, Voluntas Libertatem, Libertas Mali moralis permiſſionem infert.

58. Perfectio illa, qua gaudent nunc, qui dicuntur *Sancti Angeli*, non eſt ex Privilegio Creationis. Nam & illi Libertate abuti potuerunt, ſicut & eorum quidam lapſi ſunt: *Theol. Dogmat.* Sect. I. §. 352, 353. Quod ergo nunc ceteri in Bonitate ita ſunt confirmati, ut libere quidem, ſed abſque peccati periculo, Deum colant, id ex acceſſione eſt, quod Deus illos hoc præmio adfecit, ob conſtantiam per omne tempus probationis præſtitam; quemadmodum & homo poſt hanc Vitam idem accipiet præmium, ſi in hac Deo obediverit.

59. Solent etiam *Athei* maxime repugnare Obligationi, quæ homini incumbit, Legem quandam Dei obſervandi. Hinc maxime negant *differentiam boni & mali moralis.* Hanc vero probatam vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 108. & ſeq.

60. Ob-

60. Objiciunt 1. a *Bonitate*, quam Deo tribuimus, alienum eſſe, ut hominem ad certas actiones edendas, aliasque omittendas obliget. Sed id verum non eſt. Nam Actiones quædam ad hominis beatitudinem promovendam natura ſua faciunt, aliæ eandem impediunt. Sic Bonitas Dei potius requirebat, ut Deus homini per Legem hanc Actionum differentiam manifeſtaret.

61. Ex eo autem, quod noſtram per Virtutem promoveamus felicitatem, non ſequitur, hanc unicam eſſe debere rationem, quæ nos ad illam impellat. Nam ipſa illa noſtra a Deo, ut Creatore, dependentia vinculum iſtud obligationis ſtringit; connexio vero ejus cum hominis felicitate eo faciliorem ac dulciorem facit nobis obedientiam.

62. Objiciunt 2. nihil eſſe Natura honeſtum aut turpe, quia tot ſint diverſæ Populorum de his opiniones. At non aliunde, quam ab hominum ignorantia pravisque adfectibus eſt, quod multi Juſti & Injuſti principia haud curent, aut ad conſequentias inde ducendas non attendant.

63. Nec Educatio, nec Leges humanæ, nec Pacta conſtituunt prima principia, & cauſſas moralitatis. Nam ſi hæc non eſſent omnibus illis Hominum inſtitutis priora, tum hæc neque ipſa eſſent firma, nec ullam ad homines obligandos vim haberent.

64. Ut enim una bona, altera mala ſit Educatio, oportet, ut quædam actiones bonæ,

næ, aliæ malæ habeantur. Ut Leges humanæ obligent, oportet ut Superioribus parere teneamur. Ut valeant Pacta, neceſſe eſt, injuſtum eſſe, ea violare.

Theologiæ Polemicæ Cap. II. ejuſque Sectio I. *de Paganiſmo.*

1. *Pagani*, aut *Gentiles*, atque *Ethnici* dicuntur illi, qui plures opinantur eſſe Deos, & quorum Religio in plurium Cultu conſiſtit. Quamvis enim ſapientiores unum ſummum exiſtimaverint Deum, tamen alios quoque inferiores Deos cum vulgo coluerunt, & colendos eſſe docuerunt.

2. *Paganiſmus* non tam ex vulgi opinione ac praxi, quam ex Philoſophorum placitis æſtimandus eſt. Nec tantum reſpiciendum ad veteres, ſed & ad eos, qui nunc ſunt in Sina & Indiis Gentiles.

3. Hi quamvis in multis rebus diſcrepent, in eo tamen conveniunt, ut vera de DEO notione careant, & *Idola*, ſeu alia Entia colant; eaque propter dicuntur *Idololatræ*, eorumque Cultus *Idololatria*.

4. Sunt quidem in Philoſophorum paganorum Scriptis non pauca vere dicta, quæ nonnulli collegerunt in unum Corpus. Sed hæc non conſtituunt integrum Syſtema Theologiæ Naturalis, & quæ vera ſunt, multis dubiis & erroribus involuta reperiuntur. Itaque *Theologia Gentilis* non eſt eadem, quæ *Naturalis*.

5. Ortus

5. Ortus Paganiſmus ex corruptione Luminis naturalis, & ex neglectu vetuſtiſſimæ traditionis. Per priorem pleraque Religionis Naturalis capita. per alterum primæ Revelationis divinæ veſtigia paullatim abolita ſunt.

6. DEVS enim antiquiſſimis ſ. primis hominibus varia revelaverat, unde ipſum ſolum eſſe colendum intelligere poterant. Ea hi ad Poſteros propagarunt, qui illis aliquandiu inhæſerunt, poſtea vero ad errores delapſi veritatis cognitionem neglexerunt. Docent hoc Sacræ Hiſtoriæ, de quibus nullum eſt dubium.

7. Primum ergo homines aberrarunt a vero objecto Cultus divini, *unico illo Numine*, quod eſt prima omnium rerum cauſſa; & ad eas res deflexerunt, quæ a Numine productæ ſunt. Nonnulli Mundo aliquam Animam ſ. Spiritum tribuerunt, a quo agitaretur. Alii ſingulis Corporibus intelligentias adjunxerunt, ut Soli aut aliis Sideribus. Poſtmodum & homines defuncti pro Diis habiti, ſi illuſtribus factis famam adepti erant. Hinc eorum Statuæ erectæ & adoratæ. Nonnulli & Animalia quædam ac Plantas, ut Numinum Symbola, coluerunt.

8. Plerique tamen in hoc conſenſerunt, eſſe *unum* aliquod ſummum Numen; cetera inferiora ac veluti *Dæmonas*, alios bonos, alios malos; Ab iſtis partes hujus Mundi adminiſtrari. His igitur Cultum quoque religioſum deberi.

9. Sed

9. Sed & hæc multorum, imprimis in Oriente opinio fuit, *duo* eſſe ſumma Entia, quorum alterum bonum, alterum malum ſit: His miniſtrare Intelligentias inferiores, bonas aut malas, indeque ortam iſtam, quæ in Mundo obſervatur, Bonorum & Malorum congeriem.

10. His refutandis inſervit 1. quod *Dogmat.* Sect. I. §. 58-61. de *Unitate Dei* dictum fuit. 2. Adduntur ſpecialia, de *duobus* Principiis ſibi repugnantibus, quæ opinio contradictionem involuit.

11. Contra *Dæmonum* ſeu Geniorum cultum obſervandum, bonos nunquam approbaturos eum Cultum, qui a ſummo Numine ablatus ipſis tribuatur; malos vero dignos non eſſe, qui pro Numinibus colantur.
Vid. Grot. V. R. C. L. IV. §. 2. 3.

12. Cetera Entia, ut Solem, Sidera, Animantia, Plantas, Statuas, intelligentia carere; eoque nec percipere Cultum hominum; & hominibus, a quibus coluntur, inferiora eſſe dicimus.

13. Homines autem defunctos in Deorum numerum referre longe abſurdiſſimum eſt, cum ſæpe fuerint vitiis æque ac virtutibus illuſtres, ac, ſi fuiſſent boni, nunquam illis placuiſſet, ut vel ipſi vel alii divinis honoribus adficerentur.

14. Reperiuntur etiam aliquando pro Numinibus culta ea, quæ non ſubſtantiæ, ſed mera accidentia fuerunt, ut *Honor* & *Virtus*;

immo & mala quædam, ut *Pavor* & *Febris*. Horum numinum vanitas nulla eget demonſtratione.

15. Ut autem facilius intelligatur, quomodo talium rerum Cultus in Animos hominum intrare potuerit, obſervandum eſt; Aſtutos homines, ut populum rudem pro lubitu ad quælibet ducerent, ejuſcemodi quædam Numina finxiſſe, ut eorum aut Venerationem aut metum augerent. Imprimis autem per Virorum Principum & Clarorum Confecrationem, ipſos Principes ac Civitatum præſides auguſtiores facere voluerunt.

16. Corruptioni huic magis etiam inſerviebant *Poëtæ*, qui ingenioſa ſua figmenta, fabulasque ſine fine excogitaverunt, quibus vulgo homines, tanquam veris narrationibus, fidem habebant nec ad hoc ſatis attendebant, quam turpe eſſet Diis talia tribuere, quæ nec inter komines reprehenſione carerent.

17 Cum hoc vero *Polytheiſmi* errore alii etiam connexi fuerunt. Sed Gentilium alii alios admiſerunt. Sic Mundum a Deo *creatum* alii credebant, alii negabant. Horum nonnulli æternum, alii caſu ortum opinabantur. De his erroribus jam ſuis locis actum.

18. Sic & de *Providentia*, alii eam eſſe, alii non eſſe ſtatuebant. Hi vel *caſu* omnia ferri, vel neceſſitate inevitabili ſ. *Fato* exiſtimabant. Utrique iis refutantur, quibus Dei probatur Providentia.

19. *Re-*

19. *Religio Gentilium* non eſt *Religio Naturalis* §. 4. Hæc enim Deum cognoſcere & colere docet, quomodo Rationi conſentaneum eſt. Illa vero Rationi eſt contraria. Interim homo ſibi relictus, pravis adfectibus atque præjudiciis invaleſcentibus, in eam delapſus eſt, nec unquam ad Religionis Naturalis puritatem rediiſſet, niſi Lumen Revelationis acceſſiſſet.

20. Nec ullum ſane invenimus Populum, cujus Religio pura fuerit, ut veritatibus natura notis haud admiſceret plurima errorum genera.

21. Hinc Cultus depravatus naſcebatur, quoniam ejus quidem neceſſitatem cognoſcebant, modum vero non alium poterant excogitare, quam qui Numinibus eorum eſſet accommodatus, & magna ex parte a corrupta Traditione de Veterum Religione primitiva deductus.

22. Argumentum 1. quo Paganiſmus defenditur, eſt, quod in illis Religionibus ſuis Gentes multa & longa rerum proſperitate uſi fuerint, unde ſit colligendum, eas Diis haud diſplicuiſſe, atque eos propterea proſperam ipſis fortunam conceſſiſſe. Sic Romani *Jovem* ſui Imperii Cuſtodem eſſe credebant.

23. Reſpondemus: Inter proſperos eventus, multos illi etiam habuerunt adverſos; quare ex illa externa rerum quarundam adfluentia haud eſt colligendum, eam Religionem veram eſſe. Non enim his rebus, ſed ipſa

Rationis demonſtratione, veritas Religionis colligitur.

24. Addenda eſt diverſitas, immo contrarietas harum Religionum, quarum Cultores aliquando felices exſtiterunt. Si id eſſet argumentum veritatis, ſequeretur, diverſas & contrarias Religiones veras eſſe; quod tamen fieri non poteſt.

25. Argumentum 2. petunt ex *Oraculis*, quæ inter eos floruerunt; & *Miraculis*, quæ facta fuiſſe dicunt. His opinantur, vera eorum Numina eſſe, probari.

26. At quid de his ſentiendum, varii quidem varie diſputant. Alii enim de *factis* dubitant, ubi nimirum aliquid majus, aut difficilius occurrit; neque injuria Nam talia ſufficientibus Teſtimoniis confirmata non ſunt. Alii ea fraudibus *Hominum*, alii Artibus *Dæmonum* tribuunt. Utroque tollitur illorum divina origo, nec veritas Religionis ullo modo probatur.

27. Argumento 3. hoc utuntur Gentiles: ſuam Religionem *antiquiſſimam*, & a Majoribus acceptam eſſe. At Antiquitas iſta non eſt argumentum veritatis. Si enim ad omnium rerum originem per Hiſtorias adſcendatur, videbimus veram de uno Deo ſententiam, & Religionis cum Naturalis tum Revelatæ principia longe antiquiora, ipſam quoque Rationem antiquiſſimam eſſe, quippe cum hominibus natam. Ea autem docet, religiones Gentilium nihil eſſe, niſi ſuperſtitiones.

28. Hinc,

28. Hinc, ſi qui Gentilium convertendi eſſent, iis primo Naturalem Religionem, prout a recta Ratione traditur; deinde Revelationis divinæ Antiquitas & Veritas, ejusdemque Neceſſitas, demonſtranda, prout iſtud *Dogmatic.* Sect. I. Cap. VI. & VII. factum, ac deinceps ad Scripturam S. procedendum, de qua Cap. VIII.

29. Inter *obſtacula*, Converſionem Gentilium impedientia, eſt 1. *Principum*, ac poſt eos *Sacerdotum* potentia, qua illæ ſuperſtitiones firmantur, & Evangelii præconium cohibetur. Videmus enim ex Hiſtoria, confeſtim concidiſſe Paganiſmum, poſtquam Principes eum tueri deſierunt. *Conſtantino* a ſacris Gentilium ad Chriſtiana tranſeunte Gentilismus collapſus; *Juliano* vero ad illa redeunte reſtauratus eſt.

30. Obſtaculum 2. eſt, quod Chriſtiani plerique inter Gentiles peſſime vivunt, atque adeo illis horribile dant *ſcandalum*. Qui enim Doctrinæ Evangelicæ ſunt ignari, non poſſunt eam veram credere Religionem, cujus Cultores ac Præcones nonniſi Avaritiæ & Libidinibus ſervire vident.

31. Quemadmodum vero perverſa eorum eſt Methodus, qui Gentiles a Cultibus ſuis, quibus falſos Deos honorant, ad Cultum eorum, qui dum viverent, vel fuerunt, vel poſt fata habiti ſunt *Sancti*, traducunt, atque ſic uni generi Idololatriæ alterum ſubſtituunt; ita & illi inſipienter agunt, qui poſthabita

ſolida veritatis primum ex Ratione, dein ex S. Scriptura demonſtratione, ad *Enthuſiaſmum* eos propellunt.

32. Neque illi etiam probandi, qui ſola *Naturali Religione* contenti, de Revelata ſolliciti non ſunt, nec putant ad *Myſteria* inculcanda procedendum. Hi enim non Chriſtianam Religionem promovent; ſed ſolummodo Paganiſmum ex impuro reddere conantur puriorem; in quo tamen haud eſt ſubſiſtendum, ob ea, quæ *Dogm.* Sect. I. C. IV. de Neceſſitate divinæ Revelationis dicta ſunt.

Theologiæ Polemicæ Cap. II. Sect. II. de *Deiſmo* ſeu *Naturaliſmo*.

1. *Deiſmus* ſ. *Naturaliſmus* appellatur eorum opinio, qui ſolam Religionem Naturalem veram eſſe, ac homini ad felicitatem ſufficere arbitrantur. Hæc enim duo nunc conjungimus. Nam alio ſenſu *Deiſtæ* dicuntur omnes illi, qui *Athei* non ſunt. Item illi a quibusdam ſic ſunt vocati, qui Deum eſſe concedentes negant ejus Providentiam, aut aliquem Cultum Deo præſtandum eſſe.

2. Per *Religionem Naturalem* eas intelligunt de DEO cognoſcendo & colendo ſententias, quæ ipſis per Rationem ſolam dictari videntur. Cum autem alius alio rectius Ratione utatur, hinc alii plures, alii pauciores ejuscemodi ſententias tanquam veras admittunt.

3. Omnes

3. Omnes negant in Religione dari *Myſteria*. Eſt enim Myſterium ejuſmodi Religionis doctrina, quæ Ratione non cognoſcitur. Quia autem ſolas illas de Deo & Rebus divinis ſententias admittunt *Deiſtæ*, quæ Ratione cognoſcuntur, hinc mirum non eſt, eos Myſteria in Religione non admittere.

4. Cumque credant ſolam Religionem Naturalem ad Salutem ſufficere, negant *Revelationis* divinæ Neceſſitatem, per quam Religioni Nat. aliquid addi, vel ea ad majorem perfectionem adduci debeat.

5. De *S. Scriptura* haud uno modo ſentiunt. Sunt, qui vocantur *Deiſtæ craſſiores*, qui omnem S. Script. rejiciunt, ejuſque divinam *Inſpirationem* negant. Omne ergo iſtud negotium, quod in ea conſcribenda geſtum eſt, fraudibus piis, aut impoſturis improbis accenſent, prout vel modeſtiores, vel minus ſunt modeſti.

6. Alii vero, quos *ſubtiliores Deiſtas* dicunt, S. Scripturam haud prorſus ſpernunt; divinitus eam traditam, ſed nihil niſi Religionis Nat. reſtaurationem quandam, ac declarationem, immo & confirmationem eſſe ſtatuunt. Hinc omnia ejus dicta ad Religionis Normam ac Modum accipienda eſſe docent. Horum Refutatio ad ſingulorum S. Theologiæ Capitum ſpecialem tractationem pertinet.

Huc pertinet imprimis Joh. Tolandi, Angli, Chriſtianiſmus Myſterii expers. Lond. 1697. & 1702. 8vo.

7. Hoc loco cum iis ſolis nobis res eſt, qui generales illas de Revelatæ Religionis Neceſſi-

ceſſitate, & de S. Scripturæ Inſpiratione divina, veritates negant, & impugnant. Quia *Miracula* & *Prophetia*, tanquam argumenta externa divinæ Revelationis allegantur, hinc utrumque negant; Miracula nunquam facta, Prophetias ab imaginatione hominum profectas credunt.

8. *Naturaliſtæ* aut *Deiſtæ* omni tempore aliqui fuerunt. Sed iſtud nomen primum Sæculo XVI. poſt C. N. auditum eſt. Deinceps autem Sæculo XVII. ita vulgatum, ut velut Secta quædam hominum talium in Anglia naſceretur, ſuas opiniones Libris editis diffundens, ſed a plurimis diligentiſſime refutata; ut hoc quoque Chriſtianæ Religioni commodi iſtud malum attulerit, ut ejus Veritas in clariore, quam unquam antea, luce collocaretur.

9. Non tamen deſunt, qui hoc genus Incredulitatis ſequuntur. Nam & noſtris temporibus præter Angliam, aliæ Chriſtiani Orbis partes hujuſmodi homines alunt, qui cum Deiſtis ſentiunt, & id quod ſentiunt proferre in lucem ac Scriptis defendere haud verentur.

10. Unde & neceſſitas hujus Partis Theologiæ Polemicæ emergit, quæ *Veritatem Religionis Revelatæ* in univerſum propugnat. Nihil enim juvat de ſingulis Dogmatibus, & Veritatibus particularibus diſputare, niſi prius univerſæ Revelationis veritas in tuto collocata ſit.

11. Pri-

11. Primum Deiſtarum Aſſertum, quod refutari debet, eſt: *Religionem Naturalem tam perfectam eſſe, ut ad beatitudinem hominis ſufficiat.* Contrarium conſtat ex *Dogmat.* Sect. I, C. VI. ubi neceſſitas divinæ Revelationis probata eſt ex hominis mutato Statu, dum ſcil. non amplius ſolum ut homo, ſed ut Peccator conſiderari debet.

Vid. & Fund. Theol. C. XV.

12. Peccata enim ab hominibus in DEVM commiſſa *expiatione* opus habent, nec ſine ea poſſunt homines Deum habere propitium. Quicunque autem Beatitudinem deſiderat, a DEO eam, non aliunde, exſpectare poteſt. Ad id opus eſt, ut eum ſibi habeat faventem. Itaque cum peccatis offenderit, oportet ut ei *ſatisfiat.*

13. Quænam ſit hæc *Satisfactio*, an in promptu ſit, a quo & quomodo præſtetur, non aliunde, quam ex DEI ipſius Revelatione cognoſci poſſe exiſtimamus. Quæcunque enim Remedia peccatorum Ratio ſuppeditet, eorum facile imperfectio intelligitur.

14. *Deiſtæ* dicunt, *pœnitentiam* eſſe illud medium Deum placandi: illam conſiſtere in ſenſu iræ divinæ, & in dolore de peccatis. Nos haud negamus, talem Pœnitentiam eſſe neceſſariam. Sed eam ſufficere ad Deum placandum, hoc eſt, quod infitiamur.

15. Benignitatis divinæ ſumma quidem eſt amplitudo. Non tamen ex ea DEVS id faciet, quod eſt Sapientiæ, adeoque Juſtitiæ & Sancti-

Sanctitati ejus, contrarium. Vid. *Dogmat.* Sect. 1. §. 72-76.

16. Per *Pœnitentiam* culpa commiſſa, & reatus peccatis contractus haud aboletur, nec defectus Obedientiæ, quæ Deo debetur, ſuppleri poteſt. Nulla enim ratione conſtat, Deum eam ad eluendam culpam accipere velle. Et ſi ſequatur vitæ emendatio, nihil aliud præſtatur, quam obedientia Deo debita, nec ante facta poſſunt infecta reddi.

Si quis æs alienum contrahat, nec ſolvat; num Creditori ſatisfactum erit, ſi pœniteat Debitorem delicti, nec plus æris alieni in poſterum contrahat? Num Judici ſatisfiet, ſi Maleficum facti pœnituerit, isque promiſerit, ſe nihil tale deinceps facturum?

17. At dicunt Deiſtæ, ipſam, quam dicimus, S. Scripturam nihil a Peccatore exigere præter *Pœnitentiam.* Reſpondemus; in S. Scriptura non ſolam requiri *Pœnitentiam*, ſed *Reſipiſcentiam*, quæ præter pœnitentiam alia quoque complectitur, in quibus & *Fides* eſt, quæ Redemtorem reſpicit. Id docebit *Theol. Practica* Cap. XV.

18. Pergunt, & ita argumentantur; ſi homo Lumen Naturæ ſequitur, non poſſe plus ab eo requiri, & Revelationem non eſſe neceſſariam. Reſpondemus; DEVS nihil ab ullo homine requirit, niſi quod jure ab illo requiri poteſt: Ab aliis plura, ab aliis pauciora, prout plus aut minus illis datum fuerit. Ubi autem eſt

ille,

ille, qui Legem Naturæ, ſeu officia Religionis Naturalis impleverit?

19. Non ideo Revelatam Religionem dicimus neceſſariam, quia Naturalis ſit imperfecta; ſed quia Status hominis per Peccatum mutatus eſt, nec talis ille nunc eſt, qualis primum a Deo conditus fuerat. Itaque & Remedium pro Peccato patefaciendum erat, & corruptioni Luminis Nat. univerſali, quæ per depravationem hominum invaluerat, occurrendum.

20. Quod dicunt *Deiſtæ*, nullam Religionem poſſe Naturali eſſe *perfectiorem*; id in hoc Statu, in quo ſunt homines, negamus. Religioni Nat. deeſt Medium peccata expiandi, deeſt quoque ſufficiens efficacia, ad homines in Dei Cognitione & Cultu retinendos. Utrumque habet Revelata, ut alias prærogativas ejus præ Naturali nunc taceamus.

21. Aliud Deiſtarum argumentum eſt: Eam eſſe veram Religionem, quæ ab omnibus hominibus omni tempore cognoſci potuerit. Talem eſſe Naturalem, quæ ſolo Lumine *Rationis* cognoſcatur. Reſpondemus: Revelatam Religionem non minus ab omnibus cognoſci potuiſſe, ſi modo ad primam illam Revelationem attendiſſent, quæ primis hominibus data, & ab illis per traditionem propagata fuit. Quod eam deinde neglexerunt poſteri, eorum culpæ imputandum.

22. Cum porro experientia conſtet, ipſum quoque Lumen Naturæ paullatim ab omnibus

bus neglectum, ut ne una quidem Gens fuerit, quæ Religionem puram tenuerit; haud ſane inde ſequitur, DEVM ſaluti hominum haud ſatis proſpexiſſe. Quod vero is nonnullis Revelationem uberiorem concedere voluerit, ex peculiari beneficentia factum eſt, non ex debito.

23. Inſtant Deiſtæ; ſic Deum *arbitrario* modo agere, & uni parti humani generis magis favere, quam alteri. Nos vero, quamvis arbitrarium, ſeu ratione deſtitutum agendi modum haud tribuamus Deo, ob ſummam ejus Sapientiam; non tamen exiſtimamus iniquum, ſi ille inter homines uni parti tribuat beneficium, quo alii carent, cum id nulli debeat.

24. Addimus & hoc; quod aliis quoque Gentibus liberum ſit,ſi modo velint induſtriam adhibere, ejuſdem divinæ Revelationis notitiam ſibi parare. Non latet illa in angulo occulta, ſed palam propoſita eſt; nec ulli ejus cognoſcendi facultas negatur: Immo vero offertur potius, & variis temporibus jam ante aliis quoque Gentibus oblata eſt. Qui non receperunt, ſeipſos incuſent, non DEVM.

25. Contendunt Deiſtæ; nec *Officia* ulla, nec *Dogmata* ad Salutem neceſſaria, Naturali Religioni addi poſſe. Reſpondemus; omnino addi poſſe ea, quæ ex Relatione peccatoris ad Deum, ut Redemptorem reſultant. Hæc enim Ratio ignorat. Porro & ipſa illa Officia, illasque Veritates, quas Religio

Nat.

Nat. continet, magis illuſtrat & confirmat Revelata, earumque corruptiones emendat. His ergo nominibus omnino eſt neceſſaria.

26. Tandem & ex ipſa *S. Scriptura* contra Revelationis neceſſitatem argumentantur Deiſtæ. Dicunt eam docere, quod homines propter opera charitatis ſalventur, & ob eorum omiſſionem damnentur, Matth. XXV. 34. ſ. Reſpondemus: Docere S. Scripturam, homines per Fidem in Chriſtum ſalvari, Marci XVI. 16. Opera vero Charitatis eſſe fructus & effectus fidei, Gal. V. 6. Hanc ergo ob cauſſam Opera in Judicio Dei commemorantur, quia ſunt indicia Fidei.

27. Utuntur Deiſtæ illo quoque dicto Petri, Act. X. 34, 35. indeque probare ſtudent, poſſe homines, etiam Chriſtum & Evangelium ignorantes, Deum timere, eique placere. Ad id reſpondemus: Petrum iis verbis nihil aliud indicare voluiſſe, niſi diſcrimen inter Judæos & inter Gentiles Deum jam ſuſtuliſſe, ac eos quoque ex Gentilibus Revelationis Lumine illuſtrare conſtituiſſe; qui ſalutis adipiſcendæ cupidi ſint, ac pro menſura Luminis naturalis eum colant.

28. Niſi enim Revelatio fuiſſet neceſſaria, non miſiſſet Deus Angelum, qui *Cornelio* indicaret, accerſendum eſſe *Petrum*; nec hunc monuiſſet, ut, quamvis Judæus, non duceret tamen ſibi Religioni, ad Gentilem ſe conferre, illique Evangelium prædicare.

29. Nec etiam Religio ejus Viri in hoc ſubſti-

ſubſtitiſſe videtur, ut Deum coleret, ac Charitatis opera exerceret; ſed probabile eſt, eum ſic Deum ſibi propitium reddere ſtuduiſſe, ut & plura quæ eſſent ad viam ſalutis inveniendam neceſſaria cuperet ſibi indicari; eorumque cognoſcendorum deſiderium ad Deum per preces detulerit.

30. Alterum Deiſtarum aſſertum ex priore §. 11. ſequitur: Scripturam, quam vocamus *Sacram, non continere divinam Revelationem.* Sunt itaque *Antiſcripturarii*, quicunque ſunt Naturaliſtæ. Adverſus hoc aſſertum diſputari debet ex iis, quæ *Dogmat.* Sect. I. §. 166. ſ. demonſtrata ſunt.

31. Characteres divinos ibi commemoratos aut non convenire illi Religioni, quæ in his Libris Sacris continetur, dicent Deiſtæ; aut alios requirent divinæ Revelationis Characteres. Quid ergo in utroque genere requirant, ex eorum argumentis cognoſcemus.

32. *Poſſe* Deum voluntatem ſuam hominibus variis modis patefacere, demonſtratum eſt, loc. cit. §. 162, 163. Quod autem poſtulant Deiſtæ, ut ille, qui Oraculum percepit, certo ſciat, id a DEO profectum eſſe, neque vel ab aliquo Genio, vel ab ipſa Hominis Phantaſia proceſſiſſe; id quidem haud iniquum eſt. Sed in illa Revelatione, quam S. Scriptura exhibet, omnino reperitur, quicquid juſte deſiderari poteſt.

33. Non a Genio quodam malo, nec a pro-

propria Phantaſia, ea ſibi ſuggeſta eſſe, quæ de divinis Revelationibus ſcribunt, facile ſcire potuerunt Prophetæ & Apoſtoli, ſi compararent res ſibi revelatas cum modo, quo revelatæ fuerunt. Nec dubium eſt, quin eam comparationem, atque adeo id examen inſtituerint, cum alioqui haud ea cum certitudine loqui aut ſcribere potuiſſent, qua id fecerunt; nec tanta conſtantia omnia, etiam duriſſima, pati.

34 Eam vero Revelationem, quam ita a Deo accepiſſe perſuaſi erant ſancti Viri, fideliter & incorrupte Scriptis eorum conſervatam, ex illis conſtat, quæ de *Integritate* S. Scripturæ dicta ſunt *Dogmat.* Sect. I. §. 262. ſeq.

Graviſſimum hoc argumentum de *Integritate* S. Scripturæ multi ex noſtris ſolide tractarunt. His potiſſimum temporibus non jam Pontificios Solos in hoc argumento Adverſarios habemus, ſed alios in ipſo Proteſtantium Eccleſiæ ſinu viventes, qui Critica Arte atque diligentia vel ſua vel aliorum abutentes improbo gaudio exſultant, putantque collatione Codicum Manuſcriptorum, & immenſa variantium Lectionum multitudine coacervata, Textum originalem S. Scripturæ incertum ac, ut loquitur *Ant. Collinus* in Libr. de *Libertate Cogitandi*, omnino *precarium* reddi. Sed illius & ſimilium petulantiæ prorſus ſatisfecit inſignis ille Criticus, *Rich. Bentleius*, in Libr. quem inſcripſit: *Remarcks upon a late diſcours of free Thinking*, cujus quinta editio prodiit Lond. 1716. 8. Translatus quoque ille Liber in Gall. Ling. cum hac Inſcriptione: *La Friponnerie Laique des prétendus Eſprits forts d'Angleterre*, Amſt. 1738. 8. In eo Libro, Sect. XXXII. accurate demon-

demonſtratur; Collationem Codicum nihil detrahere Integritati N. T. quia illi, quamvis innumeris in locis diſcrepantes, in Religionis tamen eſſentia, id eſt, in Credendis & Agendis, conſentiant, ſicque Integritatem Textus Sacri potius confirment. Idem & de V. T. Textu hebræo eſt dicendum. Equidem *Dogmat.* § 265. adſerui: *Hebræorum Codicum conſenſum* talem eſſe, *ut, ſi manifeſta quædam Librariorum Sphalmata excipiamus, nihil hactenus deprehenſum ſit differentiæ, niſi in punctis quibusdam & accentibus* &c. Id omnino ita ſe habere certum eſt, ſi intelligatur de iis, quæ ſunt vel credenda vel facienda, ut ſalutem conſequamur. Nam de aliis, qualia ſunt hiſtorica, Chronologica, Genealogica, non diffitemur, haud paucas Lectionum Varietates paſſim obſervari. Certum interim etiam hoc eſt, pleroſque Criticos in iis colligendis modum excedere, dum & *Veterum Interpretum*, Samaritanorum, Græcorum, Latinorum, aliorum, errores, aut Codicum iſtorum Sphalmata; nec non *allegationes Patrum* non ex Libris, ſed memoria factas, ubi paullum diſcrepant, pro varia Lectione habent. Sed de his alibi agendum.

35. Putant vero Deiſtæ, *circulum* in ratiocinando committi, ſi, ut §. 33. indicatum, ex rerum revelatarum comparatione cum modo revelandi veritas S. Scripturæ, & vice verſa ex S. Scriptura veritas rerum revelatarum colligatur. Sed obſervandum eſt, in demonſtratione S. Scripturæ non ſupponi rerum in ea revelatarum veritatem; ſed tantum requiri, ut eæ ita ſint comparatæ, ut a Deo, & quidem non niſi a Deo, revelari potuerint, ſeu ut fuerint Deo dignæ.

36. Ob-

36. Objiciunt porro S. Scripturæ, in qua dicimus Revelationem divinam contineri, *obſcuritatem*. Sed nos reponimus e contrario ejus in rebus ad ſalutem neceſſariis *perſpicuitem*, de qua *Dogmat*. Sect. I. §. 283. Neque obſtat, Interpretum & Sectarum inter Chriſtianos in exponenda S Scriptura controverſias, & diverſitates multas eſſe. Hæ enim vel circa res minoris momenti verſantur, vel ex præjudiciis & pravis adfectibus potius oriuntur, quam ex ipſius Scripturæ vitio.

37. Objicitur etiam hoc divinæ Revelationi; ſi ei propter ſolam ejus auctoritatem credendum & obtemperandum eſſet, intellectus ſine argumentis ad aſſentiendum, voluntas ſine motivis ad agendum impelleretur: Hoc autem eſſe contra Naturam. Nos vero nequaquam id ſtatuimus. Nam ante omnia probatur Veritas & Divinitas S. Scripturæ. Deinde ratiocinium iſtud ſequitur: Quod in ea continetur, id verum eſt, & a Deo revelatum: Hæc autem doctrina in ea continetur.

38. Porro Increduli ita ratiocinantur: Si S. Scriptura ad *Rationis Normam* eſt examinanda, tum illa non habet auctoritatem divinæ Revelationis: Si non eſt, tum Religio, quam tradit, non convenit rationali Creaturæ. Nos vero dicimus: Rationem ſane eſſe inſtrumentum, quo cognoſcitur, quinam ſint divinæ Revelationis characteres, & num illi S. Scri-

pturæ competant: nec non, an id, quod iſta tradit, ſit Rationi contrarium, aut conforme: Non tamen S. Scripturæ credi ob Rationem, ſed ob Dei in ea loquentis auctoritatem, in iis potiſſimum, quæ ex ſola Revelatione cognoſci potuerunt.

39. A generalibus illis argumentis abeunt Deiſtæ ad ſpecialia, quibus probare ſtudent, *S. Scriptores & ipſos deceptos, & alios decepiſſe; Legibus Naturæ contraria vel præcipere vel laudare; contradicere ſibi ipſis.* Quæ vero ad ſingula reſponderi debeant, a ſanioribus Interpretibus dudum eſt traditum. Omnia enim ea ad dexteram S. Scripturæ Exegeſin redeunt, in qua Chriſtianos Doctores oportet exercitatos eſſe.

40. Nobis certum eſt, nihil eſſe in omni illa objectione veri. Sed quia pleraque longiorem diſcuſſionem requirunt, non poſſunt in hoc brevi Compendio exhiberi. Remittimus ergo ad Interpretes. Iſtud vero addimus: Si auctoritas S. Scripturæ argumentis generalibus ſatis fuerit probata, non moveri nos magnopere debere ejuſcemodi difficultatibus. Nihil enim aliud inde ſequitur, quam eſſe quædam nobis non ſat perſpicua.

Commentatoribus adjungimus *Stackhouſii* defenſionem Hiſtoriæ Biblicæ & Religionis ei ſuperſtructæ, quæ anglice ſcripta, & in german. Linguam translata, exhibet, quicquid fere Increduli in Hiſtoriis Sacris reprehendunt, cum Reſponſionibus.

41. Ter-

41. Tertium Deiſtarum Aſſertum *Prophetiis* atque *Miraculis*, quæ pro indubitatis divinæ originis argumentis habentur, oppoſitum eſt. *Prophetias* aiunt *aut hominum figmenta*, *aut virium naturalium*, *effectus* eſſe. *Miracula facta eſſe prorſus negant.*

42. Nos ante omnia remittimus ad *Dogmat.* Sect. I. §. 174-192. ubi noſtræ *Miraculorum* & *Prophetiarum* probationes continentur. Deinceps ad præcipua, quæ objiciuntur, reſpondebimus.

43. *Prophetias* nonnulli Incredulorum pro *virium naturalium effectibus* habent, quos quidam homines bono animo, & ex firma divinæ Revelationis ſibi factæ perſuaſione protulerint. Hos ſolos hic refutabimus. Qui enim Prophetias pro meris figmentis habent, ſatis per ipſam Prophetarum probitatem ac vitæ ſanctitatem refutantur.

44. Quamvis autem ſat planum ſit, imaginationis vim ad ea uſque pertingere non poſſe, quæ a Prophetis prædicta ſunt; duo tamen alia allegabimus, quæ illam opinionem abunde refellunt. 1. Eadem, quam diximus, probitas, cui & ſapientiam addimus, Prophetarum non patiebatur, ut hominibus in graviſſimo negotio verba darent, ac imaginationes ſuas pro divinis inſpirationibus venditarent. 2. Cum certiſſimi eventus Prophetias comprobarent, nulla ratione credi poteſt, eas fuiſſe meras imaginationis illuſiones.

45. Ait *Spinoſa*, & qui eum in hac parte ſequuntur, *Spiritum Dei*, per quem Prophetæ ſunt vaticinati, ſignificare imaginationem fortiorem & vividiorem. Sed id quidem falſiſſimum eſt. Nam S. Scriptores ipſum Deum eo nomine appellare ex eorum dictis ac ſcriptis manifeſtum eſt. Vid. 2 Sam. XXIII. 2. 3. 1 Cor. II. 9. 10. 2 Petr. I. 20. 21.

46. Nec ideo Prophetiæ ſunt imaginationis effecta, quia *parabolice* & *ænigmatice* prolatæ. Nam & multæ aliæ proprie expoſitæ fuerunt, & ænigmatum continent declarationem. Exempla paſſim obvia.

47. *Diverſa genera dicendi*, quibus Prophetiæ ſunt propoſitæ, ex diverſo Prophetarum temperamento, indole & conditione orta ſunt. Sed nihil hæc ad id probandum valent, quod Prophetiæ ſint effectus naturalis imaginationis. Nam divina Inſpiratio non tollit naturales facultates, ſed addit ſupernaturales.

48. *Miracula* in S. Scriptura commemorata Deiſtæ impugnant variis rationibus. Sunt qui dicant, *Miracula abſolute eſſe impoſſibilia*, quia Leges Naturæ ſint decreta Dei æterna & immutabilia. At iſti ludunt in verbo *decretorum*. Si enim per decreta intelligunt Leges, ſecundum quas a Deo conſtitutus eſt ordo Naturæ, negamus eas a Deo mutari non poſſe, quamvis a Natura non poſſint mutari. Non enim Deus has Leges ſibi, ſed Naturæ præſcripſit.

49. Alii

49. Alii aiunt, *Miracula non eſſe idonea argumenta veritatis doctrinæ;* 1. quia vera Miracula non poſſint diſtingui a præſtigiis, ſeu operationibus dæmonum. 2. Fuiſſe & alios homines, qui Miracula, aut Miraculis ſimilia fecerint; ipſumque Deum permittere, ut falſi Prophetæ talia perpetrent.

50. Sed reſpondemus ad 1. Vera Miracula omnino a falſis diſtingui poſſe, nec eo uſque præſtigias vel operationes ſeu hominum, ſeu dæmonum procedere opinamur, ut nulla earum differentia ab operibus divinis animadverti poſſit. Characteres veri Miraculi breviter indicati fuerunt *Dogmat.* Sect. I. §. 177-181. Vid. & *Werenſ.* Diſſ. de Mirac.

51. Ad 2. Reſpondemus; Verum non eſſe, alios quoque homines, ſive *Pythagoram*, ſive *Apollonium Tyanæum*, ſeu alios, Miracula feciſſe; quoniam ea, quæ de his narrantur, fide digna non ſunt. Quod autem DEUS permittat, ut *Pſeudoprophetæ* incautos decipiant; id non ita fit, ut ſi diligentiam adhiberent homines, non poſſent ea a veris miraculis diſtinguere. Sunt hæc τέρατα ψεύδους, 2 Theſſ. II. 9. quæ vel certitudinem hiſtoricam non habent, vel notas fallaciæ haud obſcuras præ ſe ferunt.

52. Objiciunt porro Increduli, Religionem veram ſuos habere *Characteres internos*, unde cognoſcatur vera eſſe, ideoque non opus eſſe, ut Miraculis confirmetur. Ex his prius

quidem verum eſt; ſed non ſequitur alterum. Religio Chriſtiana ſuæ veritatis Characteres internos habet. Nihilo ſecius Miraculis quoque, tanquam externo argumento, confirmata eſt.

53. De internis illis ſuo loco dictum. Externum vero *Miraculorum* argumentum ad hoc potiſſimum requirebatur, ut hominum mentes ad attentionem excitarentur, atque de extraordinaria eorum doctorum miſſione admonerentur, per quos illa allata fuit doctrina. Addi debet, quod ſic etiam illi potuerint ad Veritatis agnitionem perduci, quibus interni characteres veritatis non ſtatim perſpecti eſſe poterant.

54. *Hiſtoricam certitudinem* Miraculorum Moſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum adſtruximus *Theolog. Dogmat.* Sect. I. §. 182-188. Fruſtra ergo eam impugnant Increduli. Rationem hanc impugnandi adferunt; quod vel ipſi ſoli, vel eorum amici, ea narrent. Atqui in hac re etiam credendum talibus eſt teſtibus, quales fuerunt iſti. Neque ulla illis fuit mentiendi ratio, nullum præmium. Teſtimonium & alii confirmant partim Judæi partim Gentiles, & niſi vere facta eſſent hæc Miracula, ipſa Religionis Revelatæ primum a Judæis, deinde a Chriſtianis admiſſio Miraculi maximi loco habenda eſſet.

Vid. Grot. V. R. C. L. II. §. V. & VI.

55. Me-

55. Methodus ergo hæc eſt aptiſſima adverſus Deiſtas diſputandi; ſi primum Revelationis neceſſitas, deinde ejus veritas probetur, & ad eorum argumenta contraria reſpondeatur. Opus autem hic non eruditione modo theologica & hiſtorica, ſed etiam philoſophica, cujus ope potiſſimum Naturalismus propugnari ſolet.

56. Sed & alia eſt Methodus haud contemnenda, quæ omiſſa difficiliori de Neceſſitate divinæ Revelationis diſceptatione, ab ejus Poſſibilitate incipit, ac dein ad actualem Veritatem pergit. Nam ſi probatum fuerit, Revelationem divinam adeſſe, non neceſſaria videtur de Neceſſitate ejus Diſputatio; ſed potius cupide & grato cum animo hoc immenſum Dei beneficium erit amplectendum, quo & dubitationi de Veritatibus Religionis Nat. finis imponi, & aliis notitiis ſalutaribus homo inſtrui poteſt.

Theologiæ Polemicæ Cap. II. Sect. III. de *Mohammedaniſmo.*

1. *Mohammedaniſmus* illa eſt Religio, quæ *Mohammedem* habet pro Legato Dei, eumque credit eſſe ad hoc miſſum, ut veram Religionem, antiquitus inter homines introductam, ſed paulatim penitus corruptam, priſtinæ puritati reſtitueret, ac novis Legibus augeret.

2. Duo igitur hic momenta videntur obſervari debere: 1. quod vera Religio ab hominibus fuerit corrupta, 2. quod Deus *Mohammedem* ad hoc miſerit, ut eam reſtauraret. Prius quamvis de Gentilibus in totum, de Judæis & Chriſtianis ex parte verum fuerit, non tamen inde ſequitur alterum.

3. *Gentilium* Religionem ex corruptione Religionis Nat. & primævæ traditionis ortam obſervavimus Cap. 2. Sect. I. §. 5. *Judaica* autem cum vera fuerit Religio, olim per divinam Revelationem conſtituta, non niſi per Chriſtum a corruptionibus illatis purgata, & ad majorem perfectionem adducta fuit.

4. *Chriſtiana* non alio Reſtauratore opus habuit, cum & ipſa per hominum pravitatem tempore Mahomedis apud multos corruptiſſima eſſet; quam tali, qui eam ad Normam S. Scripturæ exigeret, atque reduceret ejus puritatem.

5. *Mohammed* vero novam potius proferre voluit Revelationem, quam ut illam antiquiorem accuratius inquireret. Atque adeo in hoc cum Chriſtianis conſentire videbatur, quod ad veræ Religionis inſtaurationem divina Revelatione opus eſſet.

6, Huc ergo redit *Summa erroris Mohammedani*, Mohammedem ad hoc a Deo delectum & miſſum, ut eam hominibus adferret. Hoc dogma connexum cum Summa Religionis iſtius, quæ eſt: *Unum eſſe DEUM*, & *Mohammedem Legatum Dei*.

7. Vixit

7. Vixit ille *Mohammed* poſt initia Sæculi VII. a C. N. Natus & Educatus inter Arabes idololatras, primum pauper, & Servus nobilis ac divitis Mulieris *Chadigæ*, mox dives & ejus maritus, qui hauſta aliqua Judaicæ & Chriſtianæ Religionis cognitione novam condere ſtatuit.

8. Primum ergo Uxori, deinde nonnullis aliis propinquis perſuaſit, ſe divina per *Angelum Gabrielem* Mandata accepiſſe. *Alcoranum*, ceu Librum, quo dogmata veræ Religionis continerentur, ope *Sergii*, Monachi Neſtoriani, quem Arabes *Bahira* vocant, & *Abdallæ* Judæi, compoſuit, ac paullatim ſuis tradidit, ut Cœlo delatum.

9. Cum vero eadem ſuis Civibus *Meccanis* perſuadere ſtuderet, principes ejus Civitatis hominem res novas molientem e medio tollere conſtituerunt. Ille periculum ſentiens *Medinam* cum ſuis auffugit, aliam Arabiæ Urbem, ubi plures mox reperit fautores. Hæcque eſt Mohammedaniſmi Epocha, quæ *Hegira* appellatur. Incidit in d. 16. Jul. 622. poſt C. N.

10. Aucto ibi Sectatorum numero, auctaque potentia, *exercitum* adverſus vicinos educere, & paullatim eos tum ſibi, tum ſuæ Religioni ſubjicere cœpit. Tandem aggreſſus eſt *Meccam*, eamque vi expugnavit. Dein reliqua Arabia ſubacta, fines Imperii Orientalis ingreſſus eſt. Sed morte præventus a. XI. Hegiræ, ſucceſſoribus *Chalifis* rem perficiendam reliquit.

11. Per hos ampliſſimum Imperium conſtitutum eſt, accedentibus, & Arma ſubminiſtrantibus pugnaciſſimis Nationibus, *Saracenis* & *Turcis*. Et quamvis illud Imperium deinceps divideretur, obortis quibuſdam factionibus; tamen Religio a plurimis Populis retenta eſt, ac hodiedum latiſſime per Aſiam, Europam & Africam diffunditur.

12. Tantis ſucceſſibus, permittente DEO, favebant tempora, quibus *Chriſtianiſmus* corruptiſſimus erat; Imperium Orientale *Sectis* laceratum, & Principum incuria neglectum. *Perſicum* regnum tyrannide & ſeditionibus fractum. Sic nihil reſiſtere poterat ingruenti potentiæ, & Religioni populorum pravæ Naturæ blandienti.

13. Articulis V. continetur *Fides*, quæ vocatur, *Iſlamitica*. Primus eſt de Deo & Mohammede Legato ejus. 2. de precibus & lotionibus. 3. de Eleemoſynis. 4. de peregrinatione Meccana, 5. de jejunio Menſis Ramadan. Hoc enim Menſe allatum ſibi ajebat *Alcoranum*.

14. Eſt *Alcoranus* Liber Arabice ſcriptus; CXIV. conſtat Capitibus, quæ *Suratæ* aut *Azoaræ* appellantur, & in verſiculos diviſæ ſunt. Aliæ *Meccanæ*, aliæ *Medinenſes* dicuntur, velut in iis locis *Mohammedi* divinitus oblatæ. Continent vera nonnulla de Deo & Religione, ſed plurimis permiſta falſis. In his ſunt *Leges*; quarum aliæ ex Veterum Arabum Gentiliſmo, aliæ ex

Ju-

Judaiſmo, aliæ ex corrupto Chriſtianiſmo depromtæ. Sunt porro *Hiſtoriæ* partim in S. Scriptura exſtantes, ſed hic multis modis corruptæ; partim Talmudicæ aut ſimiles fabulæ &c.

15. De hujus Libri *origine* hæc ſuis perſuaſit *Mohammed.* Eum ait ab æterno in Cœlis tabulæ immenſæ magnitudinis inſcriptum, poſtea ab Angelo *Gabriele* facto exemplo monſtratum *Mohammedi*, idque ſingulis annis ad mortem usque repetitum. Sic per partes deſcriptum ac traditum. Tandem vero illæ diverſæ partes *Alcorani* in unum collectæ, quod factum ab *Abubekero*, Mohammedis ſucceſſore.

16. *Deum* ſtatuit eſſe unum, eumque cum ſumma reverentia colendum, *Trinitatem* Perſonarum negat. Inter Prophetas refert *Moſen* & *Jeſum*, ſed *Mohammedem* utroque majorem; quapropter & *Alcoranum* Libris Moſis & Evangelio præſtantiorem. His alia complura adduntur, in quibus potiſſimum eſt ſolemnis peregrinatio *Meccana*, per certas Leges omnibus injuncta.

17. Interim *Alcorano* adjungunt etiam *Traditionem*, per quam varia dicunt Statuta ad ſe derivata Mohammedani. Huc pertinet *Circumciſio*, quam apud Arabes jam olim uſitatam retinuerunt omnes, quamvis univerſam illam traditionem, quæ *Sonna* dicitur, multi rejiciant.

18. Primaria cum *Mohammedanis* diſputatio

eſt

eſt de *Mohammedis* miſſione & prophetico munere, ac dein altera de *Alcorano*. De priore ſic ſtatuimus: Neminem, ut Prophetam, eſſe recipiendum, niſi ſuam a Deo factam miſſionem idoneis argumentis probet: *Mohammedem* vero talia argumenta non attuliſſe.

19. De *Alcorano* ſimiliter ratiocinamur, nullum Librum, nullamque doctrinam, pro divina Revelatione habendam, niſi habeat divinæ originis apertos Characteres. In *Alcorano* autem non deprehendimus tales, nec in doctrina, quæ in eo traditur. Quinam ſint iſti Characteres vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 166. & ſeq.

20. Mohammedani alia quædam allegant, quæ qualia ſint videbimus. Dicunt 1. *Alcoranum* ipſum eſſe argumentum divinæ miſſionis *Mohammedis*, cum ipſe fuerit litterarum expers. Sed *Alcoranus* non poteſt divinam originem habere, quoniam Hiſtorias corruptas exhibet, additque fabulas haud paucas: 2. quoniam Dogmata abſurda & a ratione aliena continet. Tale eſt, quod de *Paradiſo* ſcribitur, in quo Fideles remunerationem accepturi ſint, per carnales delicias ac voluptates, quales libidinoſi homines amant; item *Polygamia* & *Concubinatus* conceſſus, Religio *Armis* propagari juſſa, & alia. 3. quoniam paſſim ſibi ipſi contradicit, id quod non negant ipſi Mohammedani, ſed priora poſterioribus abrogari dicunt. Hoc autem Deo dignum non eſt.

21. *Sti-*

21. *Stilus* equidem *Alcorani* laudatur, quoniam elegantia ſingulari ornatus. Sed ſi *Mohammed* litterarum expers, fuerunt alii ejus adjutores §. 8. & omni fere tempore inter Arabes vixerunt homines facundiæ atque elegantiæ in ſcribendo ſtudioſi. Non eſt ergo hoc divinæ originis Criterium.

22. Dicunt porro; *Mohammedis* adventum prædictum a Moſe Deut. XVIII. 15. Nos vero negamus, ibi ad *Mohammedem* reſpici. Nam prius probari deberet, illum *Prophetam* fuiſſe. Dein patet, Moſen loqui de eo, qui ex Iſraële ſit oriturus: Non ex alia Gente.

23. Dicunt porro, Chriſtum de *Paracleto* ſæpius locutum, Joh. XIV. XV. XVI. Hunc autem eſſe *Mohammedem*. Sed ibi videntur Mohammedani confudiſſe vocem παράκλητος, cum voce περίκλυτος. Illa ſignificat *Patronum*; hæc *illuſtrem*, quem dicunt eſſe *Mohammedem*. Sed nullam eſſe hujus argumenti vim facile intelligitur.

24. *Miracula* etiam jactant, quamvis ipſe *Mohammed* negaverit, ſe ad Miracula facienda miſſum eſſe. Quæ autem commemorantur, aut non ſunt Miracula, aut abſurdæ potius ac fabuloſæ narrationes, quam veræ, aut ſaltem vero ſimiles Hiſtoriæ. Talis eſt ſciſſio Lunæ in duas partes, iter *Mohammedis* una nocte Mecca Medinam, ac inde in Paradiſum perfectum &c.

25. Quæ-

25. Quædam aiunt a *Mohammede prædicta.* In his ponunt, cladem quandam Romanorum. Sed id vaticinium ambiguum fuit. Item prædixit, Arabes ſucceſſuros eſſe Iſraëlitis in poſſeſſione terræ Chanaan. Sed id facile conjectura intelligi potuit, ob potentiam Arabum, & infirmitatem Chriſtianorum. His enim ibi ſucceſſerunt Mohammedani, non Judæis. Et ſic de ceteris.

26. Allegant etiam pro Criterio divinæ originis, quod Mohammedana Religio intra breve tempus fuerit latiſſime propagata. Sed id factum eſt vi & armis. Hic modus non probat divinam Religionis originem; ſed potius contrarium; quoniam Deus non vi homines, ſed argumentis, ad veritatem & pietatem amplectendam compelli vult.

27. Quod enim nonnulli inter Chriſtianos etiam vim adhibuerunt in ſuæ Religionis propagatione, aut adhibent, id non conſentaneum eſt primorum Sæculorum conſuetudini, neque Religionis Chriſtianæ indoli: Sed ad corruptelas referendum, quæ ſucceſſu temporis ei per homines quosdam illatæ ſunt.

28. Objiciunt imprimis Mohammedani Chriſtianis *Tritheiſmum*, idque vel ob male intellectum dogma de S. *Trinitate*, vel ob B. *Virginem*, jam eo tempore inter Chriſtianos a multis cultam. Dixerunt enim Chriſtianos adorare *Deum*, *Jeſum* & *Matrem ejus.* Sed hoc iniquum eſt, imputare Religioni, quod nonniſi ex corruptione Religionis eſt. Melior

lior enim pars *Matrem Jeſu*, non colit. *Jeſus* autem Θεάνθρωπος eſt, ac colendus.

29. Sic ergo nullum habet Mohammedaniſmus veræ Religionis Characterem; nec ulla eſt Ratio, cur eum Chriſtianiſmo præferamus. E contrario haud paucæ ſunt rationes, cur eum potius, ut figmentum hominis aſtuti, Enthuſiaſmo ſuffultum, repudiemus.

Vid. *H. Grotii* de V. R. C. L. VI. in quo tamen nonnulla corrigenda.

Theologiæ Polemicæ Cap. III. *de Judaiſmo.*

1. *Judaiſmus* illa eſt Religio, quam *Judæi*, qui nunc ſunt, amplectuntur, ac profitentur. Hujus Origo altius repetenda, & accuratius conſideranda eſt. Non enim *Judæi* totam eam Revelationem rejiciunt, quam Chriſtiani pro vera habent; ſed tantum ejus partem. *Præcognit.* §. 10.

2. Cum enim S. Scriptura, quam Chriſtiani pro Verbo Dei habent, duabus conſtet partibus, *Veteri* & *Novo Teſtamento*; Judæi quidem *Vetus* abſque dubitatione recipiunt, ſed *Novum* repudiant. In ea ergo parte cum Chriſtianis conſentiunt, quod credunt firmiſſime, *Moſen* & *Prophetas* a DEO miſſos, & vera ac divina omnia eſſe, quæ in eorum Scriptis traduntur.

3. Diſſenſus inter illos & nos verſatur primum in rejiciendis aut recipiendis Libris *Evangeliſtarum* & *Apoſtolorum*, atque adeo doctrina, quæ Evangelica dicitur, & quam *Chri-*

ſtus

ſtus in Mundum attulit: deinde in expoſitione doctrinæ & *Vaticiniorum* V. T. quibus cognoſci debet *Meſſias*, quem a Deo promiſſum norunt, ſed jam miſſum eſſe haud credunt *Judæi*.

4. Sunt autem *Judæi* poſteri eorum, qui olim *Iſraëlitæ* ſunt dicti, quorum Progenitores *Patriarchæ*, & in his *Jacob*, qui primus *Iſraël* dictus. Hi, cum A. M. 2513. ante C. N. 1487. per *Moſen* ex Ægyptiaca ſervitute educti eſſent, *Legem* a DEO acceperunt, in Morte Sinai latam, & deinceps pluribus expoſitam, quam & ille una cum Hiſtoriis antiquiſſimorum temporum litteris mandavit.

5. Hinc in terram Chanaan introducti Remp. & Religionem ad Legis Normam conſtituerunt, ac ſub variis viciſſitudinibus utcunque retinuerunt integram, uſque ad illa tempora, quæ Reditum ex Captivitate Babylonica ſunt ſecuta. Is reditus incidit in Annum ante C. N. 537. Cum dein Deo non amplius placeret, Prophetas huic Populo concedere, ordinarii ejus Doctores paullatim a Norma ſibi præſcripta & in Libris Moſaicis ac Propheticis exſtante, aberrantes, *Traditiones* quaſdam propoſuerunt, quam תורה שבעל פה *Legem oralem* appellarunt, ac ſuis perſuaſerunt, eam una cum תורה שבכתב, *Lege ſcripta*, Moſi in Monte Sinai conceſſam fuiſſe.

6. Hujus doctrinæ potiſſimum fiducia elati

Phari-

Phariſæi Jeſum poſt Annum Mundi 4000. in terris viventem, ac modis convenientibus ſe *Meſſiam* eſſe demonſtrantem, rejecerunt, ac majoriſuæ Gentis parti eum rejiciendi auctores fuerunt. Sed & altera Judæorum Secta, quæ *Sadducæorum* fuit, quamvis Legem Oralem haud reciperet, JESUM nihilo minus rejecit, quod eorum opinionibus contraria doceret.

7. *Cauſſa rejiciendi* eum hæc fuit præcipua, quod non talis eſſet, qualem *Meſſiam* futurum putabant, & cummaxime optabant; *Regem* ſcilicet, quales ſunt Reges Terræ, cultu magnificum, opibus potentem, qui Nationem Judaicam, tum temporis ſub Romanorum dominio gementem, & jugum quantocyus excutere cupientem, liberaret, & in priſtinum ſplendorem, quem ſub *Davide* ac *Salomone* habuerat, reſtitueret.

8. Hinc JESUM, ut falſo pro Meſſia ſe venditantem, in *Crucem* egerunt. Ipſi vero intra annum quadrageſimum, ab eo facinore perpetrato, in Romanos arma capientes, ita ſunt cæſi & profligati, ut deinde, quamvis Caput erigere identidem tentarent, haud tamen ex poteſtate Gentium, in quorum terris diſperſi habitant, emergere potuerint.

9. In omni vero hac calamitate *Religionem*, quam vocant, *patriam*, conſtanter illorum poſteri retinent; eam ſcilicet, quæ ſecundum *Legem Oralem* conſtituta eſt §. 5.

Nam illa, quominus periret, factum eſt quorundam Doctorum Judaicorum induſtria. In his princeps fuit R. *Juda Sanctus*, qui circa A. C. 189. tum memoriæ ſuæ ſubſidio, tum Schedis antiquiorum adjutus, Traditiones in unum redegit Volumen, quod משנה, *Miſchnah*, appellatur. Id *ſex* abſolvitur *partibus*, quas Bibliothecæ Rabbinicæ Scriptores recenſent.

10. Sed his non contenti ſequentium temporum Rabbini, Volumen illud copioſis Commentariis, Additionibus & Diſputationibus augere cœperunt. Inde poſtmodum nata eſt גמרא *Gemara*, tanquam Legis Oralis complementum. Ea duplex eſt, *Hieroſolymitana* ante A. C. 279. confecta, & *Babylonica*, ad A. C. 500. circiter compoſita. Inde natum *Talmud Hieroſolymitanum* & *Babylonicum*.

11. Hoc potiſſimum *Babylonicum Talmud* eadem, immo propemodum majore colunt reverentia, quam ipſam S. Scripturam, ac pro præcipuo ſuæ Religionis habent firmamento. Quare, qui Judaismum cum Succeſſu profligare conatur, haud expers debet eſſe hebraicarum litterarum, nec parum operæ collocare in demonſtranda Talmudis vanitate.

12. Cumque *primaria* inter Chriſtianos *quæſtio* & Judæos duplex ſit, una de *Meſſia*, an ille jam venerit, fueritque Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*; altera de *Libris N. T.* an

an illi *divini*, eademque fide cum Libris Moſis & Prophetarum recipiendi ſint: perinde nobis eſſe videtur, a qua ordiamur. Si enim unum ex illis duobus probatum fuerit, alterum inde ſua ſponte conſequetur.

13. Expeditior tamen eſſe videtur via, ſi ab altera incipiamus, & *Librorum N. T. veritate ac divina origine* comprobata, per eorum deinde auctoritatem conficiamus, *Jeſum Nazarenum* eum fuiſſe, quem ſe haberi volebat, *Meſſiam*. Ea enim probatio iisdem rationibus abſolvitur, quibus veritas & divina origo Librorum V. T. demonſtratur. Vid. eas conjunctas *Dogmat.* Sect. I. §. 238-248.

14 Sequitur inde *argumentum* imprimis adverſus *Judæos* validum: Si Libri N. T. non eſſent divini, etiam Libri Moſis & Prophetarum pro divinis haberi non poſſent. Illud enim exhibet complementum eorum, quæ in his prædicta fuerunt; hocque complementum nullum eſſet, niſi Scriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſit credendum.

15. Iſtud patet primum ex prædictione de Meſſiæ adventu, qui nondum contigiſſet, niſi vera eſſent, quæ de *Jeſu Nazareno* leguntur. Deinde ex dono Prophetiæ omnibus Gentibus promiſſo, Joel. III. 1. ſec. Hebr. Hoc nunquam impletum fuit, niſi poſt *Jeſu* adventum. Tertio ex præſenti Statu Judæorum, qui talis non eſſet, ut terra Chanaan expulſi, & aliis Gentibus ſubjecti eſſent. Id enim tum eventurum prædixit Moſes, cum

Iſraël a vera Religione defecturus eſſet; Deut. XXVIII. 1. ſeqq.

16. N. T. Scripta non eſſe divina variis modis Judæi probare conantur, objectiones omnis generis adverſus ea proferentes. Ex his nonnullæ ſunt cum ceteris Incredulis communes, aliæ Judæis propriæ. Objiciunt iſti primo *Linguam græcam*, qua N. T. conſcriptum fuerit, cum potius vel hebraice, quæ Lingua Moſis & Prophetarum, vel Latine, quæ fuerit Lingua in Imperio Rom. uſitata, conſcribi debuiſſet. Sed reſpondemus: N. T. ea Lingua Scriptum, quæ eo tempore omnium erat communiſſima. Talis græca. Nam hebraica nonniſi Judæi utebantur. Romana ſoli Itali, & aliarum occidentalium provinciarum incolæ, quibus nec græca erat ignota.

17. Objiciunt ſecundo; Libros N. T. non eſſe ex Dei Inſpiratione ſcriptos, eo quod *Lucas* teſtetur, ſe Evangelium ſuum proprio motu in gratiam *Theophili* compoſuiſſe, nec ullam faciat divinæ Inſpirationis mentionem. Reſpondemus: Lucam ejus mentionem non facere, quoniam in conſcribendis Hiſtoriis de Chriſto, quas ab aliis audiverat fide dignis Teſtibus, non opus habebat Inſpiratione rerum ſcribendarum; ſed ſola directione Spiritus S. ut nullum nec verbis nec rebus committeret errorem.

18. Non ſcripſit ſolummodo in gratiam *Theophili*, ſed ad hunc Librum ſuum potiſſimum direxit, qui nihilominus in totius Eccleſiæ

cleſiæ uſus deſtinatus fuit. Quod vero alia ab aliis Evangelia quoque conſcripta eſſe dicit, id quidem verum eſt. Sed ex omnibus illis nonniſi IV. delecta ſunt, ut talia, quibus per omnia fides haberi poſſit. Hocque fecerunt primi Chriſtianorum Doctores eo tempore, quo facillime adhuc genuina a ſpuriis ſecerni poterant.

19. Tertio loco objiciunt multitudinem *Variantium Lectionum*, unde ſit colligendum, Libros N. T. corruptos eſſe. Ad hoc reſponſum jam eſt, cum probaretur *Integritas* Librorum N. T. *Dogmat.* Sect. I. §. 262. Adde, quæ dicta ſunt paſſim contra Incredulos, & contra temerarios Criticos, qui ex nimia coacervatione variantium Lectionum, quæ nullius ſunt momenti, vel ſuperſtitioſam diligentiam, vel pravum conſilium prodiderunt. Nec V. T. caret Varietatibus Lectionis, quamvis paucioribus notatum ſit; 1. ob minorem Codicum multitudinem: 2. ob majorem Judæorum in deſcribendo diligentiam.

20. Objiciunt porro Judæi: *Prophetias* V. T. in N. T. non recte allegari. Ad hoc probandum colligunt Loca, quæ diſcrepare putant. Reſpondemus: In his allegationibus duo quæri: 1. an illæ Prophetiæ ad *Meſſiam* pertineant: 2 an in *Jeſu* ſint impletæ. Utrumque a noſtris Doctoribus per ſingulas partes demonſtratum eſt. Et in priore quidem Capite conſentientes habemus veteres Judæos, prout ex *Targumim* & *Rabbinis* antiquioribus conſtat.

21. Notari vero debet, non omnes Prophetias litterali & proprio ſenſu; ſed multas ſpirituali & typico accipi, & hoc quidem ex ipſa illa veterum Doctorum Judaicorum conſuetudine, quam Chriſtus & Apoſtoli retinuerunt, ut Spiritus S. conſilio conformem. Dein ſæpe non iisdem verbis, ſed eodem tantum ſenſu illæ fiunt allegationes.

Præter alios conſulatur *Surenbuſii* βίβλος καταλλαγῆς; in quo ſecundum Veterum Theol. Hebr. formulas allegandi, & modos interpretandi conciliantur Loca ex V. in N.T. allegata. 4. Amſt. 1713.

22. Quod vero in *Jeſum* conveniant illæ Prophetiæ atque in eo impletæ ſint, id ex collatione eventuum facile intelligitur, atque, quoad præcipuas a nobis demonſtratum eſt *Dogmat.* Sect. I. § 398. & ſeq.

23. Tandem & *contradictiones* objiciunt Libris N. T. tum ſibi invicem, tum Legi Moſis oppoſitas. Ad prius genus varia Loca N. T. & imprimis ex Hiſtoria Reſurrectionis Chriſti referunt. Sed his omnibus ſatisfieri poteſt, per diligentem eorum Librorum collationem, & circumſtantiarum, aut earundem aut diverſarum, conſiderationem.

Vid. *Gilb. Weſtii* Libr. de Reſurr. Chriſti.

24. Quod vero ad illa attinet, in quibus N. T. Veteri adverſari videtur, illa non minus facile ab interpretibus noſtris diſſolvuntur. Immo & porro demonſtratur, Religionem N.T. non eſſe aliam in eſſentia ſua, quam illam ipſam, quæ in V. T. traditur. *Ritus* enim haud perpetuos eſſe debere, mox probabitur.

25. Hoc

25. Hoc modo, ſi veritas ac Θεοπνευςία N.T. probata & defenſa fuerit, promtum inde erit intelligere, JESUM illum NAZARENUM verum fuiſſe Meſſiam, atque adeo, ut talem ſimul cum doctrina ejus univerſa & Religione Chriſtiana eſſe recipiendum.

26. Altera Ratio cum Judæis diſputandi §. 12. qua confici debet, *Meſſiam* jam veniſſe, eumque fuiſſe *Jeſum Nazarenum*; unice per Prophetiarum V. T. complementum, & per ceteros Meſſiæ Characteres, quibus probatur Jeſum a Deo miſſum, eumque fuiſſe, quem ſe ab omnibus haberi volebat, abſolvitur. Ea plus habet difficultatis, quoniam in longiore de plerisque Prophetiis diſquiſitione conſiſtit.

27. Supponit autem ſaltem hiſtoricam Librorum N. T. veritatem, quæ in ſummis Capitibus a Judæis non negatur. Huc pertinet, *Jeſum* vixiſſe, docuiſſe in Judæa, Miracula feciſſe, crucifixum & mortuum eſſe; ab ejus diſcipulis aſſertam ejus Reſurrectionem, & in ejus Nomine prædicatum Evangelium eſſe.

28. *Meſſiam* jam veniſſe, eumque eſſe *Jeſum Nazarenum*, ex Characteribus Meſſiæ in hunc convenientibus, patet. Sunt illi Characteres duplicis generis. Alii ad *Perſonam*, alii ad *Munus* Meſſiæ pertinent.

29. Ad Perſonam pertinet 1. Præcurſor. 2. Tempus adventus. 3. Genus & familia. 4. Locus Nativitatis. 5. Mater.

30. De *Præcurſore* Meſſiæ agit Eſaj. XL. 3. & Mal. III. 1. qui & ibid. ℣. 23. aut ſecundum alios Codices C. IV. 5, 6. Nomen addit *Eliæ*. Inde Judæi jam olim exiſtimarunt, *Eliam* prius venturum in terras, quam Meſſias ſit adfuturus. Id conſtat ex Joh. I. 21. Matth. XVII. 10. ſ. ubi & reſponſum eſt ad eam Judæorum contra Jeſum objectionem, quod *Elias* nondum venerit, ac aſſertum, *Johannem Bapt.* eum fuiſſe, quem Propheta nomine *Eliæ* innuerit. Vid. & Matth. XI. 10. Nam per illud nomen non tam ille homo, cui id proprium erat, quam homo ei ſimilis, imprimis quoad *Spiritum & virtutem*, intelligitur, Luc. I. 17. Sic etiam ipſi *Meſſiæ* nomen *Davidis* tributum, quoniam hic illum, ut typus antitypum, repræſentavit; Jerem. XXX. 9. Hoſ. III. 5.

31. *Tempus* adventus Meſſiæ prædicitur Gen. XLIX. 10. de Sceptro a Juda non aufferendo, donec venerit *Schiloh*: Dan. IX. 24. ſ. ubi LXX. Hebdomades annorum, ſeu Anni 490. ad Meſſiam usque elapſuri indicantur: Hagg. II. 7. ſ. ubi prædicitur, Meſſiam ſtante ſecundo Templo venturum.

32. Excipiunt Judæi; Meſſiæ adventum *differri*, propter Peccata Populi. Reſpondemus: 1. Prædictionem de Meſſia non ab aliqua conditione ſuſpenſam. 2. Meſſiam venturum fuiſſe, ut tolleret peccata populi. Ergo per ea non differri adventum ejus.

Alia plura vid. in *Joh. Grynæi* Opuſc. p. 79. ſ.

33. *Stirps* & *Familia* Meſſiæ eſt Tribus Judæ, &

& Domus Davidis. De hoc nulla eſt controverſia, unde & olim id Chriſto ex Judæis quærenti reſponderunt, Matth. XXII. 42. Jeſum autem inde ortum nemo unquam negavit, Hebr. VII. 14. & Evangeliſtæ Genealogiis ordine compoſitis docuerunt, Matth. I. Luc. III.

34. Excipiunt Judæi, diſcrepare Evangeliſtas in hac *Genealogia* inter ſe, & varias ibi difficultates occurrere. Reſpondemus; nullam ea de re litem olim motam fuiſſe, cum facile adhuc eſſet ex publicis Judæorum tabulis ad omnia reſpondere. Neque nunc difficile eſt, dummodo velit Adverſarius ad ea attendere, quæ a noſtris in eam rem dicta jam ſunt.

Vid. *Surenhuſ.* item *Spanh.* Dubia Evang. Part. I. *Stackhouſe* Defenſ. Hiſt. Bibl. & Rel. Rev. edit. Germ. T. VI. p. 598. ſ.

35. Nec valet altera exceptio; Evangeliſtas ſolius *Joſephi*, non *Mariæ* Matris, Genealogiam referre. Id enim primum negari poteſt. Multi enim credunt, *Lucam* Matris Genus referre. Deinde, ſi concedatur, poteſt tamen Mater ex eadem cum Marito familia eſſe; immo debuit, ſi fuit ἐπίκληρος, quales illæ, de quibus Num. XXVI. 33.

36. De *Loco Nativitatis* Meſſiæ agitur Mich. V. 1. al. 2. quem recentiores Rabbini male alio detorquent, ut *Aben Ezra* ad *Zorobabelem*, cum antiquiores abſque dubitatione de Meſſia; Matth. II. 5, 6. Ex recentioribus de eodem, Targum, Kimchi atque Raſchi. *Jeſum* autem Bethlehemi natum, nec niſi ob commorationem *Nazarenum* dictum, conſtat.

37. *Mater Virgo* prædicitur Eſaj. VII. 14. De hoc Loco diſputant Judæi; 1. An de *Meſſia* agat? Ipſi vel *Ezechiam* Achazi R. filium, vel filium *Eſajæ* ſubſtituunt. Sed prior jam tum natus erat. Agitur autem de filio naſcituro; dein naturalis filii nativitas nullum eſt ſignum, quo fides rei inſolitæ confirmetur. 2. An per עלמה *virgo* denotetur? Judæi heic mallent quamlibet *fœminam*. Sed contrarium hoc uſui Linguæ, quem & LXX. & Matth. I. 23. conſervarunt.

38. Poſt Characteres Perſonæ ſequuntur illi, qui *Munus Meſſiæ* deſignant. Huc pertinet 1. quod futurus fuerit *Propheta*, Deut. XVIII. 15, 18. quem locum a veteribus de eo acceptum conſtat ex Act. III. 22, 23. VII. 37. nec de ullo alio intelligi debere indicatur Deut. XXXIV. 10. 12.

39. *Munus Sacerdotale* Meſſiæ prædicitur Pſ. CX. 4. Eum Pſ. de Meſſia agere apud Judæos dubio caret. *Jeſum* autem talem fuiſſe, qui tum ſacrificaverit, tum pro populo oraverit, quibus partibus ſacerdotale Munus abſolvitur, Hiſtoria Evangelica docet.

40. Obtulit *ſeipſum* in *victimam* pro *reatu* & *peccato*, de quo vaticinatus eſt Eſajas LIII. Id enim Caput de *Meſſia* interpretatur Targum, & quotquot ſunt veteres Rabbini, fatente R. *Alſchech.* Recentiores a mente majorum defecerunt, & de Populo Iſraëlis interpretantur, quod abſurdiſſimum eſt.

41. Non patiuntur hoc ſibi Judæi perſuaderi, quod de *Meſſiæ* paſſionibus dicitur. Inde quidvis excogitant, ut eludant vaticinia de *humili*

mili quodam *Meſſiæ ſtatu*. Huc pertinet fabula de *duplici Meſſia*, quorum alter glorioſus, & filius *Davidis*; alter humilis, & filius *Joſephi* ſeu *Ephraimi* ſit futurus.

Eam vid. in Targ. Cantic. IV. 5. & apud alios, quos allegat *Cellarius* in Meſſiolog. Targ. *Chaldaiſmo* ſubjecta p. 90. qui & locum uberem ex *Abbcath Rochel* profert ad calc. *Rabbiniſmi* p. 38.

42. *Regium* Meſſiæ *Munus* ſupereſt, de quo nulla eſt nobis cum Judæis diſceptatio, quippe qui *Meſſiam Regem* ſemper in ore habent. Quæritur tantum de natura hujus Regni, & num terrenis Regnis ſimile, an *ſpirituale* potius ſit prædictum?

43. Urgent Judæi Prophetarum dicta, *Regnum* Meſſiæ magnifice deprædicantia. Sed figuratis illis ſermonibus *Regnum ſpirituale* deſignari manifeſtum eſt ex eo, quod ex illo Regno ſalutem percepturi ſint omnes in eum confidentes, Pſ. II. ult. 2. *Spirituale Regnum* per Meſſiam erectum Deum magis decet, quam mundanum. Deus enim Spiritus eſt, & ſpirituali cultu honoratur. 3. Si vaticinia de *Regno* Meſſiæ ad litteram intelligantur, varia inde ſequentur abſurda; ex. gr. Eſaj. XI 6 8. XIX. 19. ſ.

44. *Regnum* ergo Meſſiæ in animis hominum reſidet, nec *Regnum Chriſti* eſt *de hoc Mundo*, Joh. XVIII. 36, 37. Sed cum Prophetæ hoc Regnum futurum eſſe *univerſale* dicant, excipiunt Judæi adverſus Chriſti Regnum, id univerſale non eſſe, eo quod multæ ſint Nationes, quæ in eum non credant. Reſpondemus. Sunt quidem; ſed tamen nulla fere eſt pars orbis

bis terrarum, quæ non in ſuo ſinu habeat aliquos in Chriſtum credentes.

45. His ita poſitis concludimus, *Jeſum Nazarenum fuiſſe verum Meſſiam;* unde ſequitur, illius doctrinam, quæ in Libris N. T. continetur, divinam, & Religionem Chriſtianam veram eſſe.

46. Nunc porro addendæ ſunt aliæ quædam Judæorum *objectiones*, quæ quidem aliquid ponderis habere videantur. Ad eas quoque breviter reſpondebimus, ut nihil ſuperſit, quod eorum Incredulitati prætexi poſſit.

47. Harum objectionum præcipua eſſe videtur, quod per Jeſum Naz *Lex Moſis* ſit ſublata, quæ tamen debeat eſſe perpetuæ obſervationis. Sic enim Deum per Moſen & per Prophetas docuiſſe, quod ex plurimis Locis pateat.

48. Nos vero primum quidem diſtinguimus eam Legis Moſaicæ partem, quæ *cæremonialis* eſt, a *morali*. Hanc & ipſi contendimus, mutari & abrogari non poſſe, quia de iis, quæ natura bona aut mala ſunt, immutabilis & æterna eſt Dei Voluntas. Jeſus hanc non ſuſtulit, ſed potius confirmavit, & a falſis interpretationibus ac reſtrictionibus vindicavit; Matth. V. 17.

49. Ea *Lex*, a qua ſuos Diſcipulos Jeſus liberavit, eſt *cæremonialis*, de qua ſola agunt Loca, quæ hanc liberationem tangunt; Gal. IV. 4. 5. &c. Act. XV. commemoratur

tur deliberatio & decretum Apoſtolorum de hac quæſtione, unde patet, non de morali, ſed de ſola cæremoniali Lege actum eſſe.

50. Hanc vero non ad perpetuam obſervationem, ſed ad illud uſque tempus datam eſſe, quo Meſſias venturus erat, varia docent argumenta. 1. Expreſſiones S. Scripturæ non abſolutam perpetuitatem, ſed certo modo limitatam indicant; prout poſſeſſio Terræ Chanaan etiam לעולם, *in ſæculum*, aut perpetuum, promiſſa, quæ tamen ante annos fere MDCC. ceſſavit.

51. Dein 2. Præcepta Legis cæremonialis non in ſe & ſua natura bona ſunt; ſed ex mero Dei arbitrio ac beneplacito profluxerunt. Quapropter ex eodem etiam mutari & abrogari poſſunt. Nec ea eſt mutatio in Deo, aut in Dei voluntate. Nam ipſe cum primum ea inſtitueret, non aliud habuit conſilium, quam ut ad Meſſiæ adventum uſque valerent illæ Leges.

52. Ut hujus aſſerti veritas pateat, obſervari debet, 1. quod Ritus illi Moſaici reſpectum habuerint ad Chriſtum & Cultum ſpiritualem. 2. quod inter Iſraëlem & Gentes diſcrimen aliquamdiu debuerint conſtituere. 3. Quod Rituum illorum abrogatio divinitus prædicta fuerit. 4. Quod Deo ita volente factum ſit, ut ejus Cultus obſervatio non amplius locum habeat. 5. quod vana ſit ſpes eum reſtaurandi.

53. Primum ex iis, quæ modo notata ſunt,

ſunt, confitentur Judæi, quorum loca varia profert *Schoetgen.* Hor. Hebr. T. 2. L. IV. in Mantiſſa. De altero vid. Levit XX. 12. & 20. De Circumciſione imprimis id conſtat, per eam Iſraëlitas ab omnibus aliis populis diſtinctos. Vid. Jerem. IX. 24. 25. De ceteris multa ſunt in Ep. ad Hebr. ex vetuſta, ut videtur, Theologia Judæorum petita.

54. Tertium quod attinet, ſcil. *prædictionem* abrogationis Legis cæremonialis, id potiſſimum patet ex Jerem. XXXI. 31. ſ qui locus allegatur Hebr. VIII. 14. & univerſæ Legis cæremonialis abrogationem docet. Sic & ſacrificia dicitur aboleturus Meſſias, Dan. IX. 27. Pſ. XL. 7. 8. Quo & pertinet, quod ubique terrarum ſacrificia offerenda dicantur Jeſ. XIX. 19. Malach. I. 11. Quod nonniſi de ſpiritualibus intelligi poteſt.

55. Cultum illum non amplius locum habere patet, ex eo, quod Deo permittente templum deſtructum, in quo ſolo Cultus publicus erat peragendus, Deut. XII. 13. 14. quod tribus Levi, quæ huic Cultui debebat miniſtrare, cum ceteris confuſa; quod vera Dei cognitio ad omnes gentes extendenda Eſaj. LXVI. 20. 21.

56. Vanam denique eſſe ſpem, quam Judæi ſibi fingunt, fore ut aliquando in terram Chanaan reducantur, ut templum reſtauretur, ut Regnum eorum reſtituatur, patet ex eo, quod Loca prophetica, quæ allegare ſolent, haud id dicant, ſed reſpiciant partim redi-

reditum ex Capt. Babyl. partim converſionem Judæorum ad Meſſiam. Eo imprimis pertinet Deut. XXX. ubi & ℣. 6. de Cultu ſpirituali apertus eſt ſermo.

57. Apparet idem ex irritis hactenus conatibus Templum & Urbem Hieroſolymitanam reſtaurandi, quos variis temporibus ſuſceperunt Judæi, ut tempore Hadriani Imp. duce *Bar Cochba*; Tempore *Juliani* Apoſtatæ, cum ipſe Imperator & juberet, & ſumtibus ſuppeditandis juvaret. De his & ſimilibus agunt Hiſtoriæ.

58. Alia eſt objectio contra veritatem Religionis Chriſtianæ, quod ea requirat *fidem in Meſſiam*, & per hanc ſalutem acquiri oſtendat; hoc autem in Moſis & Prophetarum Scriptis non fieri aiunt. Sed obſervandum 1. neminem eſſe, qui Legem perfecte obſervaverit, adeoque ſi per opem, aut obedientiam perfectam homo ſervari deberet, neminem ſalutem conſecuturum eſſe.

59. Deinde facile aliquot loca V. T. adferri poſſunt, ubi fides in Meſſiam requiratur. Talis eſt quem ante protulimus ex Deut. XVIII. 15. 18. Porro ex Pſ. II. ult. Item Eſaj. VIII. 14. & XVIII. 16. nec non Pſ. CXVIII. 22. 23. Eodem pertinet vaticinium Malach. III. ubi Meſſias dicitur *Angelus fœderis* & *ſol Juſtitiæ*, & *ſanitas in alis ejus* &c. Omnia hæc fidem in Meſſiam, ut ad ſalutem neceſſariam proponunt.

60. Aiunt

60. Aiunt Judæi; ſi Prophetarum vaticinia de Jeſu Nazareno eſſent intelligenda, clarioribus verbis proponi debuiſſe, quam propoſita ſunt. Reſpondemus: Omnis quidem Prophetia, figurate expreſſa, habet aliquam obſcuritatem. Illa enim eſt Prophetiæ & Prophetici ſtili natura. Sed tamen, quæ ad *Meſſiam* agnoſcendum pertinent, nunc cum eventu ipſo completa ſunt, habent ſufficientem perſpicuitatem, prout liquet ex §. 30. & ſ. ubi Characteres Meſſiæ ex Prophetis V. T. colliguntur.

61. Quæ vero objiciunt Judæi contra Chriſti doctrinam de Trinitate, de Incarnatione Filii, & aliis, illa ſunt ſingulis in locis expendenda, in quibus hæc dogmata tractantur. Unde Lectores noſtros ad Dogmaticam Theologiam remittimus. Ibi enim explicatis & probatis illis dogmatibus etiam ad objectiones reſpondetur.

62. Ex rebus geſtis Chriſti nulla eſt, cui magis & Judæi & ceteri Increduli adverſantur, quam *Reſurrectio Chriſti*. Ea ergo nobis quoque diligentius defendenda eſt, quippe cum ea ſola abunde probet, Jeſum fuiſſe verum Meſſiam. Si enim falſo pro Meſſia fuiſſet habitus, non a Mortuis, prout prædixerat, fuiſſet ſuſcitatus.

63. Excipiunt primo adverſus eam Judæi: Apud Prophetas *non prædictam* fuiſſe Meſſiæ Reſurrectionem. At, ſi non prædixiſſent Prophetæ, prædixit tamen ipſe Chriſtus, ac

Ty-

Typum ejus rei allegavit *Jonam*, Matth. XII. 39. 40. Interim non deſunt & Prædictiones aliæ, ut Eſaj. LIII. 10. & Pſ. XVI. 10.

64. Objiciunt porro, Chriſti Corpus a Diſcipulis e ſepulchro ablatum fuiſſe. Reſpondemus: Milites cuſtodiendo ſepulchro appoſitos id quidem aſſeruiſſe, ſed nonniſi poſtquam a Judæorum Proceribus pecunia corrupti eſſent; Matth. XXVIII. 12-15. Porro, dicunt, diſcipulos veniſſe cum dormirent. Quæro; quomodo teſtari potuerunt de iis, quæ ipſis dormientibus contigerunt? Cur non evigilarunt, aut ſaltem unus ex Cuſtodia, quum ſaxum ab introitu ſepulchri amoverent, quod non ſine gravi tumultu fieri potuit. Erat enim *permagnum*, Marc. XVI. 4.

65. Nullam ergo id habet veroſimilitudinem. Immo ne quidem poſſibile fuit, quod inde patebit, ſi conſideremus, quales fuerint diſcipuli, inermes, timidi, non compoſiti aut idonei ad talem fraudem contexendam. Si ſatis fortitudinis ad id habuiſſent, non tamen id feciſſent. Senſiſſent enim, ſe a ſuo Magiſtro deceptos eſſe, ſi non reſurrexiſſet, qui toties aſſeruerat, ſe tertio die reſurrecturum. Non ergo voluiſſent tanto ſe periculo exponere ad aliis perſuadendum, ipſum reſurrexiſſe.

66. Objiciunt etiam, Jeſum *citius* reſurrexiſſe dici, quam prædixerat ipſe, Joh. II. 19. Marc. VIII. 31. Matth. XII. 40. Sed obſer-

vandum, illas Phraſes, quæ ibi occurrunt, nihil aliud ſignificare, quam *tertio die* a morte id futurum eſſe. Jam vero primus dies erat, quo exſpiravit; ſecundus, quo in ſepulchro jacuit; tertius, quo reſurrexit.

67. Cur vero Jeſus poſt Reſurrectionem non ſe vivum toti Judæorum Genti, & ipſis potiſſimum primoribus, *monſtravit?* Reſpondeo: non id ſuſpectam facere poteſt Reſurrectionis Hiſtoriam. Primum enim fuerunt rationes ſat graves, cur id non fieret. Deinde Teſtes nihilo minus fuerunt ſufficientes.

68. Illarum rationum præcipua ſine dubio fuit, quod prævideret DEUS, ne tum quidem illos crediturοs, quibus hæc teſtimonia non ſufficerent. Chriſtus enim tot in Judæorum & ipſorum Principum conſpectu ediderat Miracula, ut majoribus opus non fuerit. Qui illa eluſerant ſua pertinacia, hi ne ipſa quidem Reſurrectionis αὐτοψία fuiſſent expugnati.

69. Multitudo teſtium major haud requirebatur, quam XII. adverſus quorum Teſtimonium nihil ſolidi excipi poſſit. Sin minus iſti ſufficiant, addimus illos quingentos, de quibus Paulus 1 Cor. XV. 6. Addimus porro Milites ſepulchri cuſtodes, quibus ſane ipſi ſe Judæorum Sacerdotes adjungere potuiſſent, ſi voluiſſent Reſurrectionis Chriſti ſpectatores eſſe ac Teſtes.

70. Fin-

70. Fingunt nonnulli, Corpus Chriſti, quod diſcipulis apparuerit, non fuiſſe verum, ſed phantaſticum; idque probare nituntur, ex Joh. XX. 17. Luc. XXIV. 15. Joh. XX. 19. Sed difficultatibus, quæ hinc moventur, facillime per rectam eorum Locorum expoſitionem occurritur. Omnes vero apparitionum illarum circumſtantiæ evidenter docent, verum fuiſſe Chriſti Corpus, in quo ſe conſpiciendum præbuit.

71. Cumque Reſurrectio mortuorum nec in ſe ſit impoſſibilis, nec careat exemplis, nec a Judæis aliquando facta negetur; immo & futura olim credatur; nulla ſupereſt ratio, cur Reſurrectio Chriſti tot Teſtimoniis & Argumentis confirmata, negetur.

72. Tandem obſervamus, tria alia eſſe, quæ Judæos a Chriſtiana Religione avertant: 1. Sectas variasque de doctrinis ſententias: 2. Cultum quorundam Chriſtianorum: 3. Plurimorum inter Chriſtianos turpem vitam. Ad hæc paucis reſpondebimus.

73. *Sectæ* non ſolummodo inter Chriſtianos ſunt, ſed & olim fuerunt inter Judæos, ut *Phariſæi*, *Sadducæi*, *Eſſæi*; & nunc ſunt, ut *Rabbanitæ* & *Caraitæ* &c. Oriuntur illæ, non vitio Religionis, ſed hominum, præjudiciis ſuis nimis indulgentium. Si plures ſunt inter Chriſtianos, quam Judæos, cogitandum, Chriſtianum nomen in plurimas nationes diffuſum eſſe.

74. Quorundam inter Chriſtianos *Idolola-*

tria haud eſt Evangelio; ſed ejus corruptioni, imputanda. Hæc enim vera eſt Chriſtiana Religio, quæ ſcriptis N. T. eſt conſentanea. Cetera talia non ſunt, ut pro iis pugnemus. Sunt haud paucæ Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ nonniſi DEUM & Meſſiam colunt. Meſſiæ autem Cultus non eſt idololatricus.

75. *Pravi* quorundam inter Chriſtianos *mores* non ſunt ex Religionis indole, quæ nil niſi pium & ſanctum ſpirat, omnia damnat ſcelera, atque Deum proximumque amare præcipit; ſed ex eo oriuntur, quod multi profitentur, ſe eſſe Chriſtianos, qui non ſunt, & factis negant, quod ore & externo quodam habitu præ ſe ferunt.

Polemicæ Theologiæ Cap. IV. de *Socinianiſmo.*

1. *Socinianiſmus* nomen habet a *Fauſto Socino*, Senenſi Italo, qui relicta Eccleſia Romana ad Proteſtantes ſe contulit, ac inter eos errores ſui Patrui *Lælii Socini* propagavit, tandemque in Polonia A. C. 1604. obiit, multis relictis ſectatoribus, qui ſeſe *Unitarios* vocabant.

2. Ex Polonia ſe in Transſylvaniam Secta hæc diffudit, imprimis cum a. 1658. Polonia emigrare juberentur. Habent ergo in Transſylvania publicos & liberos Cœtus. In aliis regionibus paſſim quoque Sectatores invenerunt, eo quod Religionis forma ſua ſim-

ſimplicitate ac facilitate, Scriptorumque acumine ac elegantia apud multos ſe commendat.

3 Scriptum Socinianorum publicum eſt *Catechiſmus Racovienſis*, qui a. 1609. editus, ac dein ſæpius recuſus eſt. Exſtat etiam cum Notis Socinianorum adjuncta *Joh. Crellii* Ethicæ, 1680. item cum Refutatione *N. Arnoldi* Franeck. 1654. 4. & *Oederi*, Francof. & Lipſ. 1739. 8.

4. Pluribus vero omnia exponuntur, firmantur & defenduntur in Operibus *F. Socini*, *Joh. Crellii*, *Jonæ Schlichtingii*, *Joh. Lud. Wolzogenii*, ſub titulo: *Bibliothecæ Fratrum Polonorum*, quos *Unitarios* vocant, Eleutheropoli, id eſt, apud Batavos 1656. & ſequentib. annis editis, quæ cum *Samuelis Przipcovii* Operibus VIII. Volumina conficiunt. &c.

5. Non in ſolo dogmate de *S. Trinitate* a reliquis Chriſtianis diſſentiunt Sociniani; ſed in aliis quoque compluribus; unde peculiaris quædam Religionis eorum forma emergit, quæ Revelationem in V. ac N. T. contentam haud rejicit, ſed ita exponit, ut nulla *Myſteria*, i. e. nullæ doctrinæ, quæ Ratione capi nequeunt, admittantur.

6. Summa hæc eſt: Deum omnibus hominibus a peccatis reſipiſcentibus, ea condonare ſtatuiſſe, eosque poſt hanc vitam ad alteram transferre beatiorem; propterea Chriſtum in Mundum miſiſſe, ut hanc ipſius voluntatem patefaceret; Hoc illum non modo

miraculis, ſed & paſſionibus ac morte ſua confirmaſſe; ideo etiam Deum ipſum ex morte reſuſcitaſſe, ac poſtmodum in cœlum tranſtuliſſe, ut in eo & vitæ & remunerationis exemplum haberemus; ei etiam datam eſſe poteſtatem, fideles ſalvandi.

7. Hinc patet præcipuum Socinianorum errorem eſſe de *ſatisfactione pro peccatis*, quam nec eſſe neceſſariam, nec a Chriſto præſtitam putant. Eamque ob cauſſam non opus eſſe cenſent, ut *Redemtor* ſit *Deus*, aut Perſona divina, ſed nudum hominem ſufficere, qui tamen fuerit *unigenitus Dei Filius*, non propter naturam, ſed ob alias rationes; interim ob exaltationem adorari & religioſe coli debeat.

8. Cum his dogmatibus connexa ſunt alia quoque, a Chriſtianorum communi doctrina recedentia, quæ deinceps ordine ſunt expendenda. Comperietur autem, *Socinianiſmum* parum differre a *Deiſmo* ſ. *Naturaliſmo* puriore. Vid. *Polem.* C. II. S. II. §. 6. Interim ſpecialiores ſunt cum *Socinianis* controverſiæ, quam cum *Deiſtis*, nec opus eſt, ut illis S. Scripturæ veritas, ac divina Inſpiratio demonſtretur, quippe cum eam agnoſcere ſe dicant.

9. Prima igitur Quæſtio hæc eſt: *An Deus potuerit & voluerit Hominibus peccata condonare absque intercedente ſatisfactione*; itemque *an talis ſatisfactio, qualem ſtatuunt Orthodoxi, fuerit poſſibilis?* Sociniani negant.

10. Ne-

10. *Neceſſitas* autem ſatisfactionis pro peccatis demonſtratur ex Juſtitia Dei, *Dogmat.* §. 75. 76. unde Nexus oritur neceſſarius inter Peccatum & Pœnam, ibid. §. 130-133. Hinc facile colligitur Deum nec velle nec poſſe peccata absque intercedente Satisfactione condonare. Eam vero *poſſibilem* eſſe, immo a Chriſto præſtitam probavimus ibid. §. 333. & 427.

11. Notio *Satisfactionis*, prout eam in hoc dogmate accipimus, non eſt illa Juriſconſultorum, quam dicunt damni dati reparationem, aut rei ablatæ reſtitutionem. Talis enim in ſalutis negotio locum habere nequit. Sed ſignificamus illa voce, cum Satisfactionem eſſe neceſſariam dicimus; quod neceſſe ſit, ut aut ipſe peccator ob peccata ſua, aut alius pro ipſo, ſeu illius vice puniatur.

12. Si ipſe peccator puniretur, periret in ſua hac miſeria. Itaque DEVS, miſericordia commotus ipſi *Redemtorem* dedit. Hic ſuis paſſionibus & morte ſuſtinuit ea, quæ ſufficiant ad Liberationem hominis ab illa miſeria; eaque in S. Litteris appellatur *λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, ἱλασμὸς*, & quæ ſunt ſimilia vocabula, quorum omnium vis brevitatis ergo uno *Satisfactionis* nomine exprimitur.

13. Potuiſſe DEUM, ac poſſe adhuc, peccata hominibus remittere absque ſatisfactione, probare ſtudent ex eo, quod quilibet homo de ſuo jure poſſit remittere. Sed privatus utique non modo poteſt, ſed & debet

aliquando id facere. DEUS autem Perſona eſt publica, Gubernator & Judex totius Mundi, qui Auctoritatem ſuarum Legum conſervare, & illarum violationem aut neglectum vindicare debet. Si enim conſtaret, Leges divinas, quibus omnis Dei Gloria & Mundi ſapiens Ordo continetur, impune negligi ac violari, nulla amplius eſſet earum Legum vis ac auctoritas.

14. Homines enim, ut experientia cognoſcitur, ad peccandum ſunt vehementer proclives. Quod ſi itaque credere poſſent, nihil aliud requiri, ad peccatorum veniam impetrandam, quam ut eorum pœniteret, facile paterentur ſuas dominari cupiditates, iisque ſine metu frena laxarent.

15. Eſt etiam aliud attributum Dei, quod impediat, quominus DEUS poſſit peccata impune dimittere, ſcilicet *ſanctitas*, quæ averſationem omnis mali continet; nec aliter manifeſtari poteſt, niſi per peccatorum pœnam. Ad *Juſtitiam* pertinet id, quod dictum eſt §. 10. Non poteſt ergo DEUS absque ſatisfactione peccata condonare.

16. Hinc ſequitur, *Juſtitiam* illam DEI, qua puniuntur peccata, non minus in Deo exiſtere ac exerceri neceſſario, quam in eo exiſtit Sanctitas & Sapientia; nec Bonitatem aut Miſericordiam ſalva illa exerceri poſſe, ſi peccata impune dimittantur.

17. DEUS nunquam vult aliquid ſuis Perfectionibus contrarium agere. Ergo etiam nun-

nunquam vult peccata impune dimittere. At dicunt adverſarii, DEUM in V. T. veniam peccatorum ſub ſola conditione *Reſipiſcentiæ* promiſiſſe. Reſpondemus illam Reſipiſcentiam in ſe habere debuiſſe *fidem* in Redemtorem. Non ergo venia promiſſa absque reſpectu ſatisfactionis fuit.

18. Probamus illud ex *promiſſionibus* V. T. de Meſſia, quæ inde ab initio datæ fuerunt, ut Gen. III. 15. & ſic porro. Item ex eo, quod Abrahamus ex fide in Promiſſiones, in quibus & hæc de Meſſia, juſtificatus, i. e. veniam peccatorum adeptus fuerit. Vid. Rom. IV. Gal. III. Porro in V. T. homines eodem modo juſtificati, quo in N. T. Act. XV. 11. Hucque pertinebant *ſacrificia*, quibus non poterant peccata expiari, Hebr. X. 1. Sed reſpectum ſuum ad Chriſtum habebant.

19. Objiciunt; ſi venia peccatorum non concedatur, niſi intercedente ſatisfactione, tunc illam non fore gratuitam. Reſpondemus: Eſt tamen gratuita, quoniam 1. ipſe DEUS Mediatorem mittere decrevit, idque ſuum decretum hominibus ultro patefecit. 2. Ab hominibus nil niſi Fidem exigit, qua illud Beneficium accipiant, & ſibi applicent. Sic Remiſſio debiti prorſus gratuita eſt, ſi alius, non a debitore, ſed a Creditore demonſtratus, præſtet ſolutionem.

20. *Satisfactionem* vero pro peccatis hominum prorſus *præſtari non poſſe*, ſic probare

conantur Sociniani. Primum dicunt, alium pro alio mori non debere, nec Judicem ejus mortem accipere ad ſatisfaciendum pro alio poſſe. Nos vero reſpondemus: non poſſe quidem, ſi is, qui moritur, ſui juris non ſit, nec habeat poteſtatem, vitam ſuam profundendi.

21. Sed Jeſus, quum ſit Filius DEI, ſui prorſus juris eſt, & vitam humanam, quam aſſumſit, habuit jus iterum pro lubitu deponendi. Sic ipſe dicit Joh. X. 18. Idem etiam ex paſſionibus & Morte, quam ſuſtinuit, emergere potuit, & per Reſurrectionem emerſit, fuitque exaltatus.

22. Sicque concidit & illud Socinianorum argumentum, quo dicunt: iniquum eſſe, ut alius pro alio moriatur, Ezech. XVIII. 20. Nam Chriſtus ultro vices noſtras ſubiit, & habuit jus id faciendi, nec in Morte pereundum illi fuit, quippe cum inde glorioſe emerſerit.

23. Pergunt, & objiciunt, unius punitionem non poſſe ſufficere pro pœnis æternis tot peccatorum. Reſpondemus: ſi Mediatoris Perſona tantæ ſit dignitatis, ut æquivalens ſit non unius tantum, ſed omnium hominum dignitate; tum omnino poteſt unius pœna ſufficere pro pœnis omnium. Eadem Perſonæ dignitas valet etiam ad compenſandas æternas pœnas, quas Peccatores meriti erant.

24. Sic ergo DEUS eodem in opere & miſe-

miſericordiam & juſtitiam demonſtravit. Illam, dum Mediatorem ipſe dedit. Hanc dum unius mortem pro omnium morte accepit, 2 Cor. V. 15. Nam ille, qui pro omnibus mortuus eſt, non homo erat merus, ſed *Filius Dei*, 1 Petr. I. 19.

25. Excipiunt Sociniani: Etiamſi Chriſtus fuiſſet verus Deus, quod negant; tamen infiniti pretii λύτρον ſolvere non potuiſſe. At nos dicimus, omnino & potuiſſe ſolvere, & ſolviſſe: Nam paſſam quidem & mortuam ſolam Naturam humanam; ſed eam cum divina perſonaliter fuiſſe unitam. Sic non merus Homo, ſed DEUS, pro nobis ſatisfecit; Act. XX. 28.

26. Inſtant: Si Mediator fuiſſet DEUS, tum ſibimet ipſi ſatisfeciſſet, quia DEUS fuit peccatis hominum offenſus. Sed hoc fore abſurdum. Reſpondemus: Si agnoſcerent Sociniani Perſonarum divinarum Trinitatem, facile intelligere poſſent, alio reſpectu Chriſtum fuiſſe Deum offenſum, alio eum pro peccatis hominum DEI Juſtitiæ ſatisfeciſſe. Sed cum illam negent, hinc iſtam difficultatem ſuperare nequeunt. Conf. 2 Cor. V. 19.

27. Cum itaque negent *ſatisfactionis* neceſſitatem, hinc & alium prorſus *Redemtionis* modum concipiunt, quam ceteri Chriſtiani. Exiſtimant enim, Chriſtum ita homines redemiſſe, ut monſtraverit viam ſalutis, & doctrinam ſuam miraculis, morte & Reſurrectione confirmaverit. Sed hunc non eſſe

verum

verum & integrum Redemtionis modum, conſtat ex iis, quæ *Dogmat.* Sect. I. §. 391. ſ. de triplici Munere Chriſti dicta ſunt.

28. Nam ille, quem Sociniani ſtatuunt modus, Chriſtum ſub ſolo *Prophetæ* nomine ac munere ſiſtit. *Sacerdotalis* & *Regii* muneris proprietatem tollit. Omnia enim illa, quæ §. præced. commemorata ſunt, Chriſtus ut Propheta præſtitit, nullamque ea habent ad Sacerdotale & Regium munus relationem.

29. Nec ſane improprie aut *Sacerdos* dici poteſt Chriſtus, aut *Victima*, aut ſolviſſe λύτρον, & ſimilia. Nullus enim hic datur improprius ſenſus, & doctrina, ejuſque per Miracula, Mortem & Reſurrectionem confirmatio, non facere poteſt, ut Sacerdotis, Victimæ, λύτρου notio de Chriſto prædicari poſſit.

30. Porro cum dicitur Chriſtus *pro nobis* mortuus, id non ſolum, ut aiunt Sociniani, ſignificat, eum *in noſtrum commodum & utilitatem* mortuum eſſe. Hoc enim nimis extenuat Rationem Mortis Chriſti, quam S. Scriptura indicat ita pro Nobis contigiſſe, ut *loco* & *vice hominum* facta ſit. Hinc & Matth. XX. 28. Marc. X. 45. adhibetur particula ἀντὶ, quæ nil aliud notare poteſt.

31. Idem docent imprimis loca, Joh. XI. 50-52. Rom. V. 6. 7. 2 Cor. V. 15. Gal. III. 13. Porro ſi in confirmationem doctrinæ ſuæ tantum mortuus eſſet Chriſtus, Mors ejus nihil

nihil haberet, quo præſtaret morte ac paſſionibus ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum. Sic enim & Paulus ſe pati dicit Col. I. 24. cum tamen Chriſtus ſolus pro nobis crucifixus ſit 1 Cor. I. 13. ſcilicet ad Satisfactionem pro hominum peccatis.

32. Eodem pertinet Eſaj. LIII. 4. 5. Nam *propter peccata noſtra* dicitur Meſſias mala pertuliſſe. Malum autem, quod ob peccata fertur, eſt pœna, ſicque pœnam peccatorum noſtrorum tulit Meſſias. Nec obſtat, quod Matth. VIII. 16. 17. hoc ad Morborum ſanationem refertur. Cum enim Morbi quoque ſint pœnæ peccatorum, hinc Meſſias Morbos tollens, pœnas eorum ſuſcepiſſe ac portaſſe dicitur.

33. Cumque vis expiatoria & meritoria Paſſionum & Mortis Chriſti adumbrata fuerit *ſacrificiis* V. T. hinc tanto clarius patet, per illas pro peccatis ſatisfactum, easque vice noſtra ſuſceptas. Conf. Hebr. IX. 11. 12. X. 1. 4. Conantur quidem per aliam interpretationem hujus argumenti vim eludere, dicuntque Deum nonniſi præviis & peractis ſacrificiis peccata olim remiſiſſe; ita nunc non remittere, niſi prævia morte Chriſti.

34. Verum hoc *Typi* rationem ac relationem ad *Antitypum* pervertit. Nam Typus id, per figuram adumbrat, quod in re ipſa eſt geſtum; non itaque eandem habet vim cum Antitypo, & ſic, quemadmodum Sacrificia

V. T.

V. T. adumbrabant ſacrificium Chriſti, ſic expiatio peccatorum, ſeu ſatisfactio pro peccatis, quæ per illa fieri credebatur, ad hanc reſpiciebat, quam Chriſtus vere præſtare debuit. Per conſequens Deus in V. T. peccata æque ac in N. remittebat intuitu Mortis Chriſti, quam Victimæ adumbrabant.

35. Accedimus nunc ad alium ex primariis Socinianorum erroribus, qui cum priore connexus eſt; ſcilicet, de *Perſona Chriſti.* Eum ſtatuunt *merum* fuiſſe *hominem*, nec ullam aliam, præter humanam, habuiſſe naturam; ſed hominem fuiſſe ſanctum, eximium, a Deo poſt Reſurrectionem exaltatum, ita ut & DEUS dici & adorari debeat.

36. Nos vero probamus, Chriſtum & verum hominem, & verum Deum fuiſſe, adeoque duabus præditum Naturis, divina & humana, quæ per Incarnationem perſonaliter fuerint unitæ; propter hanc præcipue cauſſam dici *Unigenitum DEI Filium* &c. Hæc omnia probata ſunt *Dogmat.* Sect. I. §. 403. ſeqq.

37. Hanc doctrinam ita impugnant, ut afferant, Chriſtum a DEO diſtingui, tanquam ab eo, qui *ſolus* ſit verus DEUS: Joh. XVII. 3. 1 Cor. VIII. 6. Eph. IV. 6. & alibi. Nos vero id negamus, neque ex locis iſtis, aut aliis probari poſſe credimus. Sic Joh. XVII. 3. cum de Patre dicit, eum eſſe *ſolum verum* DEUM, non excluditur Filius, quippe qui 1 Joh. V. 20. etiam appellatur

verus

verus DEUS: ſed excluduntur Idola Gentium.

38. In 1 Cor. VIII. 6. quemadmodum *unus* Dominus dicitur Jeſus Chriſtus, nec tamen Patri nomen illud negatur, quippe quod ei ſæpiſſime tribuitur: Ita & *Pater unus* DEUS, non excluſo Filio, quem Scriptura ſæpius DEUM nominat. Reſpicitur ad opus Redemtionis, quod a Patre decretum, & a Filio peractum fuit, cujus reſpectu ille imprimis Domini nomen habet.

39. Sic & Eph. IV. 6. & alibi non Deus opponitur Filio; ſed DEUS, ut *Pater*, diſtinquitur a *Filio.* Reliquæ difficultates etiam tolluntur: 1. Si Deus eſſentialiter ſumtus, diſtinguatur a Deo perſonaliter accepto. 2. Si in Chriſto duæ Naturæ, divina & humana, ſedulo diſtinguantur.

40. Ea diſtinctio eſt veriſſima & nititur 1. illis S. Scripturæ locis, quibus Chriſtus & verus DEUS & verus Homo prædicatur; 2. illis quibus aliud de Chriſto *ſecundum Carnem*, i. e. humanam Naturam; aliud *ſecundum Spiritum*, ſ. divinam dicitur, ut Rom. I. 3. 4. IX. 5. 1 Petr. III. 18.

41. Nec dici poteſt a communi loquendi uſu alienum eſſe, ſi de aliquo vel adfirmetur vel negetur, id quod de eo tantum uno reſpectu verum eſt. Sic de Homine dicitur, eum cogitare, cum tantum Mens hominis cogitet: dicitur *mori*, cum tantum moriatur Corpus.

42. Cum

42. Cum autem Sociniani Divinitatem Filii negent, hinc etiam negant *Generationem* ejus a Patre proprie ſic dictam. Nos vero cum *Dogmat.* Sect. I. §. 402-405. probaverimus, Chriſtum proprie Filium Dei eſſe; inde ſequitur, eundem quoque ſenſu proprio a Patre genitum dici, quia eſſentiam divinam ab eo accepit. Quia vero plures non poſſunt eſſe eſſentiæ divinæ, ideo eadem eſt Filii eſſentia, quæ Patris; ſicque Filius cum Patre *unum* eſt.

43. Objiciunt: ſic Chriſtum fore ſui ipſius Filium, quoniam Patris eſſentia eadem eſt, quæ Filii. Sed negamus id ſequi. Nam Eſſentia divina vel *abſolute* accipitur, prout eſt Ens a ſe; vel quatenus hoc aut illo modo determinato ſubſiſtit, i. e. *perſonaliter*. Non priore, ſed poſteriore ſenſu Filius a Patre genitus dicitur, atque ſic a Patre diſtinctus eſt.

44. Nec etiam intelligimus Generationem Naturalem Filii DEI, ac ſi per eam ita accepiſſet divinam eſſentiam, ut ex non Ente Ens factus fuerit. Nam Generatio proprie nihil involvit aliud, quam ut ratio, cur alter exiſtat, in altero contineatur. Hinc *Patrem*, quatenus *Pater* eſt, *a ſe*; *Filium*, quatenus eſt, *Filius*, *a Patre* eſſe docemus.

45. Ex negatione Divinitatis Filii Dei, ſequitur porro in ſyſtemate Socinianorum, *Incarnationem* ejus nullam eſſe. Eam vero nos probavimus *Dogmat.* Sect. I. §. 414. ſeqq. Nunc ergo ad objectiones præcipuas reſpondebimus.

46. Quod

46. Quod 1. dicitur, rem eſſe incomprehenſibilem, quomodo divina Natura cum humana uniri potuerit; id nihil valet ad refellendam illam noſtram doctrinam. Oportet enim ut Revelata Religio quædam contineat, quæ ſolo Lumine Rationis cognoſci non poſſunt, *Dogmat.* Sect. I. §. 169. Talia ſunt Myſteria, in quibus & Incarnatio Filii DEI.

47. Deinde objiciunt; Incarnationem Filii a nobis dici Unionem eſſentiæ divinæ cum Natura humana. Eſſentiam autem divinam eandem eſſe omnibus tribus Perſonis communem: Ergo omnes tres divinas Perſonas eſſe incarnatas. Reſpondemus: Eſſentiam divinam, quatenus eſt Filio propria, non quatenus omnibus communis, incarnatam eſſe: Sic ergo Incarnationem de ſolo Filio, non de Patre & de Spiritu S. dici.

48: Cum autem Filius Dei factus eſſet homo, non deſiit eſſe id, quod erat, id eſt, Perſona divina; ſed aſſumſit humanam Naturam, ut ex divina Natura, quæ Perſona divina eſt, & humana, cum illa unita, fieret una Mediatoris Perſona. Sic idem ſimul DEUS & Homo, ſed diverſo reſpectu; & quatenus duo illa ſimul unita fuerunt, Θεάνθρωπος dicitur.

49. Non poteſt ergo objici, in Chriſto duas eſſe Perſonas. Nam Natura ejus humana non eſt Perſona, quia extra Unionem cum divina nunquam exſtitit. Divina autem

Natura per Incarnationem eam aſſumſit, & perſonaliter ſecum univit, ut nova inde Perſona Mediatoris componeretur.

50. Quum Sociniani præter *Patrem* nullam admittant divinam Perſonam; hinc & *Spiritum S.* divinam eſſe Perſonam negant. Nos vero id ex eo probamus, quod ea de illo in S. Scriptura prædicentur, quæ & Perſonam & divinam eſſe doceant. Vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 496-499.

51. Objiciunt: Spiritum S. e numero Perſonarum excludi, Matth. XI. 27. Cum enim dicatur: *Nemo novit Patrem, niſi Filius* &c. Spiritus S. nullam fieri mentionem. Sed reſpondemus: in illa ſententia excludi Creaturas, non Spiritum S. Nam de iſto dicitur 1 Cor. II. 10. eum & *profunditates Dei ſcrutari.* Ergo & Patrem novit & Filium.

52. Objiciunt porro, Spiritum S. eſſe *Virtutem divinam*, ergo non Perſonam, ipſamque adeo Dei omnipotentiam, quatenus illa per dona ſpiritualia & ſimilia ſeſe exſerit. Reſpondemus, haud negandum, ſæpe in S. Litteris nomen Spir. S. notare virtutes ac dona ſpiritualia, ſive ordinaria ſive extraordinaria, *Dogmat.* Sect. I. §. 500. & 501. Idque ideo fit, quoniam illa dona peculiariter a Sp. S. conferuntur: Joh. XVI. 13. 14.

53. Cum ergo negent Sociniani, aliam eſſe divinam *Perſonam*, præter *Patrem*; nec *Filium* aut *Spiritum S.* in communionem divinæ eſſentiæ admittant, hinc & Dogma *SS.*

Trini-

Trinitatis rejiciunt, ſeque appellant *Unitarios*, id eſt, Cultores unius Dei Patris, in Filio, per Spiritum S. ſicque unum DEUM cum una Perſona confundunt.

54. In eo autem vehementer errant, quod noſtram doctrinam putent contradictionem involvere, ac ſi ſtatueremus, unum eſſe DEUM, & tamen tres DEOS. Non enim hoc ſtatuimus; ſed *Patrem*, *Filium* ac *Spiritum S.* quamvis certo modo diſtinctos, *unum tamen eundemque eſſe DEUM* credimus.

55. Multa ſunt argumenta valde ſubtilia, quæ illi noſtræ doctrinæ objiciunt. Nihil tamen ea aliud ſunt, quam Sophiſmata, quæ per rectam vocabulorum diſtinctionem ſolvuntur. Sic cum dicunt, Deum illum unum eſſe Patrem; ac ſecundum nos Filium quoque eſſe Deum illum, unde ſequeretur Filium eſſe Patrem; reſpondetur: alio reſpectu Deum illum unum eſſe Patrem, alio Filium; ac per conſ. Filium non eſſe Patrem, ſed eundem cum Patre & Sp. S. Deum.

56. Sic porro contradictionis arguere conantur noſtram doctrinam, quaſi inde ſequeretur, quamlibet Perſonam ſtatui trinam, quia Deus dicatur trinus, & quælibet Perſona Deus. Sed iſtud quidem a vera noſtra mente detorquetur. Non enim credimus, quamlibet Perſonam eſſe Deum illum Trinum, ſed eſſe unam ex tribus, quibus divina eſſentia communis eſt.

57. Tale eſt quoque, cum dicitur, unam-

quamque rem, quæ una eſt, non poſſe eſſe multiplicem. Sic DEUM non poſſe unum & trinum eſſe. Reſpondemus 1. Eodem reſpectu non poſſe; ſed diverſo reſpectu. 2. Quod in Eſſentia finita locum non habet, id in ea, quæ infinita eſt, fieri poteſt.

58. Quamvis Sociniani Filium Dei negent eſſe verum & ſupremum Deum; tamen eum *divino cultu* adficiendum eſſe ſtatuunt; ſcilicet propter Exaltationem, qua a Patre accepit Poteſtatem in Eccleſiam, ad eam regendam, ac ſalutem æternam ei conferendam. In eo a ceteris Socinianis diſſenſit *Franc. Davidis*, quod Chriſtum invocandum eſſe negavit. Non enim exiſtimabat, eum eſſe adorandum, qui non eſſet Natura DEUS.

Varia ſunt, quæ hoc loco notari poſſent. Sociniani Adorationem Chriſti pro Additione habent, qua is Ipſe Præceptum 1. Decalog. auxerit, ac dicunt rationem, cur is adorari debeat, *Catecheſ. Racov.* edit. 1609. unde *Oederus* exhibet Q. 236. „ Quid præterea D. Jeſus huic Præcepto 1. addi„ dit? R. Id quod etiam D. Jeſum pro DEO „ agnoſcere tenemur, id eſt, pro eo, qui in „ nos poteſtatem habet divinam, & cui nos di„ vinum exhibere honorem obſtricti ſumus. „ Quam quidem Reſponſionem ita immutarunt deinde, ut appareat, nonniſi certo quodam & limitibus circumſcripto modo, DEUM haberi, & adorari debere. Sic enim edit. Stauropolit. an. 1680. Ethicæ Crellianæ adjecta p. 88. b. habet. Q. „ *Quid* præterea D. Jeſus huic Præcepto 1. „ addidit? R. Id quod ipſum etiam D. Jeſum „ pro eo, qui in nos poteſtatem habeat divinam, „ illo-

„ illoque ſenſu pro Deo agnoſcere, ac porro ei „ confidere, ac divinum honorem exhibere te„ nemur. „ Unde notari id quoque debet, quantam ſibi licentiam permiſerint iſti homines in mutanda hac ſua Catecheſi, cum & in ceteris plerisque duæ illæ editiones plurimum differant. Videmus porro, quomodo ipſi ſeſe Sociniani condemnent, Q. 246. edit. Racov. ex qua *Oederus* exhibet. „ Q. Quid vero ſentis de iis homini„ bus, qui Chriſtum non invocant, nec adoran„ dum cenſent? R. Prorſus non eſſe Chriſtianos „ ſentio, cum reipſa Chriſtum non habeant; Et „ licet verbis id negare non audeant, reipſa ne„ gant tamen. „ Ea in *Crelliana* edit. rurſus uberius exponuntur, p. 92. Sic, qui ab aliis Eccleſiis tolerari cupiunt ipſi, a ſe diſſentientes non tolerant, ſed numero Chriſtianorum excludunt, &c.

59. Et in eo quidem rectius ceteris ratiocinatus eſt, quamvis ab illis propter hunc diſſenſum vexatus, & carceri incluſus. Neminem præter DEUM verum eſſe adorandum ipſe Deus Præcepto 1. ac ſæpiſſime in Verbo ſuo declarat. Ipſa etiam ratio docet, divinum Cultum talem eſſe, ut cum Creatura communicari non poſſit. Hæc enim eſſet mera idololatria.

60. Nos vero Chriſtum, ut Deum, colimus, quia Deum eſſe credimus. Sociniani negant, Deum eſſe, & tamen colunt. Si iſtud faciunt ob divinam Majeſtatem illi collatam poſt Reſurrectionem; multo rectius id fiet a nobis, ob Eſſentiam divinam ab æterno per Generationem Patris illi communicatam, ac in tempore cum Natura humana

unitam. Ei ergo DEO & Servatori noſtro, Jeſu Chriſto ſit Laus & Gloria in æternum! Amen!

61. Ceterum, profligatis præcipuis Socinianorum erroribus, nunc etiam de aliis quibusdam agendum eſt, ut iſtius Sectæ univerſa ratio & indoles eo clarius pateat. Ordinem in iis accuratum haud ſervare poterimus. Referemus eos prouti ſe nobis offerent.

62. Unus ex præcipuis eſt de *Raptu Chriſti in Cœlum*, qui contigerit tempore quadrageſimalis jejunii, ut ibi de voluntate Dei hominibus manifeſtanda edoceretur: quo facto eum in terram remiſſum eſſe, ac Munus propheticum auſpicatum. Id dogma eo excogitatum eſt, ut quacunque ratione exponere poſſent loca illa N. T. quibus Chriſtus de Cœlo veniſſe &c. dicitur. Imprimis provocant ad Joh. III. 13.

63. Verum illud eſt temerarium figmentum, de quo nulla prorſus in S Scriptura occurrit mentio. Nam loca, quæ de Chriſti ex Cœlo adventu mentionem faciunt, longe rectius de divina ejus Natura explicantur, quæ deſcendit, ut aſſumeret humanam. Dein ejuſcemodi *Raptu* non opus erat. Chriſtus enim cum adhuc XII. annorum puer erat, inter Doctores Judæorum ſedens rerum divinarum cognitione jam excellebat, Luc. II. 46. 47. Ab eoque tempore ſemper *crevit Gratia & Sapientia* ibid. ℣. 52.

64. Alius error eſt, quo putant, nullam prorſ-

prorſus dari *naturalem Dei cognitionem.* Si hoc ita intelligeretur, prout Catecheſis Racoviana tradit Q. 46. *Viam ad Immortalitatem ab homine per ſe cognoſci haud poſſe;* id eſt, eam cognitionem, quæ ſola Natura acquiritur, non eſſe ſufficientem ad ſalutem, admitti hoc eatenus poſſet. Sed nullam prorſus dari Religionis notitiam, quæ per facultates naturales acquiſita ſit, & acquiri poſſit, negamus.

65. Contrarium ejus rei probatum eſt *Dogmat.* Sect. I. §. 5. nec non per illa, quæ ibi ſequuntur, ex ſolo Rationis Lumine deducta & demonſtrata. Tandem Scriptura ipſa, & Gentilium Libri oſtendunt, multa illos cognoviſſe, & cognoſcere ex ſola Ratione potuiſſe. Vid. Rom. I. 19-24. ubi de communi omnium cognitione Dei agitur, etiam illorum, qui Revelatione omni caruerunt.

66. Alius Socinianorum error eſt, quod ſtatuunt in V. T. *nullam* eſſe *promiſſionem Spiritus S.* nec *Vitæ æternæ*; ſed ſola promiſſa rerum corporalium propoſita. Fuerunt & alii in hac ſententia, in quibus & ille Anglus, qui magna eruditione inde probare conatus eſt, veram eſſe Judaicam Religionem, qualem Moſes tradidit, quia nulla ibi inveniatur promiſſio futuræ vitæ.

Warburton, divine Legation of Moſes. Lond. 1738. 8vo.

67. Sed id quidem nos falſum eſſe putamus, nec dubitamus, quin in ipſis Libris Moſaicis & Propheticis promiſſiones de futura vita non

tam quidem copioſas, nec tam claras, ſed tamen aliquas inveniemus, quæ non niſi violentis interpretationibus ad alia; & mere terrena trahi poſſent. Sed de vita æterna videatur vel ſolum id, quod dicitur Joh. V. 39. & 2 Tim. III. 15. ubi non de alia Scriptura, quam de V. T. ſermo eſt.

68. Porro ſtatuunt Chriſtum eſſe *novum Legislatorem*, & quidem proprie, non quatenus Legem Moſis confirmavit & perfectiorem reddidit, ſed quatenus multa præceptis Moſaicis addidit. Nos vero id negamus, & Evangelium, quod Chriſtus attulit, nonniſi improprie novam Legem dici poſſe exiſtimamus.

69. Nam illæ, quæ additiones cenſentur, aut novæ Leges, nihil ſunt aliud, quam explicationes veterum, & vindiciæ a pravis Judæorum interpretationibus, quibus Moſaicæ Leges corruptæ & obſcuratæ erant. Id docetur in expoſitione ſingulorum Præceptorum, & in Theol. pract.

70. Sunt & alii errores Socinianis partim proprii, partim cum aliis communes, qui ordine Locorum communium exhibentur in *Spanhemii* Elencho Controv. Illi vero, quoniam ſuis Locis in *Theolog. Dogmat.* refutantur, nec proprie Socinianiſmum conſtituunt, a nobis heic non opus eſt, ut pertractentur.

71. Iſtud vero per omnia clarum eſt, quod Rationi in exponenda S. Scriptura nimium tribuant, ita ut nihil pro ſenſu illius admittant,

tant, niſi quod cum ratione non modo convenit, ſed & per eam comprehendi queat. Sicque rationem velut Revelationis totius Normam faciunt.

Theol. Polem. Cap. V. de *Fanaticiſmo.*

1. Socinianis in eo maxime oppoſiti ſunt *Fanatici*, quod Rationi prorſus nihil, S. Scripturæ parum, internæ vero Spiritus S. operationi omnia tribuunt. Inde *Fanatici*, & *Enthuſiaſtæ* appellantur. Hic enim eſt eorum primarius error, quod internæ ac immediatæ Spiritus S. operationi ea tribuunt, quæ ei minime tribuenda ſunt.

2. Prout autem varia ſunt, quæ Enthuſiaſtæ pro divinis *Inſpirationibus* habent, ita ſunt & varia eorum hominum genera. Plerique tamen eorum S. Scripturam, ut Verbum Dei externum & ſcriptum, nec perfectum eſſe, nec aliter, niſi per immediatum illum Spiritum exponi & intelligi, aut efficaciam ullam habere ſtatuunt.

3. Sic ergo nullam habent *Normam* ſuarum opinionum, atque inde fit, ut nullum Religionis Fanaticorum omnium Syſtema confici poſſit. Quot fere ſunt Capita, tot ſunt ſententiæ. Interim duæ poſſunt generaliores conſtitui eorum Claſſes. Alii enim *craſſiori Enthuſiaſmo*, alii *ſubtiliori* indulgent. Illi negant S. Scripturæ ſufficientiam ad Salutem; novas & immediatas revelationes a Deo ſibi

obtingere putant; hinc ſua ſæpe ſomnia ac imaginationes pro divinis Inſpirationibus habent; has tanquam nutum & inſtinctum divinum magno cum impetu & fervore ſequuntur; nec raro tumultus eo prætentu excitarunt. Tales imprimis fuere *Anabaptiſtæ Munzeriani*, ac *Monaſterienſes*, de quibus Hiſtoriæ conſulendæ.

4. Hinc & multi ex iis *Prophetæ* haberi voluerunt, & ab imperitis habiti ſunt. Iſti nomine divino horrendum in modum abuſi, varia & Rationi & Evangelio & bonis Moribus, & Ordini civili contraria docuerunt, & perpetrarunt; *Libertati* imprimis nullis limitibus circumſcriptæ inhiantes, ſub nomine *Libertatis Chriſtianæ*, quæ & civilibus & eccleſiaſticis Legibus careret; unde & *Libertini* & *Anomi* dicti.

5. Horum refutatio omnium eſſet facillima, ſi tales homines Rationibus & Argumentis locum darent. Sed rariſſimum hoc eſt; nec fere invenitur talis fanaticus, qui diſputantes audire, ac demonſtrationes admittere velit. Interim ad alios monendos, ut ſibi ab his erroribus caveant, utile erit, ſequentia obſervaſſe.

6. Poſtquam Eccleſia Dei præter Moſen & Prophetas, Evangelia & Apoſtolica Scripta acceperat, nullæ amplius aut exſpectandæ aut recipiendæ ſunt novæ revelationes. Illa enim ſunt, quæ perfectam nobis exhibent credendorum & agendorum cognitionem. Vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 276. ſeqq.

7. Nulla

7. Nulla etiam exſtat novarum Revelationum *promiſſio.* Nam illa, quæ legitur Joëlis II. jam impleta eſt primis temporibus N. T. prout Act. II. 16. adnotatum eſt. Porro novæ ejuſcemodi Revelationes deberent *Characteres* habere, quibus earum divina origo cognoſceretur. Vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 166. ſeqq. Talibus autem deſtituitur Fanaticorum doctrina.

8. E contrario reperitur ea ſæpe *oppoſita* illi Revelationi, quæ in S. Scriptura contenta certo cognoſcitur divina eſſe. Eo reſpectu huc adferendum monitum Apoſtoli Gal. I. 8. Immo rarum non eſt, ut Fanatici iſti Prophetæ ſibimet ipſis contradicerent, ut alius adfirmaret, quod alter negaverat, aut id abrogaret, quod prior ſtatuerat. Vid. *Ottii* Annal. Anabapt.

9. Ex *ſubtilioribus* Fanaticis alii immediata Spiritus S. operatione opus eſſe putant, ut S. Scriptura intelligi poſſit; adeoque Spiritum, quem ſibi omnibusque fidelibus obtingere credunt, non modo Interpretem, ſed & Normam interpretationis S. Scripturæ eſſe putant.

10. Alii vero S. Scripturam ſatis perſpicuam eſſe dicunt, ut a piis & attentis Lectoribus intelligi queat; ſed eam virtutem ac efficaciam non habere, quæ & aſſenſum & fidem operari, & vires eam ſequendi conferre debeat, idque omne pro immediatis Dei Operationibus habent.

11. Hi omnes non ſatis ex merito de S. Scriptura ſentiunt; eam vocant *Litteram mortuam*

tuam, *Verbum externum*, cui præferendus ſit *Spiritus vivificus*, & *Verbum* ſeu *Lumen internum*. His igitur opponimus ea omnia, quæ de S. Scripturæ perfectione ac perſpicuitate dicta ſunt.

12. Non negatur, *Spiritum S.* hominibus eum petentibus promiſſum, Luc. XI. 13. eumque illuminare & ſanctificare hominem; ac producere fructus ſalutares: *Dogmat.* Sect. I. §. 502. Sed longe abſunt hæc ab Enthuſiaſmo, quo vel plura, quam ſunt in S. Scriptura, revelari, vel ſenſus illius a Deo indicari, vel aſſenſus immediate a Spiritu S. produci dicitur.

13. Fuerunt olim, & ſunt procul dubio adhuc, inter ſubtiliores illos Enthuſiaſtas, haud pauci homines boni ac pii. His accenſemus *Caſp. Schwenckfeldium*, Nobilem Sileſium, haud paucis Scriptis clarum. Occaſionem erroris videtur ille cum aliis ſimilibus inde cepiſſe, quod multi obſervarentur Verbi divini Lectores & Auditores, apud quos tamen nec Fides nec Virtus Chriſtiana inveniretur. Hinc collegerunt, Spiritus S. immediata vi & operatione opus eſſe, ut Verbum & perſpicuum & efficax reddatur.

14. Niſi limites excederent iſti, nimiſque exiliter tum de Verbo ſcripto, tum de aliis Mediis ſeu Auxiliis externis ad ſalutem ſentirent, haud multum illis repugnaremus. In eo igitur maxime a recta via aberrant, quod interna Spiritus S. auxilia, velut absque Mediis

diis operantia, ſibi aliisque fidelibus adeſſe opinantur.

15. Sunt præterea & alii, qui myſticis & obſcuris, nonnunquam ex *Chemia* & *Re Metallica* depromtis locutionibus, involvunt magis, quam explicant mentem ſuam. Horum Anteſignani *Theophraſtus Paracelſus*, *Valentinus Weigelius*, & *Jac. Bœhmius*; quorum Scripta nemo niſi illarum Artium peritus intellexerit. Fortaſſe ne hic quidem; immo dubium ſæpe eſt, num ipſi illi Scriptores ſciverint, quid ſibi vellent.

16. Fanaticis accenſendi & *Quackeri*, qui apud Anglos imprimis numeroſi, exiſtimant; Quicquid intuitu ſalutis ſciri, credi, & agi oporteret, id omne Spiritum S. in nobis immediate operari, prorſus eodem modo, ut olim DEVS Prophetis & Apoſtolis verbum ſuum immediate inſpiravit: Scripturam S. continere magnam & eximiam partem earum revelationum, quæ ſanctis Viris olim obtigerint; ſed earum certitudinem vivamque fidem per immediatam Spiritus S. illuminationem ſolummodo haberi poſſe: Cetera a Spir. S. cuivis immediate revelari, atque ita Scripturam S. nec unicam nec præcipuam eſſe fidei ac vitæ normam.

17. Hi *Lumen* illud *internum* omnibus hominibus innatum & connatum ſtatuunt; nec tamen ſatis clarum eſt, quid per illud intelligant. Nam cognitionis omnis naturalis principia nos haud alia novimus, quam Rationem

tionem & Senſus. Si quod aliud ab his ſtatuatur, oportet, ut id ſit immediata quædam divina Revelatio. Adeoque videndum eſt, quibus argumentis probare conentur tum hi, tum alii Fanatici, quod immediata Revelatione cuivis ad ſalutem opus ſit.

18. Argumentum unum deducitur ex Rom. VIII. 9. 14. ubi indicatur, eos demum veros eſſe Chriſtianos, qui *Spiritum Chriſti* habent. Reſpondemus: Spiritum Chriſti habent omnes illi, qui per Verbum Dei corde receptum ad fidem & reſipiſcentiam diſponuntur. Nam ad hoc Verbum Dei *ſcriptum* eſt Joh. XX. 31. & *fides eſt ex auditu* Rom. X. 17. Verbum illud poteſt nos *ſapientes reddere ad ſalutem*, 2 Tim. III. 15. eſtque *ſemen Regenerationis*, 1 Petr. I. 23.

19. Dicunt *Fanatici*, Chriſtum ſuis promiſiſſe Spiritum S. adeoque eum fidelibus adeſſe, Joh. XIV. 16, 17. XV. 26. XVI. 13. Reſpondemus 1. illud Lumen internum, quod in hominibus omnibus eſſe dicunt, hac ipſa promiſſione everti. Nam ſi omnibus illud adeſſet, non opus foret, ut Spiritus S. promitteretur. 2. Illæ promiſſiones de largiſſima effuſione Spiritus, non quemlibet fidelem eodem modo, quo Apoſtolos, reſpiciunt.

20. Provocant porro ad Eſaj. LIX. 21. & Jer. XXXI. 31. quod vaticinium allegatur Ebr. VIII. 8. X. 16. Nos vero haud negamus, uberiorem ac univerſaliorem largitio-

nem

nem Donorum ſpiritualium in N. T. eſſe prædictam. Sed non de immediatis Spiritus S. operationibus hoc intelligimus, nec de ſublata neceſſitate Doctorum in Eccleſia; ſed ſolummodo de Donis Gratiæ, atque etiam de mutata ratione docendi. Unde & Apoſtolus, locis allegatis, nihil aliud, niſi abrogationem inde Sacrificiorum & Cultus Levitici colligit.

21. Allegant etiam *Unctionem*, de qua 1 Joh. II. 27. dicitur, eam fideles *omnia docere* &c. Sed illa rurſus nihil aliud notat, quam Spiritus S. Gratiam, qua Homo fidelis per Verbum Evangelii illuminatur, id eſt, cognitione ſalutari inſtruitur, nec opus habet, ut audiat & ſequatur falſos Doctores, de quibus ℣. 26. & in præcedentibus agitur.

22. Falſum quoque eſt, quod dicunt, certam, vivam & ſalvificam cognitionem ex Scriptura S. non poſſe hauriri, quamvis ea antiquiores & vere divinas revelationes contineat. Nam e contrario Scriptura S. eſt principium cognoſcendi veritates ſalutares, atque adeo cauſſa inſtrumentalis fidei noſtræ.

23. Interim tamen Scriptura ſuam auctoritatem, ſuamque efficaciam a Spiritu S. habet. Ille primum eam S. Scriptoribus inſpiravit. Idem dein legentium atque audientium Corda atque Oculos aperit, ut attendant iis, quæ ſcripta ſunt, eaque intelligant; Act. XVI. 14. Pſ. CXIX. 18.

24. Nihi-

24. Nihilominus certiſſimum eſt, S. Scripturam eſſe unicum fontem, unde haurienda ſit doctrina ſalutis, unicamque normam, ad quam omnes doctrinæ ſint examinandæ. Non ergo *Lumen* aliquod *internum* adeſt, cujus uſu omnes homines, & ipſi quoque Gentiles, res ad ſalutem neceſſarias cognoſcere poſſint, aut quod Chriſtianis plura & perfectiora indicet, quam Verbum ſcriptum.

25. Nihil certe invenitur, ad ſalutem ſcitu neceſſarium, quod non a DEO in Verbo ſuo revelatum ſit. Itaque nemo eſt, qui non ex illo, vel per Lectionem, vel per Auditum ea cognoſcere poſſit, dummodo velit, nec præjudiciis ac pravis affectibus impediatur.

26. Sunt autem varia Fanaticorum genera, quæ inter ſe haud parum differunt. Nam alii plus, alii minus Fanaticiſmo indulgent. Et olim quidem ex craſſioribus Fanaticis erant *Anabaptiſtæ*, §. 3. de quibus propterea hic quoque agendum eſt. Quamvis enim hodierni ab illo primorum furore longiſſime abſint, prima tamen ejus Sectæ origo ab *Enthuſiaſmo* repetenda eſt.

27. Errores *Anabaptiſtarum* diſtinquendi ſunt in *proprios*, & eos, quos cum aliis quibusdam Sectis habent *communes*. Ad hunc locum pertinent tantum *proprii* errores, quorum primarius, & reliquorum omnium fons eſt opinio, de *Eccleſiæ viſibilis* in his Terris *puritate*, atque adeo etiam *ſingulorum Membrorum ſanctitate perfecta*.

28. Hinc ſane fluit, *Miniſterium Eccleſiaſticum* nonniſi ab Hominibus regenitis adminiſtrari poſſe; *Magiſtratum* a Chriſtianis non geri, aut *judicia* exerceri debere; *Arma* non capienda, nec *Jusjurandum* dicendum; nonniſi *Adultos*, & in Fide confirmatos *baptizandos*; *Diſciplinam* in Eccleſia rigoroſe exercendam eſſe.

29. Eccleſiam viſibilem in his terris perfecte ſanctam non eſſe, nec ſingula ejus membra perfecte ſancta, probatum fuit *Dogmat.*Sect. I. §. 505. & 521. Idem porro probatur ex *Parabolis* Chriſti, quibus Regni ſui, i. e. Eccleſiæ conditionem propoſuit. Vide Matth. XIII. 24. 47.

30. Quod vero attinet *Miniſtros* Evangelii; verum equidem eſt, illos, qui vel Hypocritæ ſunt, vel aperte mali, haud parum Eccleſiæ nocere; ſibi etiam accerſere perniciem extremam. Vid. Matth. XVIII. 7. Interim qui ſunt legitime vocati Eccleſiæ Miniſtri, poſſunt tam in prædicatione Verbi, quam in Sacramentorum adminiſtratione utiles eſſe, utut regeniti non ſint.

31. Neque enim Verbi divini, neque Sacramentorum efficacia, a Miniſtrorum vel ſanctitate vel intentione pendet; ſed a ſolo DEO; Rom. I. 16. 1 Cor. III. 6, 7. Vid. & *Theol. Dogmat.* Sect. II. Cap. I. §. 8. Cur autem non in omnibus Auditoribus æque fructus ferant, quos debent, ratio indicatur in Parabola Chriſti, de ſemine in varias agri partes cadente, Matth. XIII. 3. ſ.

32. Qui ſunt ſapientiores inter Auditores, illi id ſibi dictum ſentiunt, quod legitur Matth. XXIII. 3. *Quod dixerint faciendum, facite; ſed opera eorum nolite imitari.* Nec tamen hæc ſententia excuſationi improborum Eccleſiæ Miniſtrorum inſervit. Infirmitates vero humanæ eorum, qui non ſunt improbi, haud offendere, aut ab iis alienare debent pios; ſed cogitandum, quod dicitur 2 Cor. IV. 7.

33. Cumque Eccleſia viſibilis conſtare non poſſit ſolis vere regenitis & perfectis hominibus §. 29. hinc *Eccleſiaſtica diſciplina* nimis rigide exerceri non debet, ne illud accidat, quod dicitur Matth. XIII. 29. Primum enim homines haud ſunt ita ab errore immunes, ut facile Hypocritas a Fidelibus diſtinguere poſſint. Deinde cavendum, ne ex nimio rigore turbæ in Eccleſia, ac Schismata excitentur, ac ne illi ab Eccleſiæ communione arceantur, quorum ſalus in ea ſperari ac promoveri poſſet.

34. *Magiſtratibus* vero & inter Chriſtianos opus eſſe, eosque legitime a Chriſtianis geri, ac judicia exerceri poſſe; nec non ab omnibus obediendum eſſe, ſi nihil jubeant, quod divinis Præceptis aperte ſit contrarium, probatur in expoſitione Præcepti V. Decalogi; quod in Evangelio non abrogatum, ſed potius confirmatum eſt. Vid. *Theol. pract.* C. VI.

35. *Ar-*

35. *Arma* capere ad defenſionem Vitæ ac Bonorum, imprimis Patriæ, juſſu ſummi Imperantis, illicitum Chriſtiano non eſt, cum nullibi in Evangelio vetetur, probatur quoque ad præcept. VI. Pariter *Juſjurandum* certis de cauſſis dicendum ibid. ad Præcept. III. unde, quæ huc pertinent, erunt petenda.

36. *Baptiſmus* etiam Infantibus Chriſtianorum conferendus eſt: id quod multis demonſtratur, tum ex Præcepto Chriſti, tum ex Praxi antiquæ Eccleſiæ, tum aliis rationibus, *Dogmat.* Sect. II. de *Sacram.* Cap. III. §. 42. ſeqq.

37. Videnda nunc ſunt, quæ objiciant noſtræ doctrinæ. Primum Eccleſiæ & quorumvis fidelium plenam perfectionem probare conantur ex Matth. V. 48. 1 Cor. II. 6. Phil. III. 15. item Eph. V. 26, 27. Sed nos ex his locis partim ſolum intelligimus noſtrum & totius Eccleſiæ officium; partim eam ipſi perfectionem competere, quæ dicitur *Perfectio partium*, & in ſinceritate Fidei ac obedientiæ evangelicæ conſiſtit.

38. Civilem *Magiſtratum* inter Chriſtianos eſſe non debere, colligunt ex Matth. XX. 25, 26. Sed dum hoc faciunt, confundunt Eccleſiam cum Republica. Nam Chriſtus vetat dominationem in Eccleſia, de qua ibi agitur, non in Rep. Hinc ergo colligendum, haud debere nos dominationem

in Eccleſia quærere, quoniam dominari ſolis conveniat Reipublicæ moderatoribus.

39 Dicunt; non debere Chriſtianos dominari, ſed humilitati ſtudere, & Chriſtum imitari. Reſpond. Hæc duo inter ſe non pugnant, poteſtatem aliquam in Statu civili habere, & humilitatem ac ceteras Chriſti virtutes imitari. Hoc enim æque Rex facere & poteſt & debet, ac ſubditorum viliſſimus. Oportet enim, ut quisque in ſuo Statu humilem & manſuetum gerat animum, & Chriſtum ſibi imitandum proponat.

40. Quod autem primi Chriſtiani Magiſtratum non geſſerunt, id ex Statu rerum ac temporum factum eſt. Tum enim Principes & Magnates pauci adhuc in Chriſtum credebant. Interim non videmus, eos, qui in publicis Muneribus conſtituti fuerunt, hæc deſeruiſſe, cum Chriſtianam Religionem profiteri inciperent: Sed retentis dignitatibus civilibus, Eccleſiæ per ſuam, quam in Rep. habebant, auctoritatem prodeſſe ſtudebant.

41. *Jusjurandum* Chriſtianis illicitum eſſe colligunt ex Matth. V. 34. & Jac. V. 12. item ex eo, quod Charitas jubeat potius credere proximo, affirmanti, quam ut juramentum ab illo exigamus. Sed conſtat imprimis ex ſerie ſermonis, Matth. V. non vetari Jusjurandum ſolemne, & ob graves cauſſas a Judice ſeu ſuperiore præſcriptum: Sed illas ſolas jurandi formulas, quæ in communi colloquio apud Judæos pariter ac apud Genti-
les

les nimium frequenter adhibebantur. Nec vetat Chriſtiana charitas, graviorem confirmationem teſtimonii aut promiſſi, vel dare vel accipere, ubi rei dignitas id exigit.

42. Nec etiam illicitum eſt, ad ſuam ſuorumque defenſionem adverſus injuſtum aggreſſorem *arma* capere; aut ſuperiore jubente hoſtem aggredi ac propellere, ſi vel maxime privato cuivis de Belli juſtitia atque cauſſis non conſtet. Eo non obſtante manet Regnum Chriſti Regnum Pacis & Charitatis. Bellum enim & uſus Armorum non ad Eccleſiam, ſed ad Rem Civilem pertinet, cujus conſtitutio cum Præceptis Evangelicis conſiſtere poteſt.

43. *Infantium Baptismus* non vetatur, ſi Baptizandi jubeantur *doceri* prius, deinde *baptizari*, quod Matth. XXVIII. 19. præſcribi putant. Nam id ad eos pertinet, qui jam ad ætatem adultam pervenerunt. Ceteri *fiunt diſcipuli* Chriſti, ſi a Parentibus Chriſtianis ad Baptismum offerantur, ac deinde in Religione Chriſtiana educentur. Nec etiam Baptismus ſemel acceptus ullam ob cauſſam repetendus eſt, niſi aliquid in eo eſſentialiter requiſitum fuerit neglectum. Quod enim ex Act. XIX. 5. adfertur exemplum, huc non pertinet.

44. Ex iis, quæ §. 29-33. dicta ſunt, haud difficulter colligitur, quid ſit reſpondendum iis, qui *Separatiſtæ* dicuntur. Hi ſunt, qui ex ea ſola cauſſa, ut quidem aiunt, Eccleſiæ communione

abſtinent, quod in ea promiſcue vivant boni & mali, & quod Sacris non arceantur homines ſcandaloſi. Nonnulli addunt hanc quoque rationem, quod Miniſtri Eccleſiæ haud pauci ſint vitioſi. Alii porro dicunt, non adultis in fide, ſeu perfectioribus; ſed tironibus atque incipientibus ſolis, neceſſaria eſſe illa Cultus divini externi ac publici elementa &c.

45. Huic poſtremæ rationi imprimis ſatisfiet, ſi ſolide probetur, Miniſterii Eccleſiaſtici uſum, & omnium illarum rerum, quibus publica ædificatio promovetur, non incipientibus modo, ſed & illis deſtinatum eſſe, qui ulterius jam ſunt progreſſi. Iſtud optime fiet, ſi doceatur, non ad plantandam modo Eccleſiam, ſed ad eandem magis magisque perficiendam, ea omnia inſtituta eſſe. Vid. Eph. IV, 11, 12. & ſeq.

46. Porro in eo erratur ab iis, qui ſic ſentiunt, quod Cultum divinum externum, eumque publicum, haud neceſſarium credunt, qui tamen in officiis hominis Chriſtiani continetur, prout variis rationibus non ex Veteri modo, ſed & ex N. T comprobari poteſt. Sed hæc probatio pertinet ad *Practicam Theol.* Quod vero ad *S. Cœnæ* uſum cum aliis promiſcuum attinet, de eo vidend. *Theol. Dogmat.* Sect. II. C. 4. §. 57.

47. Eſt & alia quædam Secta, quæ ſe *Fratrum Moravicorum* Cœtum nominat, ab aliis vero nomine *Herrnhuthianorum*, a loco primæ commorationis, & *Zinzendorfianorum*, a Capite

Sectæ,

Sectæ, appellatur. Hæc *Fanaticis* jure accenſetur, quoniam immediatis Spiritus S. operationibus in ſe plurimum tribuunt, quibus præter S. Scripturam de variis rebus ad ſalutem & Eccleſiæ ſuæ conſtitutionem pertinentibus edoceantur.

48. De his inſtar omnium, qui ingenti numero contra hanc Sectam ſcripſerunt, commendamus, ut concinnum compendium, Præfationem illam, quæ *Joh. Stinſtræ* Admonitioni de cavendo Fanaticiſmo præmiſſa in verſione gall. & germ. eſt. Originem Secta habuit apud Germanos, circa A. 1730. quo *Ludovicus* Comes de *Zinzendorf*, ad ſui ingenii modum conſtituere cœpit eorum hominum cœtum, quorum nonnulli ob perſecutiones Cleri pontificii *Moravia* egreſſi in Luſatia ſuperiore, ejuſque ea parte, quæ Comitis illius ditioni ſubjecta erat, ſedem fixerant, alii vero aliunde paſſim acceſſerant.

49. Hæc ab initio habebatur pro parte Eccleſiæ Lutheranæ, ſola diſciplinæ *Fratrum Unitatis Moravicæ ac Bohemicæ* uſu & exercitio a reliquis diſtincta. Sed mox alia omnia apparuerunt. Siquidem Comes ille *Epiſcopus* eorum creatus, formam peculiarem externi regiminis & diſciplinæ illi Cœtui tradidit, ac dein ſui generis homines per omnes fere Germaniæ ac totius Europæ, immo & aliarum Orbis partium regiones emiſit, ipſeque hinc inde peregrinatus eſt,

ac paſſim ex Eccleſiis proteſtantium ſibi Sectatores collegit, eorumque privatos Cœtus conſtituit.

50. Ex hoc ipſo ſtudio Sectam ſuam inter omnes Gentes, etiam in Eccleſiis Proteſtantibus, propagandi, patet, eam ab iſtorum inſtitutis eſſe diverſam. Si enim diverſa non eſſet, haud conatus eſſet ille Comes, Cœtus peculiares in iſtis Eccleſiis colligere. Ea, quibus differunt hi Cœtus a Proteſtantibus, præter *Fanaticiſmum*, de quo §. 47. ſunt & alia, illis cum Fanaticis communia. Dein *Syncretiſmus*, & *Dominium* in Conſcientias notatur.

51. *Syncretiſmus* eorum eſt, dum quarumvis Eccleſiarum homines in ſuam Fraternitatem recipiunt, licet illis externe adhærere, & communibus Sacris uti pergant, diverſitatem doctrinæ haud curantes, dummodo in hoc conveniant, Jeſum eſſe Salvatorem Mundi. Interim tres in ſuo cœtu, quos vocant, *Tropos*, id eſt, Formas dicunt eſſe, quarum una ſit Fratrum *Moravorum*, altera *Lutheranorum*, tertia *Reformatorum*.

52. *Dominium* in Conſcientias exercuit ipſe præcipue, quoad vixit, Comes, ac poſt ipſum alia Sectæ Capita; a quibus conſtituta eſt peculiaris quædam *Hierarchia*, cujus Caput, ſeu Principem dicunt eſſe *Salvatorem*, cujus-nomen omnibus ſuis decretis prætexunt, voluntque, ut omnis Cœtus, omniaque ejus paſſim diſperſa Membra

Membra non aliter ea recipiant, ac ſi ipſius *Salvatoris* eſſent mandata. Hicque eſſe videtur verus hominis character, qui huic Sectæ addictus eſt, ſi illius, quem vocant, *Salvatoris*, decretis in omnibus ſe ſubjiciat per cœcam obedientiam.

53. Hoc ſubjectionis genus non modo ad res *Eccleſiaſticas* pertinet; immo potius illis, qui extra Cœtus illorum vivunt, libertas relinquitur, ſuis Eccleſiis inhærendi, earumque dogmata & inſtituta ſequendi; cum e contrario in ipſis Cœtibus innumera externorum inſtitutorum obſervetur multitudo: Sed & præcipue ad *Oeconomica* extenditur, ita ut de Bonis; de Conjugibus, de Liberis pro arbitrio conſtituant Cœtus Capita, non eorum tantum, qui in Cœtu vivunt, ſed & reliquorum, qui iis ſe ſubjiciunt.

54. Alia ſunt multa, quibus iſta Secta tum docendis, tum agendis indulget, quæ recenſentur in Libello §. 48. citato. Hisque omnibus pateſcit, non eſſe eam, quam ſe eſſe dicit, veram *Fratrum Bohemicorum* & *Moravicorum* propaginem. De his enim multa præclara, ſed ab *Herrnhutianis* diverſiſſima tradit Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Vid. *Weismanni* Hiſt. Eccl. N. T. Sæc. XV. Sect. 30. §. 10. ſeqq. Nec non quæ ad Sæc. XVIII. pertinentia habet Edit. II. ejus Operis.

Theol. Polem. Cap. VI. *de Pontificiis.*

1. *Pontificii* dicuntur illi, qui *Romani Pontificis* auctoritatem ſequuntur. & in illa *Eccleſia* vivunt, quæ *Romana* dicitur. Iidem aliquando *Papiſtæ*, & Religio ipſa *Papatus*, appellatur, quia Pontifex R. idem & *Papa* eſt.

2. *Eccleſia Romana* initium habuit primis poſt Chr. temporibus, & a primis Evangelii præconibus plantata eſt. Fuit ergo primum vera & orthodoxa illa Eccleſia. Deinde paullatim a puritate Evangelii defecit; & primum quidem introductus eſt *Primatus* Papæ, quo non modo Romanæ, quæ Urbis & circumjectæ regionis ambitu continebatur; ſed & univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ præeſſe, ac reliquos Orbis terrarum Epiſcopos ſibi obnoxios habere voluit.

3. Id quomodo factum ſit, & quibus gradibus *Rom. Epiſcopus* eo pervenerit, ut tandem in magna parte Orbis terrarum Religionis principatum teneret, docet Eccleſiaſtica Hiſtoria Primus, qui aliquid ſimile conatus eſt, fuit Sæc. II. poſt C. N. *Victor*, Rom. Epiſc. qui Aſiaticas Eccleſias excommunicavit, eo quod in celebratione diei Paſchatis ejus ſententiam non ſequerentur. Non impetravit tamen Aſiaticorum obedientiam, & a multis quoque Occidentalibus Epiſcopis ob hanc audaciam reprehenſus fuit *Victor*. Vid. Euſeb. H. E. V. 24.

4. Si-

4. Simile quid poſtea Sæc. III. tentare viſus eſt *Stephanus*, de Bapt. *Hæret.* cum aliis Epiſcopis contendens. Non tamen obtinuit, ut omnes in ipſius ſententiam concederent. Magnos iſtos Spiritus Romanis Epiſcopis excitabat Urbis Romanæ dignitas, quæ ut Caput Imperii, & Principis Sedes, ipſum quoque Epiſcopum efferebat.

5. Feliciorem in hoc ſucceſſum habuerunt Rom. Epiſcopi, poſtquam Imperatores cœperunt eſſe Chriſtiani. Horum primus, *Conſtantinus* M. non modo Imperium in varias diviſit *Diœceſes*, quarum præcipua erat Romana; ſed & mox Imperii ſedem Conſtantinopolim tranſtulit. Inde Rom. Epiſcopus abſente Imperatore ſuam auctoritatem in immenſum augere paulatim potuit.

6. Eam deinde poteſtatem ipſi Principes auxerunt. In quibus *Phocas*, Orientis Imperator, circa initium Sæc. VII. cum ſcelerum ſuorum approbationem ab Epiſcopo Conſtantinopolitano impetrare non poſſet, Romanum ſibi conciliavit, ejuſque rei cauſſa nomen *Oecumenici* ſ. univerſalis *Epiſcopi* ad ipſum, qui tum erat *Bonifacius* III. detulit. Eum ille titulum cum Succeſſoribus haud inanem habuit; ſed poteſtatem ſupremam in omnes Eccleſias exercere cœpit; idque in Occidente quidem obtinuit, ſed non in Oriente.

7. Acceſſit deinde *Francicorum* Favor *Regum,*

gum, quo Epiſcopus Rom. Sæc. VIII. & IX. in immenſum elatus, & Regionum quarundam donatione ditatus eſt. Ipſum vero Urbis Romæ dominium ac potentiæ faſtigium ſummum Sæc. XI. per certamina *Gregorii* VII. cum *Henrico* IV. Imp. adeptus eſt. Introducta interim eſt opinio de Paparum *Infallibilitate*; nec non *immunitas* eorum, ac omnium Clericorum, a Civili Principum poteſtate, ut Rom. Epiſcopus Eccleſiæ univerſæ per Occidentem ſolus præeſſet, Clericique omnes ipſum pro *Capite* ſuo agnoſcerent.

8. Hoc eſt fundamentum firmiſſimum, quo ſuſtinetur jam Romana illa Eccleſia, cujus deinceps dogmata ordine pertractabimus. Primaria enim Hypotheſis Pontificiorum hæc eſſe videtur: *Extra Eccleſiam Romanam*, adeoque extra *Dependentiam*, ut ita dicamus, *a Pontifice*, tanquam Capite Eccleſiæ infallibili ac perpetuo, nullam dari Salutem.

9. Errores vero, quorum arguimus hanc Eccleſiam, ab initio quidem triplicem habuerunt fontem. 1. Ambitionem Rom. Epiſcoporum, ſuam poteſtatem indies magis extendentium. 2. Diſciplinam Eccleſiæ primitivæ rigidiorem, ſequentibus temporibus corruptam. 3. Studium Cæremoniarum & Pompæ ex Paganiſmo in Eccleſiam introductæ, ut hac ratione Plebs magis alliceretur.

10. Tria

10. Tria interim conſideranda Capita; unum de *Hierarchia*, ſeu Regimine Eccleſiaſtico; alterum de *Doctrina* & *Fide*; tertium de *Ritibus* & *Cultu.* Omnia vero nunc ad illud unicum Syſtema, de quo §. 8. dictum, concurrunt. Nos ſingula ſeorſim pertractabimus.

Sectio I. de *Hierarchia Pontificia.*

1. Ut Rom. Pontifex ſuum in omni Eccleſia *Primatum* & Principatum magis ſtabiliret, perſuadere omnibus conatus eſt, eum eſſe Juris divini; & ab ipſo Chriſto inſtitutum, ut eſſet Papa ejus *Vicarius*, & *Caput viſibile* Eccleſiæ in Terris, quod habeat omnem poteſtatem in Eccleſia, & cujus Subditi non modo ſint *Laici*, ſed & *Clerici* omnes, ipſique ceteri Epiſcopi & Archiepiſcopi.

2. Nos vero e contrario ſtatuimus, in Eccleſia Chriſti nullum aliud *Caput* eſſe, præter ipſum Chriſtum; qui propterea ſolus in Eccleſia loquens in Verbo ſuo per Miniſtros prædicato, audiendus eſt. Id notatum *Dogmat.*Sect.I.§.506. Chriſtus autem *Vicario* opus non habet; nec *Papa* eſt *Caput viſibile* Eccleſiæ in terris, quippe quod ex S. Litteris probari non poteſt.

3. *Vicarius* is eſt, qui alterius vel abſentis, vel impotentis, vel negligentis munere fungitur. Atqui Chriſtus ab Eccleſia nunquam eſt *abſens*, Matth. XXVIII. ult. nec *impotens*, ibid.

ibid. ℣. 18. *Negligentem* vero eſſe nemo ſine blaſphemia dixerit.

4. Omnes ergo illi, quorum opera utitur DEVS in ſua Eccleſia nil aliud ſunt, quam *Miniſtri*, 1 Cor. III. 5. *Oeconomi* ſ. Diſpenſatores Myſteriorum Dei, a quibus nihil aliud requiritur, quam *ut fidi ſint*, 1 Cor. IV. 1, 2. 1 Petr. IV. 10. Nullus ergo eſt Dominus ſeu Princeps, præter D. N. J. C.

5. Nec ullo argumento probari poteſt, *Rom. Pontificem Chriſti in Terris Vicarium eſſe*, ac ſummum in Eccleſia Imperium obtinere debere. Nullibi enim illius poteſtatis in S. Scriptura fit mentio, nedum ut id de eo adfirmetur. Loca pauca, quæ Pontificii allegant, prorſus alium habent ſenſum. Si vero poſtulant, ut hæc eo ſenſu intelligamus, quo Rom. Pontifex vult, circulum in ratiocinando committunt. Nam id, quod quæritur, probant per idem, de quo diſputatur.

6. Provocant ad Matth. XVI. 18. ubi *Petrus* dicatur illa *petra*, ſuper quam Chriſtus ædificaturus fuerit ſuam Eccleſiam; *Papam* autem dicunt eſſe *Petri Succeſſorem*, atque adeo Eccleſiæ Chriſtianæ *Principem*. Sed complura ſunt, quæ prius probari deberent, quam conſequentia hæc fluat.

7. Probandum eſſet 1. quod *Petrus* ſit illa *Petra*; nec potius Chriſtus, aut Petri de Chriſto Confeſſio, de qua ibi agitur. 2. Quod

2. Quod Petrus fuerit *Princeps Apoſtolorum.* 3. quod Petrus *fundaverit* Eccleſiam Rom. 4. quod *Papa* quilibet ſit *Petri* ſucceſſor. 5. quod ea privilegia, quæ *fundatori* Eccleſiæ competunt, in *Succeſſores* devolvantur. 6. quod non idem per omnia de *ceteris Apoſtolis* eorumque Succeſſoribus dici poſſet: Nam Eph. II. 20. Eccleſia omnium Apoſtolorum fundamento ſuperſtructa dicitur, non unius Petri.

8. Adde, quod ex ipſis Pontificiorum variis Hypotheſibus ſequatur, ſciri nunquam certo poſſe, an aliquis ſit *legitimus Papa*, nec ne. Sæpiſſime contigit, ut electio eſſet vitioſa. Hinc orta Schismata. Multi per *Simoniam* adepti ſunt Pontificatum. *Genebrardus* in Chron. ad a. 901. teſtatur, quinquaginta circiter Pontifices illegitimos una ſerie fuiſſe. Similia apud *Baronium* in principio Sæc. X. legimus.

9. Si Pontificiorum argumentatio valeret, ſequeretur Chriſtum Petro & iis, qui dicuntur ejus Succeſſores, majorem poteſtatem tribuiſſe, quam ipſe exercuit. Nam neque pro auctoritate ſola quidquam docuit; ſed ad S. Scripturas provocavit, Joh. V. 39. X. 37. 38. quod non facit R. Pontifex. Neque ullum ſibi ſumſit jus in Principes Mundi, quod faciunt Pontifices, ut docet Hiſtoria.

10.

10. Atqui, inquiunt, *Petro* traditæ ſunt *Claves regni Cælorum*, Matth. XVIII. 18. Sed negamus nos, ſoli *Petro* eas traditas. Vid. Joh. XX. 23. Porro Claves illæ datæ ſunt ad remittenda aut non remittenda peccata. Hoc fit per Miniſterium annuntiationis & declarationis, quod non pro arbitrio, ſed ad normam in Verbo Dei præſcriptam exercendum.

11. Petrus juſſus eſt *paſcere Oves* Chriſti Joh. XXI. 15-17. *Oves* ſunt univerſa Eccleſia, & *paſcere* ſignificat, ſummam poteſtatem exercere. Reſpondemus: 1. Non *ſoli Petro* id Munus eſt mandatum; ſed omnibus Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ; Eph. IV. 11. Act. XX. 28. 1 Petr. V. 1, 2. Porro *Oves* in loc. cit. non ſunt Eccleſia univerſa, ſed illa Eccleſiæ pars, quæ cuivis paſcenda obtingit. Nemo enim unus omnium Paſtor eſt, niſi Chriſtus §. 2. Tandem *paſcere*, non eſt poteſtatem abſolutam in Eccleſia exercere; ſed gregis curam habere, ita, ut pabulum ſalutare inveniat, & a periculis protegatur: Vid. Joh. X. 11. ſeq.

12. Addi poteſt, quod *Petrus* nunquam *Primatum* illum ſibi tributum exiſtimaverit, aut eum exercuerit. Hinc nec Hieroſolymitanam Synodum convocavit, nec in ea præſedit; Act. XV. 5. ſeqq. Non correxit *Paulum*, ſed ab illo, ob peccatum, correctus eſt; Gal. II. 11. Non miſit ipſe alios, ſed ab aliis miſſus eſt; Act. VIII. 14. Non ab aliis ratio-

rationem factorum exegit, ſed ipſe reddidit; XI. 2. ſ.

13. Sed ſi vel maxime concedatur Primatus in Eccleſia *Petro* datus, num inde ſequitur, eum ad R. Pontifices devolutum eſſe? Id quidem ſic probare contendunt Pontificii: *Petrus* primus fuit Epiſcopus Rom. *Pontifices* ſunt ejus ſucceſſores: ergo ad illos devolutus eſt ille primatus.

14. Sed, ut taceamus, multos eſſe, qui negent, *Petrum Romæ fuiſſe*; illud ſane certum eſt, eum illius Eccleſiæ non fuiſſe *Epiſcopum*. Non enim potuit ille uni Eccleſiæ Miniſterium ſuum addicere, cum eſſet Apoſtolus, ad docendas omnes Gentes miſſus; Matth. XXVIII. 19, 20.

15. Objiciunt exemplum *Jacobi*, qui fuit Epiſcopus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Reſpondemus: An ille fuerit Apoſtolus a nonnullis dubitatur. Vid. *Euſeb.* H. E. I. 12. & *Epiph.* Hæreſ. 78. Si vero is fuiſſet Apoſtolus, facile patet ratio, cur Apoſtoli voluiſſent unum ex ſuo numero præeſſe Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, primæ omnium, & reliquarum Matri.

16. Nec antiqui Eccleſiæ Doctores magis dicunt, *Petrum* Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, quam *Paulum*. Utrumque enim docent eam Eccleſiam conſtituiſſe. Ab iisdem etiam viventibus conſtitutus eſt alius Romæ Epiſcopus, eo quod ipſis neceſſe eſſet alias regiones adire. Vid. *Epiph.* Hæreſ.

 XXVII.

XXVII. Quod vero *Baronius* & alii de xxv. annis, quibus *Petrus* eum Epiſcopatum geſſiſſe dicitur, narrant, id temporibus non convenire, ipſi doctiores inter Pontificios fatentur, ut *Pagius*, *Valeſius*, &c.

17. Porro; ſi vel maxime Petrus eum *Primatum* habuiſſet, ſique Romæ fuiſſet Epiſcopus, haud ſequitur, eum illi Eccleſiæ Primatum perpetuo adfixum fuiſſe, ac ad Rom. Epiſcopos tranſiiſſe. Nam & ipſi fatentur Pontificii, Petrum prius per VII. annos *Antiochiæ* Epiſcopum fuiſſe, quam Romam abiret. Sic huic potius Antiochenæ Eccleſiæ Primatus ille deberetur, ſi locum haberet.

18. Canone quidem VI°. *Concilii Niceni* inter præcipuas ſedes Eccleſiarum primus datur locus Romano Epiſcopo. At ratio ejus rei non fuit *Primatus Petri*, ſed Primatus, ſeu *Principatus Urbis*, prout in *Conſtantinopolitano* & *Chalcedonenſi* Concilio declaratum fuit. Cum ergo jamdudum ceſſaverit ille Urbis Principatus, etiam ille Primatus Epiſcopi ceſſare debuit.

19. Alia, ſed allatis infirmiora, argumenta Adverſariorum brevitatis ſtudio omittimus. Cum vero idem Pontifex R. ſtatuatur *infallibilis* & irrefragabilis Controverſiarum *Judex*; oportet ut nunc ad iſtam quæſtionem pergamus.

20. Pontificii ſtatuunt; 1. Viſibilem in Eccleſia ſemper adeſſe debere *Judicem*: 2. Hunc eſſe Romanum Pontificem: 3. Eum eſſe

eſſe Infallibilem, adeoque irrefragabilem. Nos vero omnia iſta negamus, docemusque, in omni dubitatione aut controverſia ad S. Scripturam eſſe recurrendum, & quod ex ea poſt pium & diligens Examen intelligitur, pro vero recipiendum.

21. Sic vero probare conantur *Judicis* in Eccleſia *viſibilis* neceſſitatem, ut dicant, Controverſias fidei non ſemper componi per S. Scripturam poſſe. Sic eas fore perpetuas. Reſpondemus: Inde non ſequi, neceſſarium eſſe Judicem viſibilem. Nam probari prius hæc duo deberent. 1. Deum velle, ut nullæ prorſus in Eccleſia ſint controverſiæ. 2. Judicem talem fore idoneum, omnibus exſtinguendis diſſenſionibus, remedium.

22. Nos utrumque negamus. Prius quidem ob S. Scripturæ ſententias, quæ oſtendunt, DEUM permittere conſtituiſſe, ut in Eccleſia Chriſtiana ſint quædam diſſidia. Vid. 1 Cor. XI. 19. Alterum vero partim experientia refellit: Nam in Rom. Eccleſia, ubi talis Judex creditur, nunquam defuerunt nec hodie deſunt diſſidia: partim hoc, quod Deus in Verbo ſuo talem non inſtituit; quod tamen ſine dubio feciſſet, ſi eum neceſſarium aut utilem cenſuiſſet.

23. Quod autem de S. Scripturæ *obſcuritate* objiciunt, id jam refutatum eſt, cum de illius *perſpicuitate* ageretur, *Dogmat.* Sect. I. §. 283. ſeq. Neque ſane Judicis in Eccleſia Rom. recepti ſententia ſemper ſatis perſpicua

 eſt,

eſt, quod patet ex diverſis expoſitionibus deciſionum aut decretorum in Conciliis aut a Pontificibus editorum. Exempla habemus in Synodi Trident. decreto de Verſ. Vulg. αὐθεντεία, item de Gratia; nec non in ſententiis Pontificum de Controv. Janſeniſt. & de Cultu Sinenſium.

24. Objiciunt porro; eſſe dogmata, de quibus in S. Script. nihil definiatur; ea ergo a Judice in Eccleſia conſtituto decidi debere. Reſp. ſi quædam dogmata in S Scriptura non continentur, tum non ſunt dogmata fidei. Nam S. Script. *perfecta* eſt, & continet omnia ad ſalutem neceſſaria: *Dogmat.* Sect I. §. 277. ſeqq.

25. Aliud argumentum pro neceſſitate Judicis Controverſiarum in Eccleſia adferunt hoc, quod in V. T. talis fuerit a Deo conſtitutus, Deut. XVII 8. ſ. Reſp. 1. Alia ratio V. alia N. Teſtamenti. In illo magis per auctoritatem, in hoc magis per cognitionem Eccleſiam regi voluit Deus. Jerem. XXXI. 31. 2. Non ibi de Controverſiis fidei, ſed de Jure & Legibus forenſibus, ſermo eſt, in quibus omnino Judice opus eſſe credimus.

26. Porro dicunt Pontificii: omnibus temporibus ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ talis Judicis neceſſitatem agnitam fuiſſe: inde convocatum Hieroſolymis *Concilium* Act. XV. inde alia *Concilia*. Univerſalia & particularia. Reſp. Concilium Hieroſol. non convocatum

eſt,

eſt, ut Judex; ſed ut in deliberatione plurium audirentur ſententiæ. Porro illud Concilium poterat reſpondere ṽ. 28. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Aderant enim Apoſtoli, Θεόπνευςοι.

27. In ceteris Conciliis id dici non potuit, ubi nemo fuit Θεόπνευςος. Nec ſane prima illa Concilia ſibi ſumſiſſe auctoritatem talem videmus; ſed ſolummodo declaraſſe, quænam eſſet publice recepta Eccleſiæ Chriſt. ſententia. Diſſentientes judicium Conciliorum haud ſequebantur, ſed in diſſenſu plerumque pergebant, adeo ut nulla eſſet Concilii auctoritas, niſi apud eos, qui intelligebant ejus decreta cum S. Litteris conſentire.

28. Neque etiam inter ipſos Pontificios extra controverſiam eſt, quinam ſit ille Judex Controverſiarum. Alii dicunt *Concilium*, *præſidente Papa* ſeu per ſe, ſeu per Legatos: & ne hoc quidem, niſi poſtea a Papa confirmatum fuerit. Alii *Concilium ſine Papa*, alii *Papam ſolum* pro Judice habent. Sic rurſus alii Papam Concilio ſubjectum, ut Galli, alii eum Concilio ſuperiorem, ut Itali, cenſent. Quid ergo proderit ille Judex, de quo, quis ſit, diſceptatur?

29. *Infallibilitatem* vero hujus Judicis probare nituntur ex Luc. XXII. 32. Sed locus ille non de immunitate ab errore omni in fide aut doctrina, ſed de totali fidei defectu in tentatione mox ſuperventura agit. Nec exinde ſequitur, Romanum Epiſcopum infallibilem eſſe, etiamſi *Petrus*, qua Apoſtolus,

talis in docendo fuerit. Conf. § 17. Hæc Apoſtolorum Infallibilitas erat donum perſonale, ſeu ipſis proprium, quod in ſucceſſores non tranſiit.

30. *Non infallibilem* eſſe ſeu Eccleſiam ſeu Pontificem Romanum conſtat imprimis ex erroribus quorundam Pontificum, ex aliorum contradictione, & ex Conciliorum quoque Decretis contrariis, quorum ſi unum fuit verum, alterum falſum fuiſſe neceſſe eſt, Ceterum contra hanc Pontificum Infallibilitatem multis diſſerit ipſe Pontificius, *Lud. Ellies du Pin* de Antiq. Eccleſ. Diſciplina Diſſert. V.

31. Pontificii etiam tribuunt Papæ poteſtatem *Leges* in Eccleſia novas ferendi, quæ unumquemque in conſcientia obligent. Id vero nos negamus, niſi 1. eæ Leges ſolummodo ad ordinem externum; & 2. ad ſolam illam Eccleſiam pertinent, cui, ut Epiſcopus, præeſt Papa; 3. Oportet, ut accedat ſummi Imperantis approbatio. Ipſa enim Lex Dei omnem additionem prohibet, Deut. IV. 2. XII. 32. vel XIII. 1.

32. Quicumque Cultus absque Præcepto divino ab hominibus introducitur, vocatur ἐθελοθρησκεία, quam DEUS minime probat, Col. II. 23. Dein *Libertas Chriſtiana* non modo immunitatem a Lege Cæremoniali, ſed & a Præceptis Hominum, in rebus ad Religionem pertinentibus, complectitur: 1 Cor. X. 29. Gal. II. 4.

33. Nun-

33. Nunquam in S. Script. legitur, talem poteſtatem Eccleſiaſticis conceſſam. Deut. XVII. 11. de judiciis Sacerdotum circa Leges cæremoniales & forenſes agit, § 25. Neque huc pertinet Matth. XVI. 19. nec Act. XV. 29. Et, ſi quæ Leges factæ ſunt ab Apoſtolis ad Eccleſiæ bonum promovendum, non licet idem facere aliis Eccleſiæ præſidibus, niſi ita ut dictum §. 31. & ut Leges Apoſtolicis ſint conformes.

34. Porro ex *Primatu* Rom. Pontificis deducunt hanc ſequelam; omnes reliquos Epiſcopos ſuam poteſtatem a Romano accipere. Inter argumenta, quibus utuntur, iſtud videtur præcipuum, quod jam olim Eccleſiarum Chriſtianarum Epiſcopi hunc Primatum agnoverint. Sed id jam diximus factum eſſe ob Urbis Romæ inter omnes Urbes Imperii R. primatum. Ille vero R. Epiſcopi Primatus non in *poteſtate*, ſed in *ordine* tantum conſiſtebat. E contrario *Cyprianus* de Unit. Eccleſ. ait: *Unum tantum eſſe Epiſcopatum, cujus a ſingulis in ſolidum pars teneatur.*

35. Tandem etiam tribuitur R. Epiſcopo, non directa quidem, ſed tamen indirecta, eaque ſumma *poteſtas in rebus temporalibus*, etiam Principum, diſponendi, quæ ad Bonum ſpirituale pertinent. Sed hanc nos exiſtimamus prorſus cum natura Muneris Epiſcopalis pugnare. Vid. *Dogmat.* Sect. I. §. 545. & ſeqq.

36. Periculoſum hoc eſt dogma, quod

omnes Chriſtianos Principes poteſtati Papæ ſubjicit, cum tamen ſecundum Legem divinam in terris non habeant ſuperiorem; ſed ſoli DEO rationes reddere teneantur. Nec Evangelium ſeu Religio Chriſtiana quidquam ei rei contrarium ſtatuit, nec ſubditos alicujus Principis alii poteſtati ſubjicit, aut a ſui Principis obedientia liberat, niſi in iis, quæ ſunt aperte contra Præcepta Dei: Tum enim *Deo magis parendum, quam hominibus*, Act. V. 29.

37. Ea quoque doctrina jus dat Principibus, Religionem talem omni adhibita vi ſuis finibus arcendi, ac ubi intravit, expellendi. Omnis enim ſummus Imperans jus habet, ſuam poteſtatem in Populos ſubjectos conſervandi; ac propterea impediendi, quominus introducatur talis doctrina, qua ipſius Majeſtas imminui, & populus alii poteſtati ſubjici poſſet.

38. Itaque talia non docet Chriſtiana Religio; ſed potius jubet omnes eſſe poteſtati civili, etiamſi illi, qui hanc adminiſtrant, a vera doctrina alieni ſint, ſubditos, Rom. XIII. 1. ſ. Jubet pro iis orare: 1 Tim. II. 1. 2. Armis ſpiritualibus, non carnalibus, noſtram fidem defendere, 2 Cor. X. 4. In quibus potiſſimum eſt Veritatis demonſtratio ſolida, conſtantia, & malorum patientia.

39. Huc pertinet quoque notio de *Eccleſia*, quam Pontificii habent, tanquam de *Societa-*

te

te Viſibili, in qua ejuscemodi Imperium, quod vocant ſpirituale, locum habeat. Ea vero ſententia refutatur ex iis, quæ diximus, *Dogmat.* Sect. I. §. 514. 515. Sic & de *Notis*, quibus vera Eccleſia a falſis diſtinguitur, actum ibid. §. 521. 522.

40. Ut autem poteſtas illa Romani Pontificis Miniſtrorum opera ſuſtineatur & confirmetur; hinc ſtatuitur Eccleſiaſticos, quos dicunt *Clericos*, *ab omni poteſtate Civili exemtos* eſſe, & quidem jure divino, ita ut nulla de cauſſa ad forum civile in jus vocari, aut ab eo judicari poſſint. Refellitur hæc ſententia ex iis, quæ dicta ſunt §. 38.

41. Probare tamen eam ſententiam conantur Pontificii variis rationibus. 1. quia *Paſtor* non debet judicari ab *Ove*. Sed Princeps eo tantum reſpectu *Ovis* eſt, quatenus docetur a *Paſtore*, & Sacramentis utitur. In ceteris eſt etiam *Paſtoris* Superior. 2. quia apud alias quoque Gentes immunitas conceſſa fuerit Sacerdotibus. Sed hoc falſum eſſe antiquæ Hiſtoriæ docent.

42. Ut autem *Clerici* ab omni poteſtate civili immunes nihil aliud curarent, quam Eccleſiæ commoda, hinc & illis interdictum eſt *conjugio*. Ei rei colorem inungunt ex eo, quod Præceptum Sacerdotibus legitur in V. T. ut dum ſacris operarentur, puri eſſent: Sacerdotes autem Pontificios quotidie Miſſam celebrare & Sacrificium offerre poſſe. Sed negatur matrimonium eſſe impurum; Hebr.

XIII. 4. Legales enim illæ impuritates locum non amplius habent.

Sect. II. *de ceteris erroribus.*

1. Ceterum ad poteſtatem iſtam, quam Rom. Pontifices ſibi adquiſiverunt, haud parum contulerunt varii *errores*, quibus doctrina Religionis Chriſt. & *abuſus*, quibus Cultus ac Diſciplina, corrupta paullatim eſt. Hæc paſſim in *Dogmat.* & *Practicis* notata ſunt. Origines ſingulorum pandit Hiſtoria Eccleſ. Doctores illi, qui dicuntur *Scholaſtici*, cœperunt ſyſtema componere; cumque a Reformatoribus Eccleſiæ hæc, quæ prava erant, certatim impugnarentur, coacta tandem eſt Romana Curia, ut omnia denuo expendi, ac publica auctoritate definiri juberet; quod factum Sæculo XVI. in *Concilio Tridentino.*

2. Hoc Concilium, quamvis ab omnibus partibus Eccleſiæ Rom. non recipiatur totum; tamen quoad doctrinam *Fidei* habetur pro Norma eorum, quæ docenda & credenda ſunt ab omnibus, nec quisquam ad Sacerdotium admittitur, niſi Jurejurando caverit, ſe fideliter obſervaturum eam eſſe. Inde ex decreto illius Concilii conſcripta fuit *Confeſſio Fidei*, cui omnes ſubſcribere tenentur. Poſt hæc etiam compoſitus *Catechiſmus*, qui dicitur *Romanus.*

3. Ex his ergo Monumentis, tanquam ex *Libris Symbolicis* ac publica Auctoritate receptis, cognoſcitur, quænam ſit Rom. Eccleſiæ de ſin-

ſingulis Religionis Capitibus ſententia. Nos hic breviter præcipua ex illis exhibebimus, in quibus ab illa recedit noſtra Eccleſia.

4 Primum notandus diſſenſus de *Norma* Religionis Chr. Hanc cum Proteſtantes ſtatuant *ſolam* eſſe *S. Scripturam*, Pontificii negant, ac *Traditionem*, ut vocant, *Apoſtolicam* addunt. Propterea ſtatuunt, S. Scripturam nec *integram*, nec *perfectam*, nec *perſpicuam* eſſe; nec propterea ab omni populo Chriſt. *legendam*, qui nec de ejus divinitate, nec de ſenſu certus ſit, niſi ex *Teſtimonio* & *Interpretatione Eccleſiæ.*

5. De ceteris Capitibus ſtatuunt Pontificii; 1. Hominem *juſtificari* per infuſionem Juſtitiæ, non per imputationem. 2. Hominem *ſola fide* non juſtificari, ſed operibus eorumque merito. 3. Homini in peccatum lapſo *Pœnitentia* opus eſſe, quæ conſiſtat in contritione cordis, confeſſione oris, & ſatisfactione operis. 4. Sacerdotes eſſe *Judices Eccleſiaſticos*, qui peccata poſſunt remittere, & retinere. 5. Chriſtum non ita pro peccatis hominum ſatisfeciſſe, ut non ipſi quoque *ſatisfacere* teneantur. 6. Animas eorum, qui in peccatis venialibus mortui fuerint, in *Purgatorio* torqueri, donec inde liberentur. 7. Dein poſſe ab Eccleſia *Indulgentias*, id eſt, remiſſionem pœnæ ob peccata luendæ, per applicationem Theſauri Eccleſiaſtici, quam ſuperior legitimus faciat, concedi. 8. Eum Theſau-

rum

rum componi ex *Operibus ſupererogatoriis*, quæ ad normam *Conſiliorum Evangelicorum* fiant. 9. Huc pertinere *Vota monaſtica*, quæ ad majorem perfectionem faciant. 10. Nec non *Intercesſionem Sanctorum*; qui propterea 11. ſint *invocandi*, & *adorandi*, quemadmodum & eorum *reliquiæ* venerandæ.

6. Ad augendam & conſervandam poteſtatem Cleri pontificii pertinet: 1. quod ſint VII. *Sacramenta* Eccleſiæ. 2. Quod ad Subſtantiam eorum pertineat *Intentio Sacerdotis*. 3. Quod ea hominem juſtificent ex *Opere operato*. 4. Quod per *Conſecrationem* Sacerdotis, quæ in pronuntiatione Verborum: *Hoc eſt Corpus meum*: conſiſtat, Elementorum in S. Euchariſtia fiat *Tranſubſtantiatio*. 5. Quod *Miſſa* ſit *Sacrificium* pro Peccatis Vivorum & Mortuorum. 6. Quod ſoli Sacerdotes *ſub utraque* ſpecie, Laici vero tantum *ſub una*, communicare debeant.

7. De ſingulis iſtis Capitibus actum ſuis locis in *Theol. Dogmat.* Sect. I. & II. Quoniam vero longam & difficilem diſputandi hanc rationem vident Pontificii, ſi Capita ſingula examinemus: Hinc breviores excogitarunt vias, quas appellant *Methodos cum Proteſtantibus diſputandi*. Horum una eſt de *Jure Præſcriptionis*. Altera de *Conſequentiis* ex S. Script. non admittendis. Tertia de *Via Auctoritatis* pro Examine ſingulorum dogmatum ſubſtituenda.

8. Quia de duabus poſterioribus alibi dictum

ctum *Theol. Dogmat.* Sect. I. §. 293. & 541. nunc de ſola prima agetur. Utuntur autem *Præſcriptionis* titulo eum in finem, ut imperitis perſuadeant, ſibi non imponi poſſe onus dogmata ſua probandi: Satis eſſe, quod doctrina & cultus Eccleſiæ R. diu in Uſu fuerit: itaque a ſolis Proteſtantibus petendas eſſe probationes. Nos vero contendimus, *in rebus fidei non dari Præſcriptionem.*

9. Arg. 1. eſt, quia de Fide, aut de Veritate non poteſt præſcribi, ſed tantum de Bonis ac Poſſeſſionibus. Veritas rationibus, Fides auctoritate nititur. Præſcriptionem, ſi locum haberet, allegare poſſet etiam Gentilismus, Judaismus & Mohammedaniſmus. 2. Ipſi Chriſto & Apoſtolis ſic reſpondere potuiſſent Judæi, atque ita continuo repellere Evangelium. Interim errores Judæorum ſufficienter a Chriſto refutati ſunt, cum pateret Scripturis S. contrarios eſſe. 3. Affirmantium eſt probare. Ita ex. gr. qui adfirmant, *Purgatorium* eſſe, id probare debent; non vero, qui negant, tenentur probare non eſſe. Interim tamen, ſi reperiatur doctrina quædam, illis doctrinis, quæ in S. Litteris traduntur, contraria, ſtatim cognoſcitur falſa eſſe.

10. Ex dictis conſtat, Rationes non fuiſſe iniquas, ob quas Proteſtantes a Pontificiis *diſceſſerint*; errores in doctrina fidei, abuſus in Cultu & in Diſciplina ſeu Regimine Eccleſiæ. Non ſunt ergo Proteſtantes *Schiſmatici.* Cum enim Eccleſia a ſua puritate ita defecerit,

rit, ut non amplius pro vera haberi poſſit, hinc opus erat emendatione ſeu *Reformatione*, de qua conſulendi ſunt Hiſtorici.

11. Nihil eſt magis falſum, quam quod *Jac. Benign. Boſſuetus*, Condomenſis primum, dein Meldenſis olim in Gallia Epiſcopus, adſerit; (*a*) *Multas concertationes, falſis doctrinæ noſtræ interpretationibus innixas, & quæ ſuperſunt, controverſias non tanti juxta Calvinianorum placita eſſe momenti, quanti eſſe initio perſuadere conati ſunt, nec quidquam habere juxta eadem placita, quo fidei fundamenta lædantur.*

(*a*) Vid. ejus Expoſitio Doctrinæ Catholicæ Capite I. §. 5.

12. Primum enim nihil habemus pro Rom. Eccleſiæ doctrina, niſi Decretis *Concilii Trident.*, *Confeſſione Fidei* ex ejus decreto conſcripta, & *Catechiſmo Rom.* contineatur. Nec aliter ea interpretamur, quam prout Auctores in Eccleſia Rom. probati interpretari ſolent. Vid. hujus Cap. Sectio II. §. 2, 3.

13. Deinde novimus ex *Libelli Boſſuetiani* paullo ante allegati Hiſtoria, illam Doctrinæ Catholicæ *Expoſitionem*, quam Celeberr. ille Epiſcopus conſcripſit, Eccleſiæ Romanæ nunquam placuiſſe, niſi quatenus aſtutiſſima fuit fallacia, qua incauti, & inſtabiles nonnullorum Proteſtantium animi ad Apoſtaſiam compelli potuerunt (*b*).

(*b*) Vide

(*b*) Vide Hiſtoriam hujus Libelli a multis expoſitam, ex quibus nunc ſufficiat nominare *C. M. Pfaffium*, Hiſt. Theol. Litter. T. II. p. 103. *J. G. Walchii* Bibl. Theol. ſel. T. II. p. 323. ſ. Addatur Præfat. & cetera ejus Libelli editioni lat. quæ cura *Magni Curſii* Gotting. 1736. 4to. prodiit, adjecta.

14. Tertio; non exiguum eſt documentum bonitatis cauſſæ Proteſtantium, quod tantus Vir, quantus in Eccleſia Rom. fuit *Boſſuetus*, non aliam rationem ſolidiorem putavit, Proteſtantes ad doctrinam Rom. Catholicam adducendi, quam ut diſſenſum aut nullum, aut exiguum eſſe, nec fundamenta lædi aſſereret. Quod ſi ita eſt, cur ergo Rom. Eccleſia tanta cum ſeveritate, imo truculentia, Proteſtantes non modo ex ſinu ſuo, ſed & paſſim Patria ſua ejecit, ac fortunis omnibus, ſæpiſſime & vita ipſa, ſpoliavit? Cur idem adhuc paſſim, cum poteſt, facit?

15. Quarto; Utcunque *Expoſitio Boſſueti* ſatis aſtute conſcripta ſit, ac doctrinam Eccleſiæ Rom. quam maxime probabilem, & doctrinæ Proteſtantium haud multo diſſimilem facere ſtudeat; nos tamen haud fidendum eſſe putamus.

Fugite hinc cauti; frigidus latet anguis in herba.

Nec enim talis per omnia eſt Rom. Eccleſiæ doctrina, qualem coloribus pingit *Boſſuetus*; nec in ea ipſa *Expoſitione* deſunt, quibus Proteſtantium piorum animus ab ea doctrina amplectenda abſterreatur, quamvis

vis non alia eſſet R. Eccleſiæ Religio. Speciminis loco legantur, quæ Cap. IV. & V. de *Cultu Sanctorum*, nec non *Imaginum* & *Reliquiarum*, traduntur. Examen ſingulorum Capitum a multis jam ſuſceptum eſt.

Inſtar omnium allegamus *Frid. Spanbemium* F. in Stricturis adv. Libellum Epiſcopi Condom. nec non *Jurieu* in Préſervativ contre le Changement de la Religion.

16. Summa illius argumentationis, qua animi noſtri a Rom. Eccleſiæ fide avertuntur, huc redit: Quæcunque Religio tanquam ad ſalutem neceſſaria nobis obtrudit credenda dogmata aut evidenter falſa, aut Scripturæ S. contraria, aut quæ ſaltem in ea nullum fundamentum habent, ei Religioni fidem mancipare ſalva conſcientia non poſſumus; Atqui Religio Pontificiorum talis eſt.

Hoc Syllogiſmo & orſus eſt, & deinde concluſit ſuas de *Controv. Pontif. Prælectiones* Clariſs. & omnibus Bonis, dum viveret, cariſſimus *Job. Grynæus* S. Th. D. & Prof. olim noſter. Opuſculum ipſum τοῦ μακαρίτου Manu eleganter ſcriptum & perfectum ſervat *Bibliotheca Freyiana*, in Ædibus *Inſtituti Freyio-Grynæani* repoſita.

Theol.

Theol. Polem. Cap. VII. de *Græcis* & aliis *Orientalibus*.

1. *Græca* & *Orientalis* Eccleſia ſic dicitur, partim a Lingua, partim a Regione. Ea eſt vel *purior*, quæ proprie *Græca* dicitur: vel *impurior*, quæ variis *Sectarum* veterum erroribus contaminata eſt. Tales ſunt alii *Neſtoriani*, alii *Eutychiani* ſ. *Monophyſitæ*. De prioribus primo loco dicemus.

2. Dicuntur autem illi Chriſtiani *Græci*, qui inde a Sæc. IX. a Rom. Eccleſia prorſus diſſidentes ſub Imperio nunc partim Turcico, partim Ruthenico vivunt, paucis exceptis, qui partim Venetorum, partim Auſtriacæ dominationi ſubjecti ſunt.

3. Cauſſa Schiſmatis quærenda eſt primum in contentionibus Romani & Conſtantinopolitani Epiſcopi, dum ille parem, hic ſuperiorem ferre non poſſet. Cum ergo Primatum Romanum nunquam admitteret Eccleſia Græca, ac dein aliæ accederent irarum cauſſæ, perpetuum & irreconciliabile inde emerſit Schiſma, quod adhuc viget.

4. De his Eccleſiaſtica paſſim agit Hiſtoria. Hæc & docet, exortam eſſe graviorem exacerbationem animorum, cum Latini vel Romani, Symbolo Conſtantinopolitano, in quo ſcriptum erat, *Spiritum S. procedere a Patre*, addiderunt, *Filioque*; id quod Græci ægerrime tulerunt, & pro mutatione Fidei hactenus univerſaliter receptæ habuerunt.

5. Acceſſerunt deinde contentiones inter *Photium*, celeberrimum Patriarcham Conſtantinop. & *Nicolaum* I. R. Pontificem, quibus factum eſt, ut Concilium Concilio opponeretur; quorum utrumque Conſtantinopoli habitum, hinc a Græcis, inde a Latinis, pro *Oecumenico* VIII. numeratur. Neque poſtea, quamvis omnis generis Artes adhiberentur, Græci adduci potuerunt, ut cum Rom. Eccleſia ſeſe ſerio unirent.

6. Puriores interim illi *Græci* adhærere ſe profitentur Conciliis IV. primis Oecumenicis, & IV. habent *Patriarchas*, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum; quibus acceſſit Ruthenicus. Inter hos diviſæ ſunt iſtæ Eccleſiæ Orientis, quarum aſſeclæ & *Melchitæ* appellantur, ſeu Regii, quoniam Imperatorum Græcorum, qui olim fuerunt, fidem ſequuntur.

7. Quos ex his Rom. Eccleſia poſt multos irritos conatus tandem ſibi adjunxit, illi tamen certa Capita, eaque ſat magni momenti, ſibi retinuerunt, quæ & R. Pontifex illis conceſſit, unica illorum ſubjectione contentus, qua eum ſe fatentur pro Capite Eccleſiæ univerſæ agnoſcere.

8. Qui ſunt ſub Imperio Turcarum, inde ab A. 1453. quo Conſtantinopolis capta eſt, fruuntur quidem Religionis libertate; ſed Turcarum ita ſunt arbitrio obnoxii, ut pro eorum lubitu Patriarchæ mutentur, & gravi

auri

auri pondere appenſo dignitates iſtæ obtineantur. Multarum vero calamitatum ipſi ſunt ſibi auctores Græci, dum per pravam ambitionem alii alios detrudnnt, & pecuniarum largitionibus Turcas corrumpunt. Ceterum ignorantiæ craſſisſimæ immerſi Inſtituta Majorum cæco impetu ſequuntur.

9. De *Primatu* ergo Papæ negando cum Proteſtantibus conſentiunt Græci. De *Proceſſione Sp. S.* diſſentiunt, quando eum non *a Patre & Filio*, ſed *a Patre ſolo procedere* dicunt. Nonnulli Græcorum addunt *per Filium* id fieri. Sed id quoque plerique negant.

10. Momentum controverſiæ exiguum aut nullum eſt, cum Græci de S. Trinitate, & de Perſona Filii & Spiritus S. cum ceteris Chriſtianis prorſus conſentiant. Videntur non tam ipſa re, quam audacia, qua Latini Symbolo publico ex propria auctoritate aliquid addiderunt, irritati fuiſſe.

11. Ratio vero cur & nos dicamus Spiritum S. *a Patre & Filio* procedere, eſt 1. quod Chriſtus dicat Joh. XV. 26. *Se Spiritum S. miſſurum eſſe.* Hoc Græci ſolummodo de Donis Sp. S. intelligunt. Nos vero dicimus; Spiritum S. a Filio mitti non poſſe, niſi & quoad Perſonalitatem ab ipſo procedat. 2. quod idem ſit quoque Spiritus Chriſti, Rom. VIII. 9. Gal. IV. 6. &c.

12. Habent Græci ſuam *Hierarchiam*, cujus Principes ſunt Patriarchæ; his obnoxii

Metropolitæ, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Anagnoſtæ. Habent Monachos, quibus præſunt Archimandritæ; omnes *S. Baſilii* dicunt ſe Regulam ſequi. Ex his illa omnia nos, quæ a Chriſto non inſtituta ſunt, rejicimus. Conf, *Theol. Dogm.* Sect. I. Cap. XVI.

13. Habent in ſuis S. Ædibus *imagines* pictas Chriſti, B. Virginis & Sanctorum, quos & ut *Interceſſores* apud Deum *invocant*, in eorum honorem *dies feriatos* religioſe celebrant, *externis ritibus* plurimum tribuunt, exigunt *confeſſionem* peccatorum privatam, diverſa tamen a Pontificiis ratione; *Sacramenta* VII. habent, *præſentiam* realem Corp. & Sanguinis Domini in S. Euchariſtia, non tamen *Transſubſtantiationem*, ſtatuunt; Clericis *Matrimonium* permittunt, ſed non iteratum; Animas defunctorum in *Loco medio* retineri credunt, rejiciunt tamen *Purgatorium*. In ceteris fere nobiſcum conſentiunt.

14. Inter reliquas in Oriente Sectas ſunt *Neſtoriani*, ad quos pertinent illi, qui dicuntur Chriſtiani *S. Thomæ*, & *Chaldæi*. *Neſtorio*, qui Sæc. V. fuit Epiſcopus Conſtantinop. imputata fuit Sententia hæc: quod, dum negabat B. Virginem Θεοτόκον dici debere, Naturam divinam Chriſti ab humana ſepararet. Eam quidem Controverſiam multi crediderunt nil niſi Logomachiam eſſe. Alii tamen *Neſtorium* reprehendunt, quod appellationem τῆς Θεοτόκου, in Eccleſia dudum receptam, im-

impugnaverit, & quod Perſonam Chriſti cum Natura confuderit.

15. *Monophyſitæ* ſunt propago *Eutychianorum*, quorum auctor *Eutyches*, Archimandrita Conſtantinop. qui ſeſe *Neſtorio* oppoſuit. Hujus ergo error, ei, qui *Neſtorio* tribuitur, oppoſitus eſt, ut Naturas duas in Chriſto confunderet, & ex iis unam efficeret. Inde a μόνος & φύσις *Monophyſitæ* dicti. Ad hos pertinent *Jacobitæ*, *Copti*, *Abyſſini*, *Armeni*, quos tamen quidam *Neſtorianos* dixere.

16. *Monotheletarum* a μόνος & θέλημα, ea dicitur Secta, quæ unam voluntatem in Chriſto fuiſſe ſtatuit, quamvis duas diſtinctas ejus credat Naturas. Eapropter pro *Eutychianis* haberi nolunt. Ad hos pertinent *Maronitæ*, Monachi & Montis Libani incolæ. Nomen a *Marone*, Sæculi VI. Abbate habent. Hi inde a Sæc. XII. Romano Pontifici ſubjecti vivunt, unde *Collegium* eorum Romæ inſtitutum. Non tamen magnopere in ceteris a Græcorum Religione differunt.

Theol. Polem. Cap. VIII. de *Proteſtantibus diſſentientibus.*

1. Caput hoc non ideo additur, quod multa nobis ſint, quæ contra alteram Eccleſiæ Proteſtantium partem diſputemus, aut de iis, quæ ſunt diverſa, vehementer litigare velimus. Quamvis ſoleant Lutheranorum Doctores plerumque diſſenſiones ſuas diligenter indicare, & nonnunquam acrius, quam par

eſt, impugnare *Reformatos*; haud exiſtimamus tamen, idem nobis faciendum eſſe; ſed quantum fieri poteſt *Paci* ſtudendum. Neque id eo facimus, quod cauſſæ noſtræ diffidamus; ſed quod ſalvo aliquo diſſenſu pacem coli poſſe ac debere putemus.

2. Omittendum prorſus, & ex Theologia Polemica eliminandum hoc Caput cenſeremus, niſi Tironibus rationes tradendæ eſſent, cur iſtæ duæ Partes Eccleſiæ Proteſtantium a ſe invicem diſceſſerint, & in hunc uſque diem, proh malum! diſcedant. Agendum ergo hic, de *Conſenſu & Diſſenſu Proteſtantium*, nec tam probanda aut refutanda ullius partis doctrina, quam exquirendum Controverſiarum momentum, ut pateat, num *Pacem* colere non politicam modo, ſed & Eccleſiaſticam poſſint debeantque *Reformati* cum *Lutheranis?* non obſtante aliquo diſſenſu.

3. Quoniam vero vitioſa diverſarum Religionum confuſio appellatur *Syncretiſmus*; patebit pariter ex iis, quæ dicentur, num *Pax* iſta, de qua heic agitur, pro *Syncretiſmo* haberi poſſit. Si enim diverſitas quorundam dogmatum non facit diverſitatem Religionis; ſique non duæ Religiones, aut duæ Eccleſiæ; ſed *una Religio*, & *una Eccleſia Proteſtantium* eſt; non poteſt ſane hæc Pax aut Unio *Syncretiſmus* appellari, aut ſi quis ita appellare voluerit, non erit tamen *Syncretiſmus vitioſus*.

4. *Diverſæ* ſunt illæ *Religiones*, quæ Dogmata habent inter ſe contraria in rebus vel ad Fidem, vel ad Cultum, vel ad Diſciplinam pertinentibus, quæ Fundamentum Religionis aut directe aut indirecte mutent vel evertant. Quæ vero diſſenſiones ea ſola tangunt, quibus Religionis fundamentum haud evertitur, illæ Religionis Unitatem non tollunt; & qui in his ſolis diſſentiunt, illi non duas, ſed unam tantum Eccleſiam conſtituunt.

5. Ut vero id cognoſci queat, utrum Proteſtantes inter ſe in fundamento Religionis diſſentiant, opus eſt, ut Hiſtoriam & Capita hujus Diſſenſionis expendamus. Sic rem a principio repetentes, & initia illius & progreſſus intelligemus.

6. Hiſtoria hæc eſt. Cum DEVS per Viros eximios, *Lutherum*, *Zuinglium*, *Oecolampadium*, *Melanchthonem*, alios, circa a. 1517. errores & abuſus Eccleſiæ, plurimis hominibus aperire cœpiſſet; animadverſum ſtatim eſt, doctrinam de S. *Euchariſtia*, non minus, quam multas alias, miſere corruptam fuiſſe. Inter alia ex Verbis Inſtitutionis: *Hoc eſt Corpus meum:* exſculptum omni rationi & omnibus ſenſibus contrarium Dogma *Transſubſtantiationis.*

7. Hic error ſtatim ab omnibus Reformatoribus rejectus eſt. *Lutherus* tamen, vi illorum Verborum, *Præſentiam realem* Corporis & Sanguinis DOMINI, atque adeo *conjunctionem*

nem cum Pane & Vino conſecrato, retinendam cenſuit. *Caroloſtadius* vero, *Lutheri* in Acad. Witteberg. Collega, ne hoc quidem indicari credidit; ſed Verba a DOMINO pronuntiata; *Hoc eſt Corpus meum;* dum oblato Diſcipulis pane euchariſtico, ſeipſum ſeu Corpus ſuum digito monſtraret, non ad Panem euchariſticum, ſed ad ipſum Corpus Chriſti pertinere cenſuit. *Zuinglius* & *Oecolampadius*, Helvetiæ Reformatores, in eam deſcenderunt ſententiam, Verba illa haud proprie, ſed figurate intelligenda eſſe, ut ſignificarent, Panem & Vinum, quo uterentur Chriſti Diſcipuli, *repræſentare* illis Corpus & Sanguinem Domini, quorum in Cruce facta oblatione mox peccata Fidelium ſint expianda. Vid. *Theol. Dogm.* Sect. II. C. 4. §. 42-45.

8. Cognita hac Virorum eximiorum diſſenſione populus, qui Rom. Eccleſiæ nuntium miſerat, in contraria Studia ſcindebatur. Soli tamen Eruditi Scriptis inter ſe certabant. Conſiliis inter ſe collatis a. 1529. in Comitiis Imperii R. Germanici, quæ Spiræ habebantur, contra iniqua decreta proteſtati ſunt; unde *Proteſtantes* dicti communi nomine & illi, qui *Lutherum*, & qui *Zuinglium* ſequebantur. Anno ſequente oblata Imperatori *Confeſſio Fidei*, quæ a loco *Auguſtana* dicitur. cui omnes Germaniæ Proteſtantes, IV. Civitatibus exceptis, ſubſcripſerunt.

9. Omnes, nullo ob diſſenſum in dogmate excepto,

excepto, *Smalcaldico* fœdere conjuncti, mutua de Concilio a Pontifice indicendo, item de libertatis ſuæ defenſione adverſus Cæſaris arma, Conſilia agitavere. Cum omnibus Bellum geſtum, ac deinde a. 1555. pax inita, nec alia Ecclesia Pontificiis ſ. Rom. Catholicis oppoſita, niſi ea, quæ *Auguſtanam Confeſſionem* ſequeretur.

10. Gliſcente interim diſſenſione impedire ſtuduerunt Principes, aliique Sapientes Viri, ne in nervum res erumperet. Eo animo habitum *Marburgi Colloquium* a. 1529. Helvetiis quoque eo vocatis. Poſtea *Bucerus* & *Capito*, Theologi Argentoratenſes, ultro citroque profecti, conſcriptis etiam formulis, in quibus eſt *Concordia Wittebergenſis* a. 1536. animos & ſententias conciliare ſtuduerunt. Aiunt etiam *Melanchthonem* Unioni faviſſe, ac mitiora conſilia & ſecutum eſſe & aliis commendaſſe.

11. Pax demum penitus turbari cœpit, cum poſt *Lutheri* obitum, ſpretis moderatioribus *Melanchthonis* conſiliis, ingenia contentioſa quorundam Germanorum, in quibus princeps *Jac. Andreæ*, Tubingenſis, Præſentiæ realis defendendæ cauſſa, alia dogmata de *Perſona Chriſti* & *Communicatione Idiomatum* duarum in Chriſto Naturarum proponerent. Sic diſſidium auctum, & ex uno duplex factum videbatur. Acceſſerunt tandem infauſtæ Lites de *Prædeſtinatione*, quas idem *Jac. Andreæ* in Colloquio Montisbelligardenſi adverſus *Bezam* a. 1586. acerrime agitavit.

12. Interim a. 1580. procuſus & in lucem editus *Liber Concordiæ*, quem rigidiores omnibus Eccleſiis, etiam, ubi ultro non admittebatur, per vim obtrudere in Germania nitebantur, Helvetii ab eo Libro ſibi ſuisque caverunt. Sed nec a Germanis omnibus, qui *Lutherum* ſequuntur, admiſſus fuit. Interim fatentur omnes, per illum *Librum Concordiæ* Colophonem Schismati inter *Lutheranos* & *Reformatos*, quos vulgus *Zuinglianos* & *Calvinianos* appellabat, impoſitum eſſe.

13. *Helvetii*, quibus præter multos ex Germanis ſeſe adjunxerunt Galli, Belgæ, Britanni. aliique, nullas vel conſcripſerunt vel admiſerunt novas Formulas Fidei, usque ad Sæc. XVII contenti *Confeſſione Helvetica* & *Baſilienſi*. Tum demum facta ſunt nova decreta; ſed non de *Lutheranis*. Nam ad *Arminianos* aut *Remonſtrantes* pertinebat *Synodus Dordracena* a. 1618. ad *Salmurienſes* vero *Pelagianos Formula Conſenſus*, a. 1675. edita. Hæc ergo decreta ſic acceperunt *Lutherani*; ut & ſua dogmata damnari crederent.

14. Sic utraque pars videbatur obicem duriſſimum oppoſuiſſe Paci & Unioni Eccleſiaſticæ. Et quamvis ejus reſtitutio ſæpius fuerit tentata, nihil tamen ad hoc usque tempus effici potuit. Num in poſterum melius aliquando negotium ſit ſucceſſurum, dies docebit. Certum interim eſt, unionem nullam fieri poſſe, quamdiu creditur, a Lutheranis,

Refor-

Reformatos in Fidei eſſentia, ſeu in fundamentalibus differre, ac propterea Unionem prius in ſententiis, ſeu Conſenſum ineundum eſſe.

15. Quamvis in nonnullis forte conſentiant Proteſtantes, in quibus tamen diſſentire videntur; quod inde fit, ſi non adhibeantur accuratæ definitiones, unde Logomachiæ enaſcuntur: Negari tamen non poteſt, eos in aliis revera diſſentire, dum alii eam ſententiam rejiciunt, quam alii approbant. Quare in conſilio de uniendis Proteſtantibus ad duas iſtas præcipue attendendum videtur quæſtiones: 1. *Annon illi, qui non eſſentialiter in Religione diſſentiunt, pro ejusdem Eccleſiæ membris haberi non modo poſſint, ſed & debeant?* 2. *An Proteſtantes in alicujus Evangelicæ doctrinæ Capitis eſſentia diſſentiant, necne?*

16. Manifeſtum autem eſt, non hic de *Pace civili* ſermonem eſſe, quam etiam inter homines diverſiſſimæ Religionis ſubſiſtere poſſe ac debere nemo dubitat; Nec de *Tolerantia politica*, qua illi qui ſunt Superiores, eos, qui Inferiores ſunt, quamvis diverſæ Religioni addictos, patiuntur ejusdem Reip. Cives eſſe, ac æquum cum ceteris Civibus jus, quoad ejus fieri poteſt, habere, dummodo adverſus Civium reliquorum commoda, ac totius Reip. tranquillitatem haud peccent; quod eſt juſtiſſimum.

17. Agitur enim hic de *Pace* & *Communione Eccleſiaſtica*, qua illi, qui in eſſentialibus ac funda-

fundamentalibus Religionis Capitibus conſentiunt, quamvis in aliis diſſentiant, nihilo ſecius pro veris Chriſtianis, ac ejusdem Eccleſiæ Membris habenrur, ut prorſus eorundem Sacrorum, & in his ipſius *S. Cœnæ*, poſſint ſimul eſſe participes, quamvis non cogantur a diſſenſione recedere, niſi cum in Conſcientia errorem ſuum agnoverint.

18 Quod ergo *priorem* attinet Quæſtionem § 15. haud videtur de ea dubitari poſſe, niſi quis exiſtimet, omnem, quamvis leviſſimum, errorem circa aliquod Religionis Caput, hominem a ſalute excludere, atque adeo illis, qui recte ſentiunt, aut ſibi recte ſentire videntur, jus conferre, tales ab Eccleſiæ communione & a Sacris excludendi; quod eſt abſurdum. Vid. *Præcognit.* §. 5.

19. Id enim, quo minus pro vero admittamus, facit 1. *Recta Ratio*, quæ docet, nec opus eſſe, nec fieri poſſe, ut homines in omnibus inter ſe conſentiant; cujus rei cauſa eſt diverſitas Ingeniorum, ac Morum. 2. Ipſum *Evangelium* idem fortius inculcat. Ea enim eſt doctrina pacis & Charitatis, Eph. VI 15. Joh. XIII. 35. ac mutuam diſſentientium tolerantiam commendat Apoſtolus, 1 Cor. XIII. 3, 4. XIV. 1. Rom. XIV. 1. &c.

20. Unde colligendum eſt, non modo poſſe, ſed & debere illos, qui non eſſentialiter diſſentiunt, pro ejusdem Eccleſiæ Membris haberi; hoc eſſe noſtrum officium; eos,

qui

qui ſecus faciant, peccare, atque ſpiritui Chriſtianismi haud obſecundare.

Vid. *S. Werenfelſ.* Cogitationes de Uniend. Proteſtantib. Nec non Penſées ſur la Réunion des Proteſtans, 4to. 1723. quarum auctor Civis noſter P. A. Bruckerus, Eccleſiaſtes Altonaenſis.

21. Altera vero Quæſtio §. 15. longioris eſt indaginis. Fatentur quidem omnes, Articulum de *S. Cæna*, & illum quoque *de Perſona Chriſti*, eſſe Chriſtianæ Religioni eſſentialem. Sed in his eſſentialibus non differunt Proteſtantes ita, ut illorum Articulorum eſſentia immutetur. In Art. de *S. Cæna* non controvertitur, an illa ſit a Chriſto inſtituta; an a quolibet Chriſtiano ad commemorationem Mortis Chriſti ſit celebranda; an Fidelibus adferat fructum confirmationis in fide & ſanctificatione; an Chriſtus præſens adſit, atque efficiat, ut *Corpus* ipſius olim fractum, & *Sanguis* effuſus reſipiſcentibus ad ſalutem conducat; an *indigne* communicantes grave ſibi accerſant judicium, ſeque reos faciant violati *Corporis* & *Sanguinis* Domini? Nam heic omnes conſentiunt.

22. In his conſiſtit *S. Cænæ* eſſentia, non in hoc; an Verba: *Hoc eſt Corpus meum:* proprie, an figurate ſint intelligenda. Figuratus enim ſenſus non minus verus eſſe poteſt, quam proprius; imo magis, eo quod caret difficultate, quam Ratio & alia ipſius Religionis Chriſt. Capita ei videntur objicere. Nemo neſcit, doctrinam de Fide plenam eſſe

eſſe figuratis locutionibus. Ipſa Fides dicitur *ὑπόςασις τῶν μὴ βλεπομένων*, *Rerum, quae non videmus, ſubſiſtentia*, Hebr. XI. 1. quia tam vivide nobis illas repræſentat, ac ſi præſentes adeſſent. Sic itaque nec figuratus Verborum Domini ſenſus excludit veram Corp. & Sang. Chriſti *præſentiam*, quæ quidem naturæ Sacramenti conveniat, & propterea appellatur *Sacramentalis*. Diſputatur ergo tantum *de modo*, quo hæc Præſentia ſit concipienda, quæ controverſia eſſentialis eſſe non poteſt. Si res ipſa certa ſit, modus nobis ignotus eſſe, immo & diverſimode concipi, poteſt. Conf. *Theol. Dogmat.* Sect. II. C. 4. §. 46.

Sapientiſſimum ac veriſſimum illud monitum eſſe cenſemus, quod Vir Clar *Ant. Frid. Büſching*, Theol. & Phil. D. & Prof. olim in Acad. Goetting. nunc vero Petropoli apud Eccleſiam Evangelico-Luther. Sacrorum Adminiſter, in *Epitome Theologik*, Lemgov. 1757. 8. §. 113. expreſſit. Verba ejus hæc ſunt: „ Cum pane & vino Corpus „ etiam & Sanguinem Chriſti in S. Cœna exhiberi „ omnes fateri debent Chriſtiani, & revera fatentur: at de modo, quo corpus & ſanguis Chriſti exhibeantur, inter illos non convenit, quem „ etiam Scriptura non definivit: ſufficit igitur „ dicere, corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe „ cibum corporalem, ſed ad animam & vitam „ ſpiritualem pertinere. „ Quæ quidem verba nihil aliud indicant, quam diſſenſum Proteſtantium de ea re non eſſe eſſentialem. Ecquid vero aliud eſt id, quod *C. A. Heumannus*, alius Theologus Goettingenſis, in Libello poſtumo: Erweiß, daß die Lehre der Reformirten Kirche von dem H. Abendmahle, die rechte und wahre ſey. Eisleb. und

und Wittenb. 1764. 8vo. expreſſit, cum & ſe & multos alios Theologos in Evangelico-Lutherana Eccleſia ſemper ſic ſenſiſſe contendit, prout Ref. Eccleſia ſentit; niſi quod ſalvo eo diſſenſu cum Lutheranis communicare, ac inter eos verſari, immo docendi & ſacra adminiſtrandi munere fungi potuerint? Si enim diſſenſus eſſet eſſentialis, ſalva conſcientia diſſenſum tegere, & in Eccleſia fundamentaliter errante perſeverare non potuiſſent. Neque certe *Heumannum*, & alios ſimiles præclaros Viros Hypocritis accenſere audemus. Quæ Gœttingenſes adverſus Libellum illius monuerint, qualia ſint, facile Lector haud imprudens intelliget. Götting. Anzeige, a. 1764. n. 80.

23. Alterum diſſenſionis Caput de *Perſona Chriſti*, & de *Communicatione Idiomatum*; iterum non Unionem Perſonalem duarum Chriſti Naturarum, divinæ & humanæ; ſed modum illius reſpicit, quem utraque pars dicit incomprehenſibilem. Non ergo diſſentiunt Proteſtantes de *Perſona Chriſti*, quam omnes fatentur, duabus Naturis arctiſſime unitis conſtare. *Communicationem* vero *Idiomatum* pro ea habemus de Perſona Chriſti loquendi ratione, quæ aliquid, quod Naturæ divinæ ejus, aut humanæ ſeorſim ſpectatæ convenit, ipſi Chriſto, aut Naturæ cuivis cum altera unitæ tribuitur, & de illo in univerſum prædicatur, quod alteri tantum Naturæ proprium eſt.

24. Diverſus hic denuo occurrit concipiendi modus, dum alii eam Idiomatum communicationem vere factam eſſe credunt, ita ut humana Chriſti Natura quædam acceperit

Attri-

Attributa Naturæ divinæ; alii vero unionem illam ſic intelligunt, ut per Synecdochen quod uni Naturæ proprium eſt, alteri quoque, & ſic integræ τοῦ Θεανθρώπου Perſonæ attribui poſſit ac debeat. Sic ergo non de re, ſed de concipiendi modo diſputatur, nec poteſt hic diſſenſus eſſentialis eſſe.

25. Non minores contentiones movit Quæſtio de *Prædeſtinatione*, quam ulla alia. Ea autem cum aliis quibusdam eſt connexa, ut de *Univerſalitate Gratiæ Dei* & *Mortis Chriſti*. Cum vero hæc ſint abſtruſa Myſteria, quæ in S. Scriptura haud perſpicue explicantur; cumque nullum tangant Fidei Articulum, prout ex noſtra Symboli Apoſtolici tractatione patet; dum in nullius Dogmatis nexu hoc de *Prædeſtinatione* neceſſario reperitur; nulla adeſt ratio, cur diſſenſum, qui in eo eſt, Religionis eſſentiam mutare dicamus.

26. De *Gratia* Dei tam Reformati, quam Lutherani ſtatuunt, nihil boni hominem ſine ea efficere, nemini eam denegari, qui quærat ac petat, Luc. XI. 13. neminem a participatione *Mortis Chriſti* excludi, niſi *Fide* careat, ſine qua nemo poteſt Deo placere, Hebr. XI. 6. Ubi eſt ergo eſſentialis in his dogmatibus diſſenſus, quæ nec ipſa ſunt eſſentialia, niſi quatenus cum fundamento ſalutis cohærent.

27. *Præ-*

27. *Prædeſtinatio* vero & abſoluta & conditionata dici poteſt, prout diverſo ſenſu accipitur. Nam ſi pro Voluntatis divinæ Decreto a nulla Creatura, nec ab ullo eventu pendente, accipitur, quis neget eam *abſolutam* eſſe? Quare nec Lutherani, nec Reformati eam Voluntatem Dei Creaturæ arbitrio ſubjiciunt. Si vero cogitemus, id quod fatentibus omnibus veriſſimum eſt; neminem a DEO ſalvari, nec ad ſalutem deſtinatum eſſe, niſi qui credat, & reſipiſcat; patet rurſus, diſſenſum in eſſentia Dogmatis nullum eſſe, quamvis hoc reſpectu *conditionatum* dicatur illud Decretum.

28. Ad Eſſentiam certe Religionis non videtur pertinere, ut decernamus, quo modo id totum ſalutis negotium ab æterno in divino Intellectu repræſentatum, & per Voluntatem divinam decretum fuerit. Sufficit quod inter omnes conſtet, non aliter, niſi prout Sanctitati, Bonitati, Juſtitiæ divinæ, & ipſi quoque infinitæ Sapientiæ decorum & honorificum fuerit, rem illam geſtam eſſe.

29. Quod porro diſſentiunt partes illæ duæ Eccleſiæ Proteſtantium, de *Baptiſmi efficacia*, id nihil quoque aliud, quam modum rei tangit. In recto uſu Sacramenta vim habere ſalutis promovendæ neutra dubitat: de modo autem, quo eam exerant, diverſa

ſentiunt. Nunquam autem diſſenſus de modo eſſentiam dogmatis tangit, ſi ipſum dogma verum eſſe agnoſcatur.

30. Sic & de *Neceſſitate Baptiſmi* abſoluta, an hypothetica, de quibusdam ritibus, ut *Exorciſmi* & *Confeſſionis* privatæ, necnon de *Imaginibus* quibusdam in Loco Sacro erigendis, & ſi quid forte ſimile eſt, inter diverſas opiniones, nemo inter eſſentialia Religionis Capita retulerit. Quare ſic concludimus.

31. Qui non eſſentialiter in Religione diſſentiunt, pro ejusdem Eccleſiæ Membris haberi non modo poſſunt, ſed & debent, §. 18. 19. 20. Proteſtantes vero, ſ. *Lutherani* ſ. *Reformati* appellentur, in nullius evangelicæ doctrinæ Capitis eſſentia diſſentiunt, §. 21-30. ergo omnes Proteſtantes pro Membris ejusdem Eccleſiæ, ſeu pro eadem Eccleſia, haberi poſſunt ac debent. Q. E. D.

32. Coronidis loco addam Decretum Synodi Eccleſiæ Reformatæ, olim in Gallia florentis, quæ habita fuit Carentonii a. 1631. prout refertur in *Dallæi* Apol. pro Eccleſ. Reform. p. 174. „ Synodo placuit, quando „ Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiæ cum ceteris Reformatis de veræ Religionis principiis, & fundamentalibus capitibus conſentiunt, & cultu utuntur puro, & ab omni „ ido-

„ idololatria & ſuperſtitione immuni; ut ſi
„ qui dictæ Confeſſionis fideles ad publicas
„ Religionis noſtræ collectas cum charitatis
„ veræque pacis ſpiritu conveniant, & cum
„ noſtris communicare cupiant, eos liceat
„ absque prævia abjuratione ad S. Menſam
„ participandam, ad matrimonia cum noſtræ
„ Confeſſionis perſonis contrahenda, & ad
„ parvulos ad Baptiſmum offerendos admit-
„ tere. „

33. Finimus verbis *Zuinglii*, quibus is ſuam *Exegeſin* S. *Eucharistiæ* concluſit. „ Satis ſit,
„ oro, diſſenſum, ſatis tumultuatum, ſatis
„ ſævitum. Orire gratiſſime Lucifer; pro-
„ tinus Juſtitiæ Sol emica. Cum enim
„ contenditur, negligitur ſanctimonia,
„ quam unice a nobis requiris. Vi-
„ des, ut a contentione nunquam redea-
„ mus meliores; eſt enim carnis opus, a qua
„ nemo regredi citra maculam poteſt. Con-
„ tra qui ab ea ſunt alieni, nunquam non
„ fuerunt optimi. Ab ea igitur nos abſtine,
„ ut nervos omnes, quos alioqui ad certan-
„ dum intendimus, ad virtutis opus accin-
„ gamus. „ Hoc & Apoſtoli monitum eſt 2 Tim. II. 22. *Sectare juſtitiam, fidem, charitatem, pacem, cum iis, qui invocant Dominum ex puro corde.*

DEUS ipſe *Pacis*, ubique reducat *Pacem*, & illud Angelorum Canticum omni tempore

pleat: *Gloria in Excelſis DEO; in Terris Pax; & in hominibus Beneplacitum.* AMEN.

INDEX CAPITUM.

Prolegomena, ſeu Præcognita. Pag. 319.
Cap. I. de Atheis. p. 323.
Cap. II. Sect. I. de Paganis. p. 335.
Sect. II. de Deiſtis ſ. Naturaliſtis. p. 342.
Sect. III. de Mohammedanis. p. 359.
Cap. III. de Judæis. p. 367.
Cap. IV. de Socinianis. p. 388.
Cap. V. de Fanaticis. p. 409.
Cap. VI. de Pontificiis. p. 426.
Cap. VII. de Græcis aliisque Orientalibus. p. 449.
Cap. VIII. de Proteſtantibus diſſentientibus. p. 453.

THEO-

THEOLOGIÆ PRACTICÆ

CAPUT I.

DE LEGE DEI.

1. POſtquam de *Fide* & *Credendis* actum eſt, item de *Sacramentis*, quibus Fides confirmatur; nec non de iis, quibus vera Religio contra Diſſentientes defenditur: nunc porro de *Officiis* ſ. de *Agendis* dicendum. Hæc quænam ſint ex *Lege Dei* cognoſcitur, quæ eſt divinæ voluntatis declaratio, & norma ad quam homines ſuas actiones componere debent.

2. Hujus normæ auctor eſt *Deus*. Quamvis enim & homo homini præſcribere facienda & omittenda poſſit, cum eſt ejus juſto aliquo titulo Superior; ut Parentes Liberis, Domini ſervis, ſummi Imperantes Civibus & ſubditis: Hæ tamen Leges humanæ non aliam habent vim, niſi quatenus divinæ Legi ſubordinantur.

3. Hinc & contingit, ut humanæ illæ Leges nonniſi eos obligent, qui Superioribus illis ſubſunt. Qui in ſtatu Naturæ vivunt, aut quibus nullus eſt in terris Superior, humana Lege carent. Porro & tanta eſt di-

verſitas humanarum Legum, quanta Populorum & Imperantium. Prout enim varia eſt Indoles Nationis, & conformatio ſtatus civilis, nec non Legislatorum Genius; ſic variæ etiam Leges hominibus præſcriptæ inveniuntur.

4. Divina vero Lex cum duobus modis innoteſcat, vel naturali Ratione, vel peculiari Revelatione; etiam duplex eſſe cognoſcitur, alia *naturalis*, alia *revelata.* Illa univerſalis eſt, dum omnibus lata, quibus uſus rationis conceditur. Hæc illos tantum reſpicit, quibus Revelationem ſuam dare Deus eſt dignatus. Sed & hoc deinceps patebit, revelatam Legem eſſe partim *univerſalem*, quæ communis eſt omnibus, quibus Revelatio innotuit; partim *poſitivam*, quæ Iſraëlitarum Genti fuit propria.

5. Eſt autem *Lex Naturæ* ea, quam recta ratio dictat, & quæ ex evidentibus Principiis in ipſa rerum Natura fundatis hominis atque Civis Officia, in ſingulis Vitæ circumſtantiis debita, eruit atque demonſtrat. Hæc adeo traditur in *Philoſophia morali*, aut *Juris Naturalis Scientia*, quæ cum *Ethica*, quantumvis in Scholis diverſimode tractata, coincidit. Hanc duo imprimis præclari Viri, *Grotius* & *Pufendorfius*, ſuperiori ſæculo inſigniter illuſtrarunt, ex quibus prior *Jus Belli & Pacis*, alter *Jus Naturæ & Gentium*, atque inde *Officia Hominis & Civis*, pertractavit.

6. Non eſt illa cum *Theologia morali* confun-

fundenda, tum quia diverſus ejus ſcopus, tum etiam, quia diverſa principia. *Jurisprudentia Naturalis* ſolius Rationis ductu Hominem & Civem, *Theologia* vero *moralis* ex Scriptura S. Chriſtianum, format. Neque tamen prior illa diſciplina Chriſtiano, imprimis Eccleſiæ Miniſtro, negligenda eſt. Nam generaliora ea præcepta, quæ in S. Codice continentur, utiliter ex ipſa quoque ratione deducuntur. Omnibus enim ad verum inveſtigandum & confirmandum ſubſidiis, quæ divina benignitas eſt largita, egemus. Nec minimum ad S. Codicis divinam auctoritatem evincendam pondus accedit, ex Officiorum ibi traditorum conformitate cum iis, quæ ex ipſa natura rerum recto rationis uſu colliguntur.

7. De hujus autem *Legis Naturalis* fundamento, quod eſt Diſcrimen æternum Boni & Mali moralis, in *Theologia Naturali* eſt actum. (*a*) Summa vero huc redit, ut cum Deus ſit Creator hujus univerſi, a quo homines & ea bona, quæ habent, acceperint, & porro reliqua exſpectare debeant; teneantur iſti intenſiſſimum erga eum amorem ac venerationem in animo habere, eumque affectum certis actionibus contrariarumque omiſſione teſtari, ut hac ratione felicitatem, quam naturaliter appetant, conſequantur.

(*a*) Fund. Theol. C. XII. & Theol. Dogmat. Sectio I. §. 93. L.

8. Non eſſe alienam hanc *Legis Naturalis* notio-

notionem patet ex Rom. II. 14, 15. Opera enim Legis in cordibus ſcripta, ſunt ipſa principia juſti & injuſti, quæ naturalis Ratio ſuppeditat. Quum enim Gentes Revelatione carentes *Legem non habere* dicuntur, id non de *Naturali*, ſed de *Revelata* Lege intelligendum eſſe facile patet.

9. Hanc ergo *naturalem Legem* etiam Protoplaſti habuerunt. Sed præter eam dedit illis Deus præceptum aliquod *poſitivum*, quod ipſorum ſtatui accommodatum experimento futurum eſſet, num illam naturalem Legem eſſent ſervaturi, *Theol. Dogm.* Sect. I. §. 368-370. Neque poſtea ullam poſitivam Legem invenimus, uſque ad *Noam*, cui, finito diluvio, VII. Præcepta dediſſe fingunt Hebræi. 1. De idololatria. 2. De Blaſphemia. 3. De Homicidio. 4. De illicito concubitu. 5. De Latrocinio. 6. De Magiſtratu. 7. De carne cum ſanguine non comedenda. Interim duo tantum ex iſtis, tertium & ſeptimum, in S. Codice expreſſa inveniuntur, Gen. IX. 4, 5, 6. Illud, ſicut & quinque reliqua, eſt Juris naturalis & univerſalis; hoc vero poſitivi.

Jo. Seldenus, Anglus, Syntagma J. N. & G. compoſuit ex illis VII. Præceptis Noachidarum.

10. Ad poſitivas Leges antiquiſſimis hominibus datas referenda etiam *Sacrificia.* Quamvis enim quidam ductu Rationis & Naturæ eo perveniſſe homines cenſent, ut cum expiatoria, tum euchariſtica offerrent; haudquaquam tamen id ſatis evidens videtur:

tur: Quomodo homines ſcire potuiſſent, ea Deo grata eſſe? Itaque, licet nulla ejus præcepti mentio fiat, vix tamen dubitare licet, quin primis ſtatim temporibus datum per Revelationem fuerit. Hinc *Fide* obtuliſſe *Abel* ſcribitur, Hebr. XI. 4. Gen. IV. 4. Quod alios dein imitatos exemplo *Noa*, Gen. VIII. 21. patet.

11. Eo pertinet etiam diſcrimen inter Animalia *munda* & *immunda*. Dubium enim non eſt, quin iſtud primum Sacrificiorum cauſſa fuerit conſtitutum, cum jam in Hiſtoria Noæ, Gen. VII. 2. commemoretur. Poſtea vero per Legem Moſis ad cibum quoque traductum. Poſitivam hanc Legem ideo cenſemus, quia nihil in Natura invenimus, quo ea ſtabiliatur.

12. *Abrahamo* dein vocato & Legem naturalem promulgavit & confirmavit Deus, cum diceret, Gen. XVII. 1. *Ambula coram me & eſto integer:* & Legem poſitivam novam addidit de *Circumciſione*, ut ſigno fœderis cum ipſo initi. De ejus ratione & cauſſis diximus, cum *Sacramenta* V. T. exponeremus, *Theol. Dogmat.* Sect. II. Cap. I.

13. Præceptum etiam peculiare datum Abrahamo de *immolando filio ſuo Iſaaco*, Gen. XXII. Id præceptum non exſequendi, ſed explorandi cauſſa datum fuiſſe ex eventu cognoſcitur. Ubi 1. Abrahamus certo debuit cognoſcere, id a DEO ſibi oblatum, non ab aliqua Satanæ aut propriæ mentis illuſione. Hoc

autem ſine dubio ſcire potuit ex modo, quo ipſi oblatum eſt, qui utique talis fuit, qualis ille, quo ceteræ ipſi obtigerant Revelationes. 2. Inſigne præbuit fidei ſuæ & obedientiæ documentum, quo *Pater fidelium* appellari meruit.

14. Poſtea, cum Iſraëlitæ in magnum populum excreviſſent, placuit Deo integrum eis *Corpus Legum* præſcribere, quo & mores accuratius inſtituerentur, & Cultus divinus perageretur & Reſpubl. ordinaretur. Fecit hoc Deus apud unum hunc Populum, quoniam eum ſibi, ut proprium elegit. Reliquis Legem naturalem ſolam conceſſit, qua Rationi convenienter vivere poſſent, niſi partim negligentia, partim pravitate eam ſic corrupiſſent, ut nonnulli obſcuram, alii nullam fere ejus notitiam retinerent.

15. Nec tamen Leges, quas DEUS Iſraëlitis præſcripſit, ſine Ratione poſitæ. Nam illas, quæ ad *Mores* pertinent, Legi Naturali conſentaneas, immo nihil niſi pleniorem ejus promulgationem, eſſe conſtat. Idque aliter contingere non poterat, cum & Ratio & Revelatio a Deo ſit. Quod ſi quædam in Lege revelata cum hominis natura pugnant, ex corruptione id fit, quam peccatum naturæ induxit. Quæ vero Cultum & Reip. adminiſtrationem conſtituunt Leges, ſuis quoque rationibus Sapientia DEI dignis niti poſtea demonſtrabitur.

16. Le-

16. Legis ergo Iſraëli datæ tres ſunt partes. 1. *Moralis*, cujus finis eſt, hominibus probitatem & virtutem inſtillare. Ea præcepta omnia natura ſua bona ſunt. 2. *Civilis*, cujus finis eſt reipublicæ & judiciorum adminiſtratio. Hæc mixta ſunt præcepta. Alia enim per ſe bona, alia in ſe indifferentia. 3. Leges *Eccleſiaſticæ*, quæ ad Cultum externum Religionis, atque ad ritus ſ. ceremonias pertinent. Illæ ſunt in ſe indifferentes, ſed divina voluntate bonæ, atque Iſraëlitis neceſſariæ reddebantur.

17. Magna Legum iſtarum multitudo eſſe intelligitur, quoniam in Populo carnali & ſtupido DEUS nihil, quod non determinaretur, relinquere voluit. Judæi numerant in univerſum præcepta 613. quorum 248. ſint affirmativa, 365. negativa. Sed an hæc enumeratio accurata ſit, nihil attinet quærere. Hoc mirum, quod ne tanta quidem Legum multitudine contenti Judæi, *Legem oralem* ſ. *traditionalem* addiderunt ſcriptæ. De illa hæc tradunt: Moſen, cum Legem ſcriptam a DEO in Monte Sinai accepiſſet, accepiſſe ſimul ejus declarationem non ſcriptam. Utramque, cum rediret, primum Aaroni, dein ejus duobus filiis, tum LXX. Senioribus, tandem toti populo ſic tradidiſſe, prout acceperat; alteram ſcilicet ſcriptam, alteram ore prolatam; id quod deinceps continuatum eſt.

18. Hanc

18. Hanc itaque *Legem Oralem* non minore proſequuntur Judæi honore, quam ſcriptam. Immo vero hujus neglectum minoris criminis loco habent, quam prioris. Inde natum *Talmud*, quod eſt *Corpus Legum Judaicarum*, ſ. *Corpus Juris Judaici.* In hoc enim congeſtæ ſunt omnes Traditiones orales; quæ quidem haudquaquam a DEO per Moſen; ſed a Phariſæis & doctoribus ipſorum ortæ ſunt. Horum enim quisque Diſcipulis ſuis quædam ſub Legis oralis prætextu tradebat. Diſcipuli hæc in Pugillares memoriæ cauſſa adnotabant. Hæc itaque oretenus tantum in Scholis per aliquot ſæcula tradebantur. Poſt Templi vero & Urbis deſolationem, R. *Jehuda Hakkadoſch* metuere cœpit, ne durante diutius exilio Lex oralis interiret.

19. Itaque collegit, undecunque potuit, Schedas, quibus ea, quæ diximus, conſignata erant, & ex iis ſyſtema illud compoſuit, quod *Miſchna* appellatur. Id factum Sæc. II. p. C N. Doctores dein alii, uberiorem cum explicationem tum diſceptationem ſuppeditaturi *Gemaram* adjecerunt primo *Hieroſolymitanam*, circa finem Sæc. III. hinc *Babylonicam*, Sæc. IV. exeunte. Sic ergo *Miſchna*, quaſi Legis iteratio dicta, ſtilo hebræo ſatis puro conſignata, veterum & Chriſto anteriorum Doctorum traditiones continet. *Gemara Hieroſolymitana*, ſtilo impuro & conciſo

ſo ſcripta, illam auget. *Gemara Babylonica* copioſior eſt Miſchnæ ventilatio & interpretatio, quæ ſummam obtinet inter Judæos auctoritatem.

Vid. *Theol. Polem.* C. III. §. 9-11.

20. Sunt tamen & nonnulli, qui *Caraitæ* dicuntur, *Rabbanitis* oppoſiti, & Talmud cum univerſa Lege traditionali rejiciunt, quos propterea ceteri Judæi *Hæreticos* & *Sadducæos* nominant. Eorum adhuc multi in Oriente, in Polonia & Ruſſia reperiuntur, qui ſeſe credunt ex X. Tribubus Iſraelis eſſe, quas abduxit Salmanaſſar. Secta videtur ſenſim cœpiſſe & ſuccreviſſe, poſtquam infinita illa Traditionum vis animos plerorumque ita cepiſſet, ut majorem iis vel parem Scripturæ auctoritatem tribuerent. Id autem cœptum ante C. N. ex Evangeliis patet. Non tamen confundendi ſunt cum *Sadducæis*, qui licet in eo a Phariſæis diſſentiant, quod Traditiones haud admiſerint, aliis tamen dogmatibus prorſus a *Karæis* ſunt diverſi.

De illis Sectis vid. Hiſt. Eccl. V. T. & *Carpzov.* Appar. Hiſt. Crit. p. 168.

21. Hæc de *Lege orali.* Legem vero Scriptam ipſum Deum dediſſe Moſi ex S. Codice conſtat. Deſcribitur terribilis apparatus, quo id factum eſt Exod. XIX. Illum adhibuit Deus ad majeſtatem Legum ſuarum tanto magis demonſtrandam, & obediendi neceſſitatem firmius imprimendam. Cumque ipſe

Deus,

Deus, ſ. *Jehova*, dicatur Legem tuliſſe, quæritur, quid ſibi velint verba Act. VII. 38. 53. item Galat. III. 19. ubi Moſes cum Angelo verſatus, & Lex εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, ſeu διαταγεὶς δι' ἀγγέλους, lata dicitur. Reſp. *Angelus*, cum quo verſatus Moſes in monte *Sinai*, eſt Angelus ille *increatus*, Filius Dei, cujus ſæpe fit mentio in V. T. & cui, ut vero Deo, nomen *Jehova* attribuitur. Ceteri vero Angeli præſentes, ut Miniſtri, ad Majeſtatem actui conciliandam. Quod vero Hebr. II. 2. Lex dicitur δι' ἀγγέλων λαληθεὶς, *per Angelos prolata*: id rurſus ad Miniſterium Angelorum refertur, quo tum uſus eſt Deus, cui opponitur Evangelium, quod placide, & ſine terribili apparatu, per *Chriſtum* ipſum eſt adlatum.

22. Legis moralis ſumma eſt *Decalogus*, ex cujus Præceptis omnia officia deduci poſſunt, modo rectam interpretationis viam ingrediamur. Id non attendens *Joh. Clericus* ad Exod. XX. negavit Decalogum, ſeu, ut a Moſe Deut. IV. 13. vocatur, עשרת הדברים, *decem Verba*, eſſe *Epitomen univerſæ Legis* moralis. Ea in re illum falli ex ſequentibus patebit. Interim altera illa ejuſdem obſervatio minime ſpernenda; *Decalogum* (quamvis etiam ad Chriſtianos ſpectat) peculiari quodam modo Ebræis præſcriptum fuiſſe, quandoquidem nonnulla continet, quæ illos ſolos ſpectant: quæ qualia ſint, poſt apparebit. Continetur is Exod. XX. & Deut. V.

23. *Regulæ* recte interpretandi Decalogum ſunt

Digitized by Google

ſunt ſequentes. 1. *Lex eſt Spiritualis*, Rom. VII. 14. Itaque non externas modo actiones, ſed internas quoque moderatur, cunctosque animi motus & cogitationes in imperio continet. 2. Præcepta ejus ſunt *latiſſimæ* explicationis, cumque ſumma tantum rerum capita exprimant, includunt tamen omnia cognata, & quocunque modo illa attingentia. 3. Præcepta *affirmativa* ſemper obligant, nec unquam illis contrarium facere licet: neque tamen externi illi actus quocunque tempore vel loco ſunt præſtandi. 4. Præcepta *negativa* non tantum ſemper obligant, ſed & omni tempore & loco, cum nunquam faciendum ſit, quod Deus vetuit. 5. Præcepta *negativa* includunt *affirmantia*; & hæc viciſſim illa in ſe continent. Virtutes præſtari non poſſunt, niſi vitia fugiantur; nec vitiorum fuga ſine virtutis ſtudio conſiſtit.

24. Decalogus a Deo ipſo diviſus fuit in *duas Tabulas*, quibus Præcepta X. inſcripſit. Prior continet Præcepta IV. ad Officia erga Deum pertinentia. Altera habet VI. reliqua, quibus Officia erga Proximum deſcribuntur. Ordinem concinnum eſſe facile intelligitur. Nam ſic Officia erga Deum, ut digniora, præcedunt; erga homines ſequuntur, in quibus primum *Actiones*, dein *Verba*, tandem *Cogitata* ordinantur. Unde illam diviſionem ceteris præferimus.

25. Omnibus vero præmittitur *Præfatio: Ego ſum Jehova, Deus tuus, qui eduxi te e Terra Ægypti*,

Ægypti, *e domo ſervorum.* Proponit ea duplex incitamentum obedientiæ Legi præſtandæ. 1. Quod Legis auctor eſt *Jehova*, Deus verus, æternus, independens & immutabilis cum in eſſentia ſua, tum in conſiliis & dictis. 2. Quod & *Deus Iſraelis*, qui majoribus ipſorum ſe revelaverit, ac fœdus cum eis pepigerit, ejuſque vi plurima illis beneficia contulerit, in quibus maximum & noviſſimum illud eductionis ex Ægypto, & liberationis a dura ſervitute. Conf. Deut. V. 6. IV. 20.

26. Ea Præfatio Chriſtianis applicata hanc habet vim, ut prima quidem ratio eadem maneat. Deus ſemper idem eſt *Jehova* æternus & immutabilis, Creator & Dominus noſter, cui omne noſtrum obſequium debemus. Alterius vero rationis loco accipiendum eſt, quod Deus nobiſcum in Filio ſuo pepigit novum Fœdus, præſtantius autiquo & præſtantioribus promiſſis nixum: quod porro nos liberavit ex Ægypto ſpirituali, a tyrannica ſervitute Satanæ & peccati, cui non corpora modo, ſed & animæ obnoxiæ fuerunt; Col. I. 13. Quandoquidem ergo iſta præfatio nobis convenit ſenſu ſublimiori, quam Iſraëlitis, conſequens eſt, ut pleniorem obedientiam divinæ voluntati præſtare teneamur.

CAP. II. *de* I. *Præcepto.*

1. *Non erunt tibi Dii alieni coram facie mea,* Exod. XX. 3. Deut. V. 7. Id eſt, nec credes, alios eſſe, nec tales coles, aut adorabis. *Coram facie mea;* aut ſignificat, ut alii vertunt, *præter me*, ita ut ipſe *Jehova* ſolus pro Deo habeatur & colatur: aut *in præſentia & conſpectu meo*, ut Deus ſuam omnipræſentiam in mentem hominibus revocet, quod nusquam poteſt alius coli Deus, ubi Jehova non præſens adſit, & videat. Confer. Pſalm. LXXXI. 9. ſ.

2. Videndum primo loco, quia Præceptum eſt negativum, quid in eo vetetur. Id uno verbo appellatur *Idololatria.* Ea eſt vitium, quo pro uno illo Jehova; aut una cum eo ſ. præter eum, aliud quid colitur, aut divinis honoribus adficitur. Erat olim multiplex idololatria inter Gentes. Alii Solem, Lunam, Sidera alia: alii Ignem: alii homines, qui olim vixerant, eorumque Statuas; alii denique monſtra adorabant. Secundo loco apparet, quid jubeatur; ſc. ut Jehova, ſolus ille verus Deus, convenienter adoretur, & colatur.

3. Continentur ergo heic officia ſequentia. 1. Ut Deum talem ſtudeamus cognoſcere, qualis eſt, & qualem ſe cum Ratione tum Revelatione demonſtrat. Hinc itaque & Unitatem ejus, & ceteras omnes Perfectiones diligenter ad animum revocare debemus, ut ipſum ſolum cultu noſtro dignum intelligamus.

4. Hæc Dei cognitio debet eſſe 1. *explicita*, non implicita, qualem Rom. Eccleſia ſtatuit. 2. *viva & efficax*, quæ poſſit amorem & reliqua officia producere. 3. *Sufficiens*, quæ non tantum exiſtentiam & attributa; ſed & Opera & Voluntatem DEI comprehendat.

5. Huic igitur officio contraria eſt *ignorantia* & *error* voluntarius. Hic eſt, ſi quis non adhibeat omnem, quam poteſt, diligentiam ad verum cognoſcendum, aut ſi negligat uſum eorum mediorum, quibus ignorantia & error depelli poteſt. Ignorantia eſt fons non modo *hæreſium*, ſed & *vitiorum*, quandoquidem is, qui cognitionem non habet, non modo recte de Deo ſentire non poteſt; ſed ne officiis quidem ſuis recte fungi. Interim ignorantia & error involuntarius peccatum non eſt.

6. Qui Deum recte cognoſcit, ille etiam de ejus *Unitate* certiſſime perſuaſus erit. Nam hæc iis, qui ratione ſua bene utuntur, æque aperta eſt, ac ipſa Dei exiſtentia. Huic contraria fuit Gentilium πολυθεότης, ſive plures uno Deos ſummos, ſive, ut plerique, unum ſummum, ceteros inferiores & ſubordinatos, ſtatuerent.

7. Cognitionem Dei ſequitur *Cultus*, in quo *Pietas in Deum* conſiſtit. Ille eſt vel *internus* vel *externus*. Internus Cultus poſitus eſt in affectu Amoris, Honoris, Timoris, quo Deum proſequimur. Eo pertinet interna *adoratio*, quæ eſt ſenſus animi ex illo affectu ortus, qui Venera-

tionem, ac ſimul ſui exinanitionem ſ. humilitatem habet. Unde & patet, illius objectum nullum eſſe poſſe præter Deum. Nihil enim eſt, cui Animum noſtrum ita devovere licet, præter Ens ſummum, quod & dignum illo honore eſt, & noſtros ſenſus intimos perſpectos habet. Continet in ſe & *invocationem*, & *gratiarum actionem*. Conf. 1. Tim. II. 1.

8. Diſtinguunt Eccleſiæ Rom. Doctores inter λατρείαν & δουλείαν, quæ utraque Cultum exprimit. Putant hos eſſe diverſos gradus, ita quidem ut λατρεία ſoli Deo, δουλεία Sanctis, ὑπερδουλεία humanæ Chriſti Naturæ & B. Matri ejus tribuatur. Sed diſcrimen fictitium eſſe patet ex eo, quod S. Scriptura id prorſus ignorat: ὑπερδουλεία nulla uſquam occurrit. Ceteræ duæ voces promiſue uſurpantur. Vid. Act. XX. 19. Rom. VII. 6. XII. 11. XIV. 18. XVI. 18. ubi verbum δουλεύω de Deo prædicatur. Ceterum quid de Cultu religioſo Sanctorum & B. Virginis ſit ſentiendum poſtea videbimus.

9. *Amorem* eſſe primarium caput Cultus divini interni ex ipſa ejus natura liquet. Nam amor Deum, ut ſummum Bonum conſiderat. Hinc deſiderat eo frui. Idem eum ob omnimodam perfectionem & præſtantiam veneratur, qui eſt *Timor* Dei. Cumque in eodem contineatur conſideratio benignitatis cum potentia conjunctæ, inde emergit *Spes* & *Fiducia* in Deum. Tandem, qui amat, ſtudet ei, quem amat, placere, quod fit

per *Obedientiam* tum in agendo, tum in patiendo, quæ ſpeciatim *Patientia* appellatur.

10. Hic vero omnis *Cultus internus* excitatur & promovetur in homine *Mediis* quibusdam. Unde ſequitur Officium iis ſedulo utendi. Alia vero ſunt *generalia*, alia *ſpecialia*. Generalia ſunt Verbi divini diligens lectio & meditatio, Sacramentorum legitimus uſus, & omnia quæ pietati inſerviunt, ut ſunt, conſideratio exemplorum Chriſti & Sanctorum, Colloquia cum piis, & ſimilia.

11. Specialia Media ex ipſa natura ſingularum Cultus partium deducuntur. Sic *Amorem Dei* excitat diligens Beneficiorum Dei nobis collatorum meditatio: *Timorem*, frequens conſideratio divinorum judiciorum, quibus & potentia & juſtitia Dei ſe exſeruit: *Spem* & *fiduciam*; contemplatio exemplorum, quibus patet, non derelictos, qui in Deo fiduciam collocarunt; & recordatio documentorum, quibus ipſi divinum auxilium experti ſumus; tandem promiſſionum divinarum perpetua memoria.

12. Ad *Obedientiam* quoque excitandam conducit, ſi etiam atque etiam cogitemus de noſtra dependentia, & obligatione intrinſeca, quæ nobis incumbit; de divinis promiſſionibus, quæ obedientibus ſunt factæ; de utilitate, quam illa adfert; de exemplis Sanctorum, & Angelorum, & ipſius Filii Dei; Phil. II. 8, 9. *Adorationem* frequentem promovet contemplatio divinæ perfectionis, noſtræ

ſtræ indigentiæ & miſeriæ, beneficiorum Dei multitudo & magnitudo.

13. Tandem & cogitandum de *Impedimentis* eorum Officiorum removendis. Huc pertinent varia intellectus præjudicia & errores, amor inordinatus rerum hujus mundi, converſatio cum improbis, eorumque imitatio, perverſa æſtimatio eventuum hujus mundi, quos multi magis ad cauſſas ſecundas referunt, quam ad Dei providentiam: nimia fiducia ſui ipſius, ſ. potius ignorantia propriæ infirmitatis; philautia prava, ambitio, avaritia, voluptatis deſiderium, & ſimilia.

14. Hic vero occurrit quæſtio, an *Cultus*, qui ex recepto Eccleſiæ Rom. uſu *Sanctis* tribuitur, ſit huic Præcepto contrarius. Negat id Catechismus Romanus, propterea quod *honos Magiſtratibus delatus non adverſatur cultui & honori, quo Rex ſit adficiendus.* Immo vero addunt nonnulli, cultum hujusmodi *Sanctorum* nulla ex parte Gloriam Dei imminuere, ſed potius augere, tum quia ſic Deus etiam in Sanctis ſuis mirabilis agnoſcitur, tum quia hoc ipſum voluntatis divinæ eſt, ut eos honoremus, qui regni cœleſtis ſunt conſortes. Sed non eſt hæc quæſtio, annon etiam Creaturis pro ratione excellentiæ aliquis honos debeatur: qui tamen, non tantum gradu, ſed toto genere ab eo, qui DEO tribuitur, differre debet.

15. E contrario Pontificii *religioſum Cultum* Sanctis deferunt. Id tum ex eorum dictis & factis demonſtrari poteſt, tum ex aliis rebus.

Ita Bellarm. de Sanct. Beat. I. 14. Cultum Sanctorum contendit etiam eſſe *Cultum Religionis, ſed ſecundario.'* Maldonatus in Matth. V. 33. dicit *impium eſſe & imperitum Lutheranorum & Calvinianorum errorem, nullum niſi Deo, religionis honorem tribuentium.* Porro Pontificii iisdem rebus, & ceremoniis ſacris honorem *Sanctis* deferunt, ac Deo; templis nimirum, hymnis, luminaribus & ſimilibus, quibus non liceret homines in civili dignitate conſtitutos honorare. Itaque apparet, cultum, quem Sanctis tribuunt, eſſe religioſum, qualis Deo debetur. Committitur ergo idololatria,& peccatur adverſus primum præceptum: imprimis cum ille *cultus Sanctorum* ſupponat eos vel præſentes vel audientes, quid homines hic eis deferant, quod tamen falſum eſſe conſtat.

16. Sed dicunt Pontificii, *Sanctos* coli, quatenus conſiderantur, ut Templa Dei, ita ut in eis Deus colatur, qui utique in ſuis Creaturis coli poſſit. Unde quidam eo progrediuntur, ut aſſerant quamvis creaturam rite adorari poſſe, dummodo cum Deo aut cum aliquo Sancto conjuncta cogitetur. Hac ratione defendunt adorationem *imaginum*, quia repræſentant Deum: *reliquiarum*, propter contactum, & quia aliquando Sanctorum fuerunt: cujuslibet *creaturæ*, quia ſit opus Dei, isque in ea ſit ac operetur. Neque tamen quamlibet rem adorandam proponunt, propter periculum, quia rudis populus non ita facile Deum in ea apprehendere poſſit, ſicut in imagine aut aliis rebus ſacris.

17. Quod

Digitized by Google

17. Quod ſi hæc ita eſſent, eodem modo excuſari poſſet omnis idololatria Gentilium. Nec ulla ratio eſt, cur Prophetæ vel Gentes vel Judæos de ea arguere potuerint. Iſti enim etiam omnia ad Deum referebant, ſaltem ſecundum effata Sapientiorum. Imprimis vero excuſatione digni fuiſſent, qui Solem, Lunam & reliqua Sidera adorabant, quia ea ſunt opera Dei excellentiſſima. Fruſtra ergo diſtinguunt Pontificii, cultum religioſum & ſacrum, actus religionis primarios & ſecundarios, internos & externos, directos & indirectos.

18. Sed probare conantur, adorandas eſſe creaturas exemplis piorum in Script. S. relatis, ut Abrahami, Gen. XVIII. 2. Lothi Gen. XIX. 1. qui tamen nihil aliud egerunt, quam ut civilem & officioſum honorem iis exhiberent, quos advenas ignotos videbant. Sic enim verbum השתחוה, latine, *adorare*, ſæpius adhibetur. Vid. Gen. XXIII. 7. XXXIII. 3.

19. Majorem difficultatem habet exemplum Nebucadnezaris, qui Danielem *adoravit, & hoſtias ac incenſum præcepit, ut ſacrificarent ei.* Dan. II. 46. Reſpondebat jam olim *Hieronymus*, Regem non tam Danielem, quam in Daniele Deum adoraſſe. Sed addit: *Si hoc diſplicet, aſſerendum eſt, magnitudine Signorum & ſtupore confuſum id Regem feciſſe.* Utique ſane illud prius diſplicere debet. Creaturæ loco Creatoris cultus religioſus deferri non debet.

Itaque poſterius potius debet placere; & licet Daniel non obſtitiſſe, quominus talis honor ſibi deferretur, legatur, tamen id eum feciſſe plusquam credibile eſt. Id ſuadet ejus pietas, qui perpeti non potuit, ſibi divinos honores exhiberi, quod & Paullus Ap. Act. XIV. 13-15. & Angelus Apoc. XIX. 10. repudiarunt. Id quod & ſaniores Pontificii excepto *Bellarmino* confitentur.

20. Nobis porro objiciunt Synodi *Gangrenſis* Sæc. IV. decretum: *Si quis Sanctorum memorias contemnendas putaverit Anathema ſit.* Sed aliud eſt, Sanctorum memorias contemnere, aliud eos religioſo cultu non adorare. Prius juxta ac Concilium deteſtamur, non facimus tamen poſterius, ne Cultum ſoli Deo debitum Creaturæ tribuamus. Prius illud jam *Irenæus* reprehendit, III. 20. Scilicet exiſtimans, ſicut poſt eum *Auguſtinus*, honorandos eſſe propter imitationem, non adorandos propter religionem.

21. Cultus religioſi pars inſignis eſt *Invocatio*, quam etiam ad B. Virginem & Sanctos dirigunt; ſed quam dicunt eos reſpicere non ut Dominos, ſed ut Miniſtros & Interceſſores: unde a Deo petant, ut det; a Sanctis, ut intercedant apud eum, qui dat. Huic autem diſtinctioni adverſatur Praxis, dum eos ita invocant, ut præter interceſſionem ab iis directe petant, quæcunque ad animæ & corporis bona pertinent. Dicunt; ſi quis vivis hominibus adhuc nobiscum

cum in infirmitate conſtitutis, eum deferre poſſit honorem, ut eos compellet, eaque petat, quæ putat eſſe in eorum poteſtate: quanto magis vel Angelis vel Sanctis Spiritibus cum Chriſto regnantibus hæc ſint deferenda?

22. Reſpondemus 1. Aliam plane eſſe rationem compellationis vivorum hominum; aliam invocationis ſanctorum Spirituum, quia hæc, non illa, eſt religioſa. 2. Nullum mandatum talis invocationis, neque etiam exemplum in tota Scriptura reperiri poteſt. 3. Sine idololatriæ crimine talis invocatio fieri non poteſt. Nam omnis invocatio religioſa conjuncta eſt cum fide, Rom. X. 14. At fides aut fiducia in nullo homine poni debet, ſed in ſolo Deo.

23. Excipiunt Pontificii: Exodi XIV. 31. Iſraëlitæ dicuntur in Deum & in Moſen Servum ejus crediḋiſſe. ℟. Ibi recte Vulg. V. *Crediderunt Deo & Moſi*; quia adnotante *Druſio* in Hebr. utraque phraſis eodem redit. Sed quandoquidem in re ipſa eſt diſcrimen, & credere alicui, eſt eum pro verace habere; ſed credere in eum, eſt fiduciam boni conſequendi in eo collocare: prius non poteſt eſſe fundamentum precationis, ſed poſterius tantum. Unde credimus Prophetis, in ſolum Deum credere jubentibus.

24. Inſtant. Philem. ℣. 5. laudatur fides in *Jeſum & in omnes Sanctos.* ℞. Abſurdum eſt, eandem fidem in Sanctos, quæ eſt in Deum, ſtatuere. Hinc obſervandum eſt, in eo loco duarum Virtutum Apoſtolum meminiſſe, *Charitatis* & *Fidei.* Hæ per Verborum trajectionem referendæ ſunt ad ſuum quæque objectum; Fides ad Chriſtum, Charitas ad Sanctos, per quos fideles & Chriſtiani ceteri intelliguntur. Parallela ſunt loca; Coloſſ. I. 4. Eph. I. 15.

25. Porro Invocationem *Sanctorum* conjunctam eſſe cum idololatria inde patet, quia tribuit illis perfectiones divinas; ut, quod ſint ubique præſentes; quod omnia cognoſcant. Nam ſine his preces omnium ubique terrarum, & omni tempore effuſas exaudire non poſſent. Atqui hæc ſoli Deo competunt. Itaque Sancti dum invocantur, quaſi pro Diis habentur. Dicunt Pontif. Sanctis innôteſcere preces hominum per revelationem, de cujus modo non conſentiunt. Quidam loquuntur de *Speculo viſionis beatæ*, ſeu *S. Trinitatis*, quaſi, qui vident Deum, omnia in Deo viderent: alii de ſimplici revelatione. Sed cum hæc omnia obſcura & incerta ſint, patet rectius ipſum *Patrem*, *Filium* & *Sp. S.* invocari, ne exſpectandum nobis ſit, ut Deus revelet petitiones noſtras Sanctis, iſti vero dein rurſus per interceſſionem ad Deum referant.

26.

26. Ad peccata primo præcepto contraria referuntur etiam *Artes Magicæ*, cum quis a Creatura exſpectat, quod eſt ſupra naturam, ac ita ei tribuit vim divinam; & eam ad eos effectus edendos invocat, quos producere non poteſt? Sunt itaque homines horrenda impietate præditi, qui Dæmonem expreſſis verbis invocent. Alii utuntur verbis ſacris, quæ ſcripta ſint hoc vel illo modo, hac vel illa hora, vel aliis ritibus, quæ neque per ſe, neque ex divina inſtitutione poſſunt effectus ſperatos producere. Aliis rebus naturalibus adjungunt characteres, tanquam vim aliquam habentes; & quæ ſunt alia ſimilia. Hæc ideo ſunt idololatrica, quia noſtram fiduciam a DEO averſam in iis rebus collocant, in quibus collocari nec poteſt, nec debet.

27. Ad illicitas ejuſcemodi Artes pertinent *divinationes*, quæ conſiſtunt in perverſa opinione cognitionis rei occultæ, vel prædictionis futurorum, ope Dæmonis, expreſſe vel tacite ad hoc invocati. Earum aliud genus eſt, ſi quis non ad id utatur Dæmonis artibus, affectet nihilominus noſſe ſigna & tempora rerum occultarum, aut futurarum, quæ eſt illicita temeritas, aut curioſitas. Talis eſt, quæ vocatur occulta Philoſophia ſeu Aſtrologia judiciaria, quæ ex Aſtrorum influxu, per varias conſtella-

ſtellationes, non ſolum ea vaticinari conatur, quæ pertinent ad corporum aliqualem conſtitutionem, ſed etiam ad liberos & contingentes eventus. Cujus Artis vanitas jam dudum ſolide eſt demonſtrata, neque tamen in tanta Scientiarum ſolidiorum luce fautoribus caret. Talia etiam omnia damnantur Deut. XVIII. 10. 14. Jerem. X. 2. Actor. XIX. 18. Adde Levit. XX. 6. Eſaj. VIII. 19, 20. Unde Deus *Divinationem* graviſſimis peccatis accenſet, 1 Sam. XV. 23.

28. Præter has *externæ* Idolatriæ ſpecies eſt etiam illa *interna*, qua fit, ut vel nos ipſos vel alios homines quoscunque æque aut plus amemus, honoremus & timeamus, quem DEVM. Sic Idololatria ſpiritualis eſt, ſi Mundum aut Bona hujus Mundi æque, aut plus amemus, quam DEVM, ita ut horum conſequendorum cauſſa non dubitemus DEVM offendere, & officium negligere, ne illa amittamus. Sic quoque de aliis ſimilibus ſentiendum. Immo quodlibet peccatum certo reſpectu eſt *Idololatria*. Nunquam enim peccaret homo, niſi commodum ſuum aut voluptatem præferret Deo. Vid. 1 Sam. XV. 23. Libido, Avaritia & Ambitio nihil aliud ſunt, quam Idola, quæ multi colunt, 1 Joh. II. 16.

Cap. III.

Cap. III. *de 2. Præcepto.*

1. Exod. XX. 4, 5, 6. proponitur Præceptum ſecundum: *Non facies tibi ſculptile* &c. פֶּסֶל idem eſſe, quod צֶלֶם conſtat. Nimirum ſignificatur omnis imago ſive ſculpta, ſive ficta, ſive picta. Quod & verba ſequentia; *nec ullam ſimilitudinem;* indicant. Omnes ergo imagines fieri prohibet in eum finem, ut Deum repræſentent homines, & eum in his viſibilibus externe colant. *Non adorabis ea, neque coles.* Hæc excludunt omnem ſpeciem & rationem cultus religioſi, quam ullo externo corporis habitu, aut interno ſenſu exprimimus.

2. Fit deinde enumeratio viventium omnium, quæ incurrunt in hominum oculos, in quacunque Mundi parte verſentur, in eum ſcil. finem, ne ſub ulla illarum ſpecie Deus repræſentetur ac colatur. Ea enumeratio amplificatur, Deut. IV. 12.

3. Additur ſpecialis ratio ſ. ſanctio illius præcepti: *Ego ſum Deus fortis, Zelotes,* &c. Quibus verbis non tantum ſignificatur, Deum velle, ſed etiam poſſe punire Legis transgreſſores. Illa vero voluntas ſub nomine *Zelotypiæ* exprimitur, qui eſt affectus ex eo proveniens, quod quis timeat, ne alter id habeat, aut eo fruatur, quod ſibi cum nemine vult eſſe commune, qui adfectus maxime viget inter conjuges. Itaque ſub figura conjugalis fidei deſcribit Deus officium

po-

populi erga ipſum, quemadmodum Idololatria ſub *ſcortationis* nomine ſæpius proponitur.

4. Quid autem ſit facturus transgreſſoribus his verbis exprimitur: *Viſitans iniquitatem Patrum in Filios* &c. Ubi verbum *viſitationis*, quod alias eſt mediæ ſignificationis in malam partem accipitur, pro punitione irati judicis. E contrario promittit miſericordiam, ſ. beneficentiam in veros ſuos amicos & cultores. Notari debet heic differentia inter extenſionem pœnæ & præmii. Illa in *tertiam* & *quartam* generationem; hoc in *mille* fore prædicitur.

5. Quæritur an juſta ſit comminatio, cum peccata *patrum in liberis* punienda dicuntur. Procul dubio iſta comminatione in eum finem utitur Deus, ſicut & ſequenti promiſſione; quoniam hominibus ſolet eſſe cura poſteritatis, ut hac ratione moveantur magis ad verum cultum, & a falſo cultu abſterreantur. Ceterum pœnam peccatorum Deum etiam in poſteros exercere pluribus quoque locis teſtatur: Num. XIV. 33. 1 Sam. XV. Matth. XXIII. 35. E contrario aliis in locis Scriptura videtur negare, filios propter Patres puniri; Ezech. XVIII. 4. 20. Jerem. XXXI. 29.

6. Reſpondetur 1. Poteſt ea comminatio reſtringi ad poſteros, Patrum impietatem imitantes. Atque ſic nulla eſt iniquitas, ſi Deus impios impiorum Patrum filios ita puniat, ut etiam

etiam impietatis parentum, quam imitantur, rationem habeat. Hanc reſponſionem adjuvant ipſa Decalogi verba, ubi dicit Deus *ſe viſitaturum iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt eum.* Sed non omnibus placet hæc reſponſio: 1. quia verba לְשֹׂנְאָי; eorum, *qui oderunt me*, pertinent ad parentes, non ad poſteros. 2. Quia non opus erat tali comminatione, ſi de impiis ſolummodo poſteris ageretur. Nam iſtud per ſe patet, quod impios Deus omni tempore ſit puniturus.

7. Reſpondetur ergo 2. Non agitur in illa comminatione de pœnis æternis, quia Deus neminem, qui per ſe non eſt reus mortis æternæ, propter iniquitatem Patris ei addicet. Sed nulla eſt injuſtitia, ſi Deus pœnis temporalibus, multarum rerum jactura, morbis, & præmatura morte adfligat liberos, quamvis non ſint imitati peccata parentum. Si hoc accidat vivis Parentibus, puniuntur ipſi, dum vident ſuos Liberos adfligi: ſin mortuis; parentibus tamen, dum vivebant, & comminationem Dei cognoſcebant, pœna eſt, quod prædicitur, fore, ut Liberi poſt eorum fata miſeri ſint. Quod ſi iſti fuerint pii, talia ipſis non nocent, nec ſunt pœnæ eorum reſpectu; ſed poſſunt iis eſſe probationes, medicinæ malorum, & exercitia pietatis ac patientiæ; atque ita diligentibus Deum ad bonum tendunt. Conf. Levit. XXVI. 39. Thren. V. 6.

8. Obſer-

8. Obſervandum etiam de illa comminatione, Deum ita loqui, quod id juſte facere poſſit, ut tamen nullam ſibi adferat neceſſitatem, quominus etiam erga poſteros impiorum ſe præbere poſſit benignum, ſi placeat. Quemadmodum etiam, cum promittit Miſericordiam *in mille*; non ita extendit ejus fines, ut non poſſit etiam eam negare quorumdam piorum Liberis, ſi ejus rei adſint juſtæ cauſſæ. Exiſtimaverim tamen, iſtam comminationem, ſicut alia in Decalogo, potiſſimum reſpicere ad Genium Iſraëlit. quibus præ aliis fere gentibus cura poſteritatis magna erat, ut adeo vix gravior comminatio illis proponi potuerit.

9. Quærunt porro nonnulli; an iſtud Præceptum de *Imaginibus* ſit morale, & ad omnes, etiam ad Chriſtianos pertineat? An vero poſitivum ſ. peculiare populo Iſraëlitico? Multi tam veteres Scholaſtici, quam recentiores ex Pontif. exiſtimant, id tantum ad Judæos pertinuiſſe, ne imagines, more gentilium, tanquam Deos, adorent, aut ipſis Sacrificium offerant; imo vero ne ſibi effingerent aliquam Dei veri repræſentationem, aut ſanctorum hominum imagines, iisque aliquem cultum exhiberent. Addunt autem, præceptum illud, quoad iſtam partem, aut ceremoniale eſſe, aut ita poſitivum, ut ſolos Judæos obligaverit; ceſſaſſe nunc obligationem, nec Chriſtianos eodem præcepto teneri.

10. Hoc

10. Hoc ideo eos judicare conſtat, quod vident praxin Eccleſiæ Romanæ ita cum hoc Præcepto pugnare; ut ſtante illo nulla hæc arte poſſit defendi. Unde & illud ex tabulis divinis omittunt, & pro mera appendice primi habent, quam Chriſtianis poſitam non eſſe ſupponunt. Lutherani vero ita judicant, Præceptum quidem morale eſſe, quatenus omnis cultus religioſus imaginum prohibitus ſit: id tamen ceremoniale eſſe, quod Judæis interdictum fuit omni omnino imaginum uſu, etiam extra cultum.

11. Sed nos quidem exiſtimamus, illud præceptum omne eſſe naturale & morale. Unde & apparet, multos ex Sapientioribus gentilibus, ſine imaginibus colendum eſſe Deum credidiſſe. Habemus rationes ſequentes. 1. Niſi morale eſſet Præceptum, de non fingendis religionis cauſſa imaginibus, ne Gentes quidem potuiſſent in eo culpari, quod Deum ex materia quavis efformarent. Atqui hoc non in V. ſolum, ſed & in N. T. ſemper factum eſt. Ex eo quoque principio diſputat Paulus Act. XVII. 25, 29. 2. Nunquam legitur præceptum illud de imaginibus fuiſſe abrogatum, nec etiam ullam videmus rationem, cur debuerit abrogari.

12. Hinc ergo liquet, morem & conſuetudinem Eccleſiæ R. eſſe divino mandato contrariam. Negant id Pontif. dicuntque Deum juſſiſſe adorare res ſenſibiles, in qui-

bus non erat periculum idololatriæ, ut *arcam* & *propitiatorium;* unde inferunt, ſublato periculo, poſſe etiam imagines ſacras fieri & adorari. Sed 1. non ſublatum eſt inter Chriſtianos periculum idololatriæ, cum ipſi fateantur cordatiores inter Pontif. plebem multis modis in hac parte peccare. 2. Non juſſit Deus adorare ullam rem ſenſibilem, quamvis apud eas, apud quas promiſerit ſuam præſentiam, adorationem peragere debuerint. 3. Quo jure ex eo, quod Judæis præceptum fuit, ut apud certa divinæ præſentiæ viſibilia Symbola adorarent, quod manifeſto ad Cultum Ceremonialem pertinet: colligere poſſumus, præceptum ſecundum non eſſe morale; cum nonniſi ſpiritualis cultus N. Teſtamento conveniat?

13. Non tamen eſt exiſtimandum, omnes imagines, picturas atque ſculpturas Judæis fuiſſe prohibitas. Contrarium docet ſtructura Tabernaculi & Templi Salomonis, in quo variæ figuræ Cherubinorum & boum, a peritis Artificibus, quibus ipſe Deus mentem indidit, fabricatæ. Itaque eæ tantum figuræ fuerunt prohibitæ, quæ ad cultum referrentur. Sic & Serpens æneus populo non adorandus; ſed adſpiciendus proponebatur: cumque poſtea idololatriæ factus eſſet inſtrumentum, confractus ab Ezechia Rege fuit, 2 Reg. XVIII. 4. Voluit ergo Deus hoc præcepto ſecundo prohibere Judæos, ne eum colerent eo modo, quo gentes colunt Deos ſuos, per imagines repræſentatos.

14. Ma-

14. Maxime vetatur, ne *Deum* ipſum ullo modo repræſentemus, aut ſub imagine viſibili adoremus. Quod ſine dubio in mente habuerunt Patres Concilii *Illiberitani*, Sæc. IV. habiti Canone XXXVI. *Picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in Parietibus pingatur.* Hic Pontificii ſeſe in omnem partem convertunt. *Bellarminus* contendit, Canonem illum ad honorem imaginum fuiſſe ſancitum. Cavere voluiſſe Patres, ne in parietibus depictæ imagines ſacræ ſitu aut ſublata incruſtatione corrumperentur. Ideo noluiſſe in *parietibus* depingi; ſed in tabellis penſilibus. Sed verba hanc interpretationem non patiuntur: *picturas in Eccleſiis eſſe non debere.* Nullas enim admittunt prorſus picturas ſive in parietibus ſive in tabellis.

15. Quod vero ad ipſas imagines Dei attinet; fatentur Pontif. nulla imagine repræſentari poſſe Eſſentiam divinam; nec exiſtimandum Deum eſſe ſimilem illis imaginibus, quibus repræſentatur, ut Patrem ſeni, Filium juveni & Spiritum S. columbæ: ſed iſtas imagines tantum eſſe metaphoricas, & repræſentare quasdam patefactiones divinas. Sed quocunque animo id fiat, patet ex natura rei impoſſibile, & ex præcepto Dei illicitum eſſe, Deum quavis ratione efformare. Non poteſt allegari ulla ſolida ratio, qua id defendatur. Nam, quod de divinis

 appa-

apparitionibus dicitur, conſtat eas non ideo factas eſſe, ut Dei imagines efformarentur. Immo vero manifeſtum eſt periculum, in quod plebs rudior conjicitur, ut in errorem Anthropomorphitarum incidat, quo nihil eſt deterius, aut divina majeſtate indignius.

16. Hac de cauſſa ne illorum quidem ſententiam probamus, qui utut imagines non colendas eſſe ſtatuant, illas tamen in templis collocari poſſe credunt, ut piæ recordationis aut inſtitutionis ſint inſtrumenta, & ornatui ac devotioni alendæ inſerviant. Atqui hoc 1. fit contra Scripturam. 2. Contra praxin Eccleſiæ veteris, de qua conſtat, usque ad extremum Sæc. IV. & initia V. Imaginibus caruiſſe. 3. conjunctum eſt cum periculo ſuperſtitionis & idololatriæ. Primum jam eſt probatum; ſecundum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat. Tertium experientia docuit, cum prius uſus, deinceps cultus ſenſim introductus fuerit, ægre ferentibus præſtantiſſimis Eccleſiæ Doctoribus.

17. Ut hæc clarius intelligantur, oportet, ut Hiſtoriam Eccleſ. evolvamus, ac inde originem imaginum in Eccleſia Chriſtiana repetamus. Eo pertinent Libri quorundam auctorum ad id comparati, ut *Dallæi* & *Spanhemii* Hiſtoria imaginum. Nos rem in brevem ſummam colligemus. Fatentur ipſi cordatiores inter Pontificios, tribus ſæculis Chriſtianis prioribus, imo & initio IV.

ima-

imagines fuiſſe inter Chriſtianos rariſſimas, aut nullas. Verum ejus rei rationem tradunt: quod adhuc ſtaret Gentiliſmus, atque ita metuendum eſſet, ne offenderentur Gentiles, ac tantum objectum Idololatriæ, non ipſam Idololatriam ſublatam eſſe crederent. Hinc ergo cumprimum illud periculum ceſſaret, tum imagines ſacras receptas & cultas.

18. Callidum hoc effugium non agnoſcit *Baronius*, & alii, qui ſine fronte etiam recentiſſima figmenta ad ævum Apoſtolicum retulerunt. Interim certum eſt, non primis ſæculis, ſed ſequentibus; & quidem non ſimul omnibus in locis; ſed ſenſim imagines primo, deinde cultum introductum eſſe. Nec ullum Concilium pro imaginibus allegari poteſt, ante ſextum, quod Sæc. VII. eſt habitum; adeoque uſum Imaginum, publice ante illud non receptum fuiſſe conſtat. Paullo poſt illud tempus cœpit certamen de Imaginibus, dum Sæc. VIII. in Oriente fuerunt Imperatores *Iconomachi* ſ. *Iconoclaſtæ.* Eorum primus dicitur fuiſſe *Philippicus Bardanes*, qui effigiem Sextæ Synodi, qua *Monotheletæ*, quibus ipſe erat addictus, damnati fuerant, ex Palatio aufferri juſſit. Unde cum id Rom. Epiſcopo, qui tum *Conſtantinus* erat, diſplicuiſſet, cœpit de imaginibus acerrime diſputari.

19. Sed vere primus in Oriente Iconomachus erat *Leo Iſaurus* ſ. *Iſauricus*, qui, ut videtur, ab illis, quibus nimium invaleſcens *Iconodulia* diſplicebat, incitatus, imagines dejecit.

Alii aliàs cauſſas commemorant. Interim ille Imperator, priusquam id ageret, ad Senatum & ad Epiſcopos retulit. Reſtitit *Germanus*, Conſtantinop. & *Gregorius* II. Rom. Epiſcopi, argumentis uſi falſis, & ineptis. Hic vero, ulterius proceſſit, & ſubditos paullatim ab obedientia Imp. avertit; immo *Gregorius* III. Imperatorem excommunicavit. Tam fortiter ergo pro Imaginibus iſti pugnarunt, quaſi omni tempore inde ab Apoſtolis fuiſſent receptæ. Ipſe vero Imperator, tandem vim adhibuit, ac imagines amoveri & deſtrui, ipſas quoque picturas dealbari juſſit.

20. Sub filio *Conſtantino Copronymo*, *Artabasdus* quidam, adfinis Imperatoris, per patrocinium imaginibus promiſſum, vires acquiſivit, dejiciendi Imperatorem. Sed hoc dein ſuperato imagines iterum dejectæ. Habuit Conſtantinopoli a. 754. Concilium CCCXXXVIII. Epp. quorum conſenſus Imperatorem in inſtituto confirmavit. Idque etiam approbatum eſt in Synodo *Gentiliacenſi* in Gallia, quæ ſub *Pipino* rege habita eſt, ſaltem quoad Cultum. Similis Patri in Imaginibus rejiciendis fuit *Leo* IV. qui non permiſit, ut in Sacra reducerentur.

21. *Irene* vero ejus vidua, nomine *Conſtantini* f. aliquandiu regnans, omnem Cultum Imaginum reſtituit. Hujus auctoritate habitum eſt a. 887. *Concilium Nicenum* II. quod pro Oecumenico habetur, cum tamen ineptiſſi-

ptiſſimum & ſuperſtitioſiſſimum fuerit. Præſes *Taraſius*, Patriarcha Conſtantinop. Duobus Monachis impoſita Perſona Legatorum a tribus Patriarchis miſſorum. Eventus Concilii fuit reſtitutio pleniſſima imaginum & cultus illarum in Oriente, approbantibus Italis, diſſentientibus vero occidentalibus ceteris. Nam *Franci*, *Germani*, *Angli*, uſum quidem memorialem imaginum admittebant, ſed non cultum. Hæc planiſſime diſcimus ex *Libris Carolinis* IV. de Imaginibus, qui a Theologis Caroli M. ſcripti, ab ipſo adoptati, & in Synodo *Francofurtana* approbati ſunt. Iis Libris penitus rejicitur Synodus Nicena II. ejusque argumenta pro Cultu imaginum, tanquam inepta & ridicula reprehenduntur.

(*a*) Poſt editionem primam *Joh. Tilii*, Epiſc. Meldenſis, quæ a. 1549. prodiit, recudi eum Librum curavit, *C. A. Heumannus*, Hanoveræ 1731. 8. Inſcriptio eſt: *Auguſta Concilii Nicani II. Cenſura*, *hoc eſt*, *Caroli M. de impio Imaginum Cultu L. IV.* &c.

22. Illud Concilium *Francofurtanum* habitum eſt a. 794. a *Carolo M.* conſtans 300. Epp. nec minore jure pro Oecumenico habendum, quam *Nicenum* II. Ibi Legati *Hadriani* P. pro recipiendo Cultu Imaginum & approbatione Concilii Niceni II. nihil efficere potuerunt. Itaque hoc ſtatu rerum perſtitit negotium ad Sæc. IX.

23. Sæculo IX. *Irenæ* ſucceſſit *Nicephorus* Imp. Hic imagines quidem non evertit; ſed cuivis reliquit libertatem de illis agendi & ſentiendi, quod vellet. Sequutus *Michael Rhan-*

gabe, qui imaginum exſtitit Patronus, atque Iconomachos pœnis adfecit. *Leo Armenius* imagines iterum dejicere cœpit: Iſte a *Nicephoro*, Patriarcha Conſtantinop. petiit pro imaginibus probationem ex Scriptura, quam ille dare non potuit. Inſtituit Colloquium inter partes diſſidentes, quod importunitate *Theodori Studitæ*, vehementis imaginum Patroni, turbatum eſt. Habuit etiam Concilium Conſt. a. 814. quo Cultus imaginum damnatus. Patronos imaginum vehementiores, & in ipſum contumelioſos, pœnis adfecit. Secutus eſt *Michaël Balbus*, etiam imaginum adverſarius, cujus Legatio ad *Ludovicum* pium de tollendis imaginibus miſſa nihil effecit. Filius & ſucceſſor *Theophilus*, laudatiſſimus Princeps, acrior imaginum adverſarius. Reſtituit vero cultum imaginum *Theodora*, Theophili Vidua, cujus ſub tutela filius erat *Michaël.* Atque ita iſte in Oriente ſtabilitus eſt; quod tamen, quoad Græcos, propemodum de ſolis imaginibus *pictis* intelligendum eſt: Occidentalium vero Eccleſiarum fidem & praxin circa *Imagines* creſcens quotidie Rom. Sedis auctoritas ſenſim exſtinxit.

24. Temporibus deinde *Reformationis* inter Proteſtantes orta eſt diſſenſio. *Lutherus* imagines memoriæ & admonitionis cauſſa in Templis reliquit. *Caroloſtadius*, in Academia Witteberg. Lutheri Collega per ejus abſentiam Imagines ex Sacris ædibus ejecit. Ceteri

teri Reformatores in Helvetia, Anglia, Belgio imagines tolli maluerunt, ne antiqui abuſus redirent.

CAP. IV. *De Præcepto* 3.

1. *Præceptum* III. *Non aſſumes nomen Dom. Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen ejus fruſtra.* Exod. XX. 7. *Aſſumere* nomen Dei eſt illud uſurpare, potiſſimum *jurando.* Nam per id jurandum eſt. Deut. VI. 13. *Nomen* Dei accipitur pro Deo ipſo, pro omnibus attributis ejus, ac pro omni eo, quod de Deo dici poteſt. *In vanum*, eſt aut pro mendacio, aut pro re levicula, ſine aliqua graviore neceſſitate aut ratione. Itaque erraruntPhariſæi, qui *aſſumere nomen Dei in vanum*, & *pejerare*, pro eodem habuerunt, unde a Chriſto corriguntur Matth. V, 33. ſ. ubi docet, & illa juramenta eſſe vetita, quæ ſine ratione ac neceſſitate fiunt.

2. Additur præcepto comminatio. *Non habebit inſontem*, i. e. non relinquet impunitum. Hoc ergo præceptum linguam frenat, & ori repagulum injicit. Peccatur ergo in hanc Legem, quotiescunque homines etiam incogitanter, & absque reverentia Dei nomen uſurpant. Nam iſtud hac ratione in contemtum venit. Peccatur ergo contra hoc Præceptum, quoties Deus appellatur in rebus indignis, aut malis, aut ſine cordis adfectu, frigide & oſcitanter, aut ſi ſanctum illud nomen pro joco habeatur. E contrario Deus vult

nomen ſuum religioſe & ſancte uſurpari, ita ut ſermones noſtri ſerviant gloriæ Dei, ut vera Dei cognitio & reverentia propagetur, contraria amoveantur.

3. Quia vero abuſus nominis divini præcipue in *jurejurando* fieri poteſt, oportet ut de eo pluribus agatur. Eſt *Jusjurandum* orationis noſtræ confirmatio per Dei nomen. Hebræis vocatur שבוע, a verbo נשבע, quod paſſivum eſt, quia ab aliis in verba jurisjurandi homines adigebantur, cujus generis eſt illud Matth. XXVI. 63. Ejus hæc vis eſt, ut qui jurat, profiteatur ſe credere, ſi in ea re mentiatur, aut decipiat, fore ut impunitus non evadat, reſpectu Numinis, quod pœnas a jurante ſit exacturum.

4. Jurisjurandi ergo conditio 1. eſt, ut fiat in *Veritate*. Si ea abſit, Deus ut teſtis vocatus vel ignorantiæ vel improbitatis arguitur. Unde *Perjurii* gravitas intelligitur, quod a Blaſphemia parum abeſt. Veritas non tantum excludit mendacium; ſed etiam omnem fraudem & dolum, quia non aliud in corde jurantis eſſe debet, niſi quod eſt in ore. Huc pertinent *æquivocationes*, & mentales *reſervationes*, quibus ſe homines a mendacio & perjurio conantur excuſare, etſi homines fallant. Ea omnia illicita eſſe patet ex Levit. XIX. 11. Eph. IV. 25. Pſ. XII. 4.

5. Ajunt quidem, iis non utendum fallendi alios, ſed ſui conſervandi gratia. Sed hæc ſeparari non poſſunt. Qui ita ſe conſervat, ille fallet

ſallet alios. Nec dici poteſt, limitationem in mente reſervatam, in Dei conſpectu & loquentis ſenſu, mendacium excludere. Nam manifeſtum eſt, verba proximum ſemper reſpicere: & limitationem nullam eſſe admittendam, quæ nec ex verborum ſignificatione, nec ex circumſtantiis elici poſſit. Non eſt itaque vera reſponſio, quæ interrogantem fallit. Et, ſi admittantur reſervationes mentales, omnes fraudes, doli, veritatis abnegationes, etiam in cauſſa religionis, excuſari poſſent. Porro æquivocationes omnem inter homines fidem tollunt. Omnia mendacia per limitationes excuſari poterunt.

6. Secunda conditio Jurisjurandi eſt, ut fiat in *re licita.* Nam ſi quis illicitum jurat, peccat, nomen Dei in vanum aſſumens. Si illicitum, quod juravit, facit, peccat, quia illicitum. Si non facit, peccat, quia ſe facturum juraverat. Oportet ergo, ut quisque a tali jurejurando ſibi diligentiſſime caveat. Tale eſt eorum qui adverſus Remp. conſpirant, aut Societatem de latrocinio inter ſe ineunt. Quæritur tamen; qua ratione minus peccetur; an peragendo, quod juratum erat; an a jurejurando recedendo. ℞. Poſterius minus eſt peccatum. Quamvis enim perjurium omnium fere peccatorum ſit graviſſimum; tamen quia jurejurando ad rem illicitam nemo obſtringitur, id non ſervando perjurus non redditur homo; ſed peccatum in eo poſitum, quod temere juratum eſt. Peccatum augetur

tur, ſi id, quod juratum eſt, efficiamus, quia res eſt illicita.

7. Tertia conditio eſt, ut *neceſſitas*, aut magna aliqua utilitas requirat, in rebus gravioris momenti. Itaque peccant, qui ex conſuetudine, levi de cauſſa, jurant. Neque etiam exiſtimo ad jurisjurandi religionem ſufficere, ut privatus privato ex arbitrio juret. Opus eſt, ut Judex diſpiciat, num in quovis caſu jusjurandum ſit deferendum, aut accipiendum. Porro, non ſine ſolemnitatibus præſtandum jusjurandum, ut tanto religioſius tractetur, & obſervetur.

8. Diſtinguitur Jusjurandum in *Aſſertorium* & *Promiſſorium*. Illud, cum aliquid enuntiamus aut factum, aut non factum eſſe, quod ſolet eſſe Jusjurandum *Teſtium;* iſtud, cum nos facturos aut non facturos juramus: aut *purgatorium*, quo quis ſuam innocentiam aſſerit; aut *ſuppletorium*, quo probatio minus plena confirmatur. Quæ quidem legitime inſtituta talia ſunt, ut *omnis controverſiæ finem apud homines faciant*, Hebr. VI. 16.

9. Jurandi neceſſitatem attulit hominum pravitas, qua effectum eſt, ut illis injuratis in graviore negotio non credatur. Si enim fallaces non eſſent homines, tum quidem Deo advocato opus non eſſet. Nec etiam acciperetur Jusjurandum, niſi probabile eſſet, eum, qui jurat, majore religione verum eſſe dicturum, quam is, qui non jurat; quoniam ad communem obligationem verum dicendi, accedit nova ex Dei invocatione, qua fit, ut non

non cum hominibus ſolis, ut in quovis ſermone; ſed cum Deo nobis negotium ſit. Hinc apud Veteres jam uſitatum jusjurandum. Etiam ante Legem latám exempla in V. T. frequentia. Sic quoque apud alias gentes antiquiſſimis temporibus, ita ut ipſa naturalis religio id dictaſſe videatur.

10. Liquet ergo illos errare, qui Jusjurandum neceſſarium nunquam eſſe putant, quia Vir bonus, etiam injuratus, verum dicit. Si Vir bonus ille dicatur, qui nunquám fefellit, nec fallere poteſt, tum quidem nullo opus erit jurejurando. At ubi inveneris talem? Et, ſi de præterito credibile ſit, quis de præſenti aut futuro cavebit? Homines enim mutabiles eſſe conſtat; & optimum quemque videmus interdum adfectu aut graviore tentatione abripi. Opus eſt ergo arctiore vinculo, quo etiam Vir bonus conſtringatur.

11. Aiunt porro, malos ne jurisjurandi quidem religione moveri: Itaque apud hos inutile eſſe. ℞. Verum illud de iis, qui ſummum malitiæ & impietatis gradum jam attigerunt. Sed non omnes eo uſque progreſſi. Itaque ubi aliquid boni ſupereſt, ibi, quamvis veritas ipſa vim non habeat ſufficientem, poteſt tamen jurisjurandi religio habere. Non itaque inutile apud hos jusjurandum. Apud peſſimos vero id habet jusjurandum, ut qui Deum perjurii vindicem non metuunt, ſaltem homines metuant. Multi enim quos Dei reſpectus non tenet, hominum tamen interdum

dum metu continentur, apud quos Leges perjuris pœnas dictant. Quamvis Dei major ſit potentia, quam hominum; ſolet tamen impietati adjuncta eſſe incredulitas, quæ Deum ab oculis removet; cum Judicum præſentia perpetuam foveat de iis cogitationem.

12. Ex ea cauſſa, quod Viri boni eſt, verum dicere; nata videtur quæſtio; an *Chriſtianis licitum ſit jurare?* Acceſſit quod Chriſtus Matth. V. 33. ſ. & Jac. V. 12. viſus ſit ſuis jurejurando interdixiſſe. Tandem & ex antiquis Chriſtiani non pauci a jurejurando abhorruerunt. Patres nonnullos in ea ſententia fuiſſe conſtat, quæ & *Eraſmo* aliquo modo in Paraphr. & *Anabaptiſtis* placuit. *Eraſmus* jusjurandum tantum permittit, quando pro gloria Dei & pro cauſſa fidei & pietatis ſit præſtandum. *Anabaptiſtæ* vero univerſum tollunt, tanquam veracitati Chriſtianæ & charitati contrarium.

13. Nos vero licitum eſſe exiſtimamus jusjurandum, idque probamus 1°. Deut. VI. 13. & X. 20. Ubi jusjurandum, ut pars Cultus divini, eſſe poſitum liquet. Id ego ſic interpretor, ut, ſi omnino jurandum ſit, non fiat id per idola aut alias res; ſed per Deum verum. Quod confirmatur Eſaj. LXV. 16. Pſ. LXIII. 12. 2°. Jusjurandum ab ipſo Deo præſcriptum ad Caſus dubios diſſolvendos: Exod. XXII. 10. Hebr. VI. 15. 3°. Ipſe Deus jurejurando utens ſæpe introducitur: Gen. XXII. 16. Exod. XXXII. 13. Pſ. CV. 9. Hebr. VI. 13, 14. Hebr. IV. 3. ex Pſ. XCV. 11.

Qua

Qua re nihil aliud ſignificatur, quam certiſſima promiſſio Dei, quam ſine Perfectionum ſuarum detrimento non ſervare non poteſt. Adde Act. II. 30. ex Pſ. LXXXIX. 4. & CXXXII. 11. 4°. Proſtant exempla Sanctorum, Angelorum & Hominum: Apoc. X. 5, 6. reliqua ſunt obvia: Non in V. tantum, ſed & in N. T. ut Pauli, Rom. IX. 1. 2 Cor. I. 23. Rom. I. 9. Philipp. I. 8. 1 Theſſ. II. 5. 2 Cor. XI. 13. Galat. I. 20. 1 Theſſ. V. 27. Et tandem Ratio jurisjurandi introducti perpetua eſt, de qua Hebr. VI. 15. quia ſunt controverſiæ, & eæ non facile finiuntur ſine jurejurando.

14. Qui contrarium ſentiunt, maxime nituntur verbis Chriſti, Matth. V. 34. & Jac. V. 12. ubi exiſtimant, omnia juramenta abſolute prohiberi. ℞. Si Chriſtus ſine exceptione jusjurandum prohiberet, contraria doceret Patri, quem jam vidimus permiſiſſe. Unde & male id pro Legis Moſaicæ correctione habetur. Non correxit Chriſtus Legent; ſed expoſuit & vindicavit a corruptela Phariſæorum, qui præcept. 3. ad perjurium reſtringebant. Prohibet itaque Dominus formulas jurandi obliquas & indirectas, quibus putabant Phariſæi, ſe non teneri ad præſtanda, quæ promiſerant; aut non graviter peccare, ſi talibus formulis aſſererent, aut negarent ea, quæ levioris momenti eſſent, dummodo nomen Dei haud exprimerent. 2. Jusjurandum temere prolatum.

15. Scopus ergo Chriſti, & Jacobi, qui verba

verba Chriſti repetit, eſt oſtendere, non modo perjurium; ſed omne juramentum de re inutili & non neceſſaria, quovis modo præſtitum prohiberi. Non eſt ergo nec abrogatio Legis, nec Additio ad Legem, ſed Interpretatio. Auguſtinus ita interpretatur, ut, quantum in te eſt, non adfectes, non ames, nec adeo adſueſcas juramento, nec niſi neceſſitate requirente id facias. Nam qui aliter jurat, peccat per irreverentiam Nominis divini. Sic & probabile eſt ſenſiſſe veteres, ut juramentis temerariis abſtinerent. Sed puto & aliam ſubfuiſſe rationem, quod jusjurandum ab illis exigeretur per idola & per Genium Cæſaris, quod ſalva conſcientia non poterant præſtare.

16. Sic ergo, cum Chriſtus dicit, *omnino* non eſſe jurandum, non poteſt univerſaliter intelligi, de quolibet juramento, quaſi ſimpliciter jurandum non ſit, quod repugnaret & naturæ rei, quæ nihil in ſe mali habet; & praxi Apoſtolorum: Sed de juramentis temerariis & levibus, vel conceptis per creaturas, quarum nonnullas in ſequentibus Chriſtus recenſuit. Nec verba: *Sit Sermo veſter ναὶ ναὶ, οὒ οὒ*: aliud probaret; quia tantum loquitur ibi Chriſtus de Sermone ordinario, & familiari colloquio, ubi ſi quid addatur, illud eſt *ἐκ τοῦ πονηροῦ.*

17. Quæſtio 2. de *Jurejurando* eſt: *Num liceat per Creaturas jurare?* Nos quidem id ſine hæſitatione negamus. Nam Jusjurandum eſt actus religionis, quia jurare nihil aliud eſt, quam Deum teſtem invocare; & Deus ipſe id ad cultum ſuum refert Eſ. XIX. 18. XLVIII. 1. Hoſ. IV. 15. Jerem. V. 7. Neque hoc diffitentur Pontificii, qui & per *Sanctos* jurandum eſſe ſtatuunt; ſed adhibent diſtinctiones. Licitum eſſe ſtatuunt juramentum per Creaturas, quatenus in iis elucent perfectiones divinæ. Quod licet ad quamvis creaturam referri poſſit, quippe cum in qualibet eluceat divina perfectio; reſtringunt tamen ad eas creaturas, quæ divino cultui ſunt deputatæ; tales ſunt *Sancti, Angeli*, *Evangelia*, *Reliquiæ Sanctorum*, ubi primario honoretur Deus, ſecundario Creatura.

18. Probare id contendunt ex verbis Chriſti, qui Matth. V. 34-36. & XXIII. 21, 22. oſtendit, juramenta per Creaturas referri ad ipſum Deum. ℞. Fuerunt & inter Proteſtantes *Calvinus* & *Grotius*, qui eam mentem Domini fuiſſe exiſtimarent, non ut vetaret talibus formulis uti; ſed ut declararet, illis non minus obligari jurantem, quam ſi Deum ipſum nominaret. Non tamen ſequitur, jurari poſſe vel debere per *Angelos* vel *Sanctos*, quoniam illi non per metonymiam ſigni Numen indicant; ſed qui jurant, illos pro objecto Cultus religioſi habent. Unde, ob periculum Idololatriæ præſtat juramentis per

 Cre-

Creaturas penitus abſtinere. Diſtinctiones, quæ adferuntur, ſunt ipſis Doctoribus, nedum Plebi, obſcuræ.

19. Sunt tamen quidam modi, in quibus a jurantibus *Creaturæ* nominari poſſunt ſine ulla idololatriæ ſuſpicione: 1. in juramento exſecratorio, cum quis creaturam ad ſe pertinentem devovet, Deique judicis ſeveræ ultioni exponit, niſi verum dicat. Sic juratur per *vitam* Pſ. VII. 6. per *animam* 2 Cor. I. 1. Dein cum quis in jurando ejus rei meminit, quæ ipſi præcipue cara & honorabilis ſit. Sic jurat Joſephus Gen. XLII. 15. Abner 1 Sam. XVII. 55. Ubi ſenſus eſt, id quod aſſeritur tam eſſe certum, quam erat certum, vivere *Pharaonem*, *Saulem* &c. Quando vero Moſes *Cœlum* & *Terram* teſtes advocat Deut. IV. 26. XXX. 19. ea eſt proſopopœia, non juramentum. De cæremoniis vero jurisjurandi, illud cavendum, ne quid ſuperſtitioſi in ſe habeant. Sic qui jurant manibus *Evangelio* impoſitis, non aliter id facere debent, quam ut indicent, ita vera eſſe, quæ dicunt, ut credant vera eſſe, quæ in Evangelio leguntur.

20. Quæritur porro; an exigi poſſit *jusjurandum ab Idololatra?* Dubitari de eo poteſt, quia per Idola jurare eſt peccatum. Petere itaque, ut per idola juretur, itidem peccatum eſt. ℟. Videtur tamen Chriſtiano Judici non illicitum, ut Gentilem in ſuis ditionibus degentem ad jurandum adigat, licet eum

tum per idola juraturum ſciat. Sic etiam Proteſtanti Principi ſubditos Pontificios habenti illicitum non eſt, eos jurejurando adigere, quamvis per Sanctos ſciat juraturos. Jurandum enim eſt per id, quod is, qui jurat, religioſe colit; ſine quo fides publica ſtare non poteſt. Sic quoque ſentit *Ameſius* de Conſcientia L. IV. C. XXII. §. 40.

21. Alia quæſtio huic adfinis eſt: an *liceat exigere aut accipere jusjurandum ab eo, quem credimus pejeraturum?* ℟. Exigens vel accipiens jusjurandum ab eo, quem certo credit pejeraturum, peccat, dum alterum ad peccandum inducit. Sin autem tantum ſuſpicetur, pejeraturum; tum explorandum, num jusjurandum in eo caſu ſit neceſſarium, annon? Si prius; poteſt exigere aut accipere jusjurandum, quandoquidem præſens neceſſitas prævalet ſuſpicioni. Sin abſolute neceſſarium non eſt, debet jurejurando abſtinere; quia ſine neceſſitate jurandum nunquam eſt, multo minus in periculo perjurii. Ita ſi cauſſa ſit dubia, oportet ut alia potius ratione decidatur, aut ſententia differatur, ut forte tempus ipſum rem illuſtrare poſſit.

22. Quæritur porro; an *omne jusjurandum de re licita factum, ſit præſtandum?* ℟. Præſtandum eſt, excepto illo, quod coacti fecimus, aut fraude inducti. Quod enim ad hoc poſterius attinet; quemadmodum promiſſum fraude elicitum non obligat, ita nec jusjurandum. Semper enim in pacto quovis

ſupponitur, rem ita ſe habere, prout traditur. Hinc diſceptatur, cur *Joſua* ſervandum ſibi eſſe duxerit Jusjurandum *Gabaonitis* datum. Vid. Joſ. IX. Sunt, qui exiſtiment, ob *reverentiam jurisjurandi* id factum eſſe, ut ſervaret Joſua promiſſum; id quod pie dicitur. Sic omnino faciet quilibet homo religioſus, qui jurejurando ſe obſtrinxerit ad aliquid ſibi oneroſum aut moleſtum, aut noxium. Conf. Pſalm. XV. 4. Sed aliter ſe res habet, cum de *re illicita* agitur, qualis fuiſſe videtur pax *Gabaonitis* data. Erant enim iſti ex Gentibus, internecione delendis, prout Deus præcepit Exod. XXIII. 32. XXXIV. 12. Deut. VII. 2. quod edictum non reſtrictum eſt per Legem Deut. XX. 10. ut tradidit Cleric. ad Joſ. IX. 18. Nam ea in ſequentibus ſtatim ad eos refertur, qui Cananæam habitarent. Gabaonitæ vero in media Cananæa; quod ſuſpicabantur Iſraëlitæ, & reipſa compererunt. Duæ heic occurrunt explicandi nodum iſtum rationes. Vel enim ſupponendum eſt, Deum illud pactum, quamvis fraude impetratum, ratihabuiſſe poſtmodum, cujus tamen rei nullum prorſus exſtat indicium. Vel ſtatuendum, Iſraëlitas ſuum pactum revocare non potuiſſe, licet fraudem poſtea deprehenderent; quia culpa eorum fuit, quod non inquiſiverint diligentius in ſedes Gabaonitarum: quæ eſt ſententia *Clerici*. Idque verum quidem eſt; nec dubitandum, quin jusjurandum, quamvis temere factum, obliget. Sed obſtat ſemper,

quod

quod heic de re illicita agitur, quam ne jurato quidem perpetrare fas eſt. Succurrit mihi illud, quod, poſt expenſa ea, quæ Doctores Juris Nat. in hanc rem annotarunt, ab nullo obſervatum, tamen maxime probandum, videtur. Nimirum cum agatur de re, quæ non per ſe, ſed Lege tantum poſitiva & arbitraria, vetabatur; debuiſſe religionem Jurisjurandi, quod Lege morali & æterna honorandum præcipitur, prævalere; atque ſic Gabaonitis vitam conceſſam; ita ut Lex poſitiva cederet morali.

23. Quid vero ſentiendum de eo. quod *metu præſenti coacti* fecimus? Diſtinguendum ante omnia inter metum juſte intentatum, & eum, qui injuſtus eſt. Si rebellis Principi, aut bello ſubactus Victori fidem dederit, tenetur eam ſervare; maxime cum jurejurando eam confirmaverit. Ratio eſt, quia ni id fieret, nulla unquam pax poſt bellum firma rediret, atque ſic bellum perpetuum gerendum eſſet, quod non poteſt & Reip. & Eccleſiæ non pernicioſum eſſe. Si metus a Superiore incuſſus, vel periculum non jurantibus imminens, tolleret obligationem; facile omnis ſubverteretur fides. Malus Civis dicet, ſe jurejurando Principi dato non teneri, quia metu pœnæ vel exilii adactus id fecerit: ſicque collaberetur fundamentum humanæ Societatis. Sed ille metus minime injuſte eſt intentatus. Vis injuſta eſt *Latronis* aut *Piratæ*. Tamen diſſident auctores, num jurans teneatur. Theo-

logi, *Rivetus* in Decalog. *Ameſius* de Conſcientia IV. 22. XXVII. *Placetius* de Jurejur. II. 21. una cum *Grotio* J. B. & P. II. 13. 14. exiſtimant teneri jurantem. Quamvis in latronis violentia nullum jus fundetur: manere tamen ſentiunt obligationem reſpectu Dei, cujus nomine juratum eſt. Sed *Puffendorf.* J. N. & G. IV. 2. 8. cum *Barbeyracio* in adnot. aliter cenſet. Cum enim pactum ſ. promiſſum latroni factum non ſit validum, nec jusjurandum novam adferat obligationem, hinc jurejurando promiſſum metu extortum validum non fieri contendunt. Hinc ſequitur, talia juramenta non obligare. Nulla enim eſt cum publicis totius humani Generis hoſtibus Juris aut Sacrorum communio; nullum commune vinculum. Sique promiſſum vi injuſta extortum validum non eſt, non fiet validum, ſi jusjurandum accedat. Reſpicit quidem Jusjurandum ad Deum; ſed id quod injuſte opprimenti datur, non Deo, ſed latroni aliquid promittit; ad quod præſtandum cum non teneatur, patet nec jurejurando teneri.

24. Non tamen putaverim, ſine peccato eſſe illum, qui vel fraude, quam adhibita ſollertia detegere potuit; vel vi ad jurandum inducitur. Talis temere jurantibus eſt accenſendus. Qui fraude inductus eſt, quam detegere potuit, peccat, quia non adhibet diligentiam tantæ rei convenientem. Qui vi injuſta adactus eſt, vitam aut

bona

bona prætulit Gloriæ divinæ; hanc jurando violare maluit, quam non jurando illa amittere. Itaque in utroque caſu, ſi res jurata ſit licita, præſtare potius, quam non præſtare eam convenit, quamvis cum damno noſtro ſit conjuncta, Pſ. XV. 4. Sin illicita; peccatum pœnitentia ſeria deplorandum, veniaque a Deo expetenda. Omnibus itaque expenſis concludo, talia juramenta non obligare quidem proprie loquendo; quia pactum eſt invalidum: Sed improprie tamen, ob reverentiam Deo debitam. Latro aut fraudulentus non habet jus a me promiſſum exigendi: Sed Deus habet jus temere jurantem puniendi.

25. De *Blaſphemia* hic quoque agendum. Accipitur interdum id nomen de hominibus, diciturque *ἀπὸ τοῦ βλάπτειν τὴν Φήμην*, cum quis convitiis proſcinditur: Rom. III. 8. 1 Cor. IV. 13. Apoc. II. 9. Tit. III. 2. 2 Petr. II. 10. Jud. ℣. 8, 9, 10. Hic vero de ea, quæ Deum ipſum aggreditur, nobis agendum. Eſt ergo *convitium in Deum*, quod admittitur, quoties aut de Deo, aut de rebus ad Deum pertinentibus, aliquid vel adſeritur vel negatur, quod ei contumelioſum eſt. Hinc colligitur, eam eſſe vel *immediatam* vel *mediatam*. Illa eſt, qua ipſe Deus aut attributa ejus perſtringuntur: hæc, cum res ad Deum pertinentes contumelioſis verbis tractantur, ut Scriptura S. Cultus divinus, Sacramenta. Alia item eſt blaſphemia *directa*, quæ & formalis, alia *indirecta*

 ſeu

ſeu materialis. Illa eſt, cum Deum aut res divinas convitianti adeſt animus Deum ignominia adficiendi, ſ. intentio blaſphemandi. Hæc vero, ubi animus aut intentio non adeſt; quod fit, cum ex ignorantia, aut errore peccatur. Sic ex ignorantia agebat Paulus odio Chriſtianæ Religionis flagrans 1 Tim. I. 13.

26. Si quis infidelis eum, quem ipſe non credit Deum; aut rem divinam, quam non colit, convitio adficiat, non habet quidem animum blaſphemandi, neque adeo committit *directam* blaſphemiam; nec eo ſecius peccat. Primo quidem in Deum, quem nemo ignorat, niſi ſua culpa. Dein peccat in homines, quorum religionem proſcindit; unde & divina & humana pœna talis eſt dignus: minore tamen, quam ſi directe blaſphemaret. Iſtud enim peccatum eſt, quod elata manu, & ex manifeſto Dei contemtu perpetratur, *Crimen læſæ Majeſtatis divinæ.*

27. Exempla blaſphemantium, quæ a S. Scriptura referuntur, utile eſt conſiderare, ut naturam hujus peccati penitius perſpiciamus. Vir *Ægyptius* Levit. XXIV. 10, 11. blaſphemabat *Nomen* Dei, השם. Non ut Rabbini interpretantur id proferendo, quod proferre non liceat; ſed verbis ignominioſis id violando. Ei ex Dei peculiari mandato ſupplicium Lapidationis inflictum. Ibi duo verba adhibentur, unum a קבב, quod *exſecrare*, aut *diris devovere* ſignificat, eoque

ſenſu

ſenſu ſæpius de hominibus accipitur Num. XXIII. 13. De Deo nullibi præterea occurrit. Alterum eſt a קלל, quod & ſæpiſſime de hominibus adhibetur, & notat *imprecationem.*

28. Aliud exemplum eſt Miniſtrorum Regis *Sanheribi*, qui 2 Reg. XIX. dicuntur blaſphemaſſe Deum. Adhibetur verbum גדף *convitiatus eſt*, & חרף, *probro adfecit*; ubi de dictis in Deum contumelioſis agitur. De *Blaſphemia* plerique interpretantur verba Uxoris Jobi, Cap. II. 9. *Benedic Deo & morere.* Sunt enim non nulla alia loca, ubi בָּרַךְ *benedicere*, pro *maledicere* ponatur, ut Jobi I. 5. 11. & 1 Reg. XXI. 10. 13. In quo poſteriore loco iterum habemus exemplum *Blaſphemiæ*, quamvis falſo intentatæ & punitæ. Act. XXVI. 11. de Paulo ante converſionem traditur, illum coëgiſſe homines *blaſphemare*, i. e. abnegare Chriſtum, quod Gentiles vocabant, *maledicere Chriſto.*

29. Jeſum *blaſphemare* dicebant Phariſæi & alii Judæi, cum ille ſibi ea attribueret, quæ ſunt Dei, aut ſe Dei Filium adſereret; Matth. IX. 3. XXVI. 65. Joh. X. 36. Porro βλασφημεῖν dicuntur Deum impii homines, qui contumelioſa verba & maledicta in eum eructant, Apoc. XVI. 11. 21. Sic Nomen Dei dicitur *blaſphemari*, propter eos, qui verbis ſe profitentur Dei Cultores,

re ipſa eum abnegant, aut Leges ſpernunt, Rom. II. 24. dum impiis occaſionem dant religioni inſultandi. Conf. 1 Tim. VI. 1. Tit. II. 5. 2 Petr. II. 2.

30. Quin *Blaſphemia* grave ſit peccatum, dubium non eſt, cum nulla ſit majeſtas potior, quam Dei, quæ cum violatur convitiis, nihil eſt, quod gravius admittere poſſimus. Interim & gradus ſunt. Sic atrocior eſt *directa*, quam *indirecta*; *immediata*, quam *mediata*. Cui differentiæ & divina pœna accommodabitur, & humana eſt accommodanda. Lex Dei expreſſa eſt Levit. XXIV. 15, 16. Ubi Supplicium Lapidationis decernitur. Conf. 1 Reg. XXI. 10. 13. Hinc & *Juſtinianus* Imp. in *Authenticis* pœnam mortis blaſphemo decernit.

31. Peculiaris blaſphemiæ Species illa eſt, quæ dicitur *Blaſphemia in Spiritum S.* de qua agitur Matth. XII. De hac alii alia ſtatuunt. *Auguſtin.* cenſet; Peccatum illud eſſe cordis impœnitentis perſeverantem duritiem, quæ in nullo dum in hac vita eſt, deprehendi poſſit. Epiſt. L. ad Bonif. Alii peccatum illud definiunt: quod ſit abnegatio agnitæ & in conſcientia approbatæ evang. veritatis, quæ ſit deſtinato conſilio, cum pertinaci impugnatione ac convitiis in ea, quæ a Sp. S. profecta ſunt.

Et

Et hæc quidem videtur nota characteriſtica illius Blaſphemiæ. Quia ergo de animo ſic blaſphemantis nemo hominum judicare poteſt; hinc etiam de illo peccato difficilis eſt cognitio.

32. Cur vero illa vocetur *Blaſphemia in Sp. S.* cum totam S. Trinitatem tangat convitium veritati Evang. dictum; non rectius declaratur, quam ſi obſervetur, Spiritum S. peculiariter per Evangelium in convertendis hominibus operari, & ſic ab eo, qui blaſphemat Sp. S. ipſum Salutis medium directe impugnari. Sic faciebant Phariſæi, qui miracula Domini per Sp. S. facta ad veritatis comprobationem, per vim Dæmonis fieri dictitabant. Noverat Dominus, id ex deliberata animi malitia, contra lumen Conſcientiæ dici, ſicque illud irremiſſibile dixit.

33. Hic eſt locus etiam *de Votis* agendi. *Votum* eſt promiſſio religioſa Deo facta animo ſpontaneo, de iis, quæ Deo ſunt grata. Hinc quodammodo ad juramenta promiſſoria referri poſſunt *Vota.* Suntque vel de iis rebus, quas Deo jam ante debemus; vel de rebus indifferentibus. In priori genere rerum votum facit ad nos ipſos magis magisque excitandos, ut officium faciamus. Nec objiciendum eſt, per tale votum perire noſtram libertatem. Nam ea neceſſitas

per

per ipſam noſtram voluntatem nobis infertur. Nec injicitur nobis laqueus, ſed nova adhibetur incitatio ad ea, quæ antea debebamus.

34. Itaque dubium eſſe non debet, quin etiam res præcepta poſſit eſſe materia Voti, quia cum neceſſitas præcepti non tollat naturalem poteſtatem id violandi; nihil vetat, quominus homo non tantum a Deo Legem accipiat, qua prohibeatur tali poteſtate uti, ſed etiam per votum ſibi Legem ponat, ita ut uni vinculo alterum addatur. Sic Gen. XXVIII. 20, 22 vovebat Jacob, *Jehovam fore ipſi Deum*, quod tamen, ut officium illi jam incumbebat. Sunt & alia ejuscemodi exempla. Tale quoque eſt *Votum Chriſtianorum baptismale.*

35. De iis vero, quæ præcepta non ſunt, multa quoque Deo voveri poſſe haud negamus, quamvis minime probemus ἐϑελοϑρησκίαν Pontificiorum, qua novos Dei Cultus in ſuis *Votis* inſtituunt. Admittimus vota legitima, de re non præcepta, ſed tamen Deo grata; ut ſi quis ſummam aliquam ſuorum Bonorum deſtinare voto velit in uſum pauperum, aut abſtinere a re aliqua licita, ut cultui divino melius vacare poſſit. Quæritur ergo, quænam ſint *Vota legitima.*

36. In legitimis *Votis* primum ſpectanda eſt ætas voventis, quæ debet eſſe matura, ut poſſit *Voti* materiam & gravitatem intelligere. Pontificii VII. ætatis annum ſufficere dicunt.

Sed

Sed conſtat, ea ætate nondum ad jusjurandum admitti pueros. Ergo nec ad Votum admittendi. Non videtur ergo ætas votis idonea, antequam idonea ſit recipiendæ S. Euchariſtiæ, quod ante XVI. annum vix conceditur.

37. Porro requiritur, ut qui vovet, ſit mente ſana præditus, & eo quoque tempore, qúo vovet, uſu rationis non careat; non ebrius, nón amens, nec in vehementi quadam animi commotione conſtitutus. Ad votum legitimum requiritur libera & deliberata voluntas. Huc pertinet etiam, quod voventes debent eſſe ſui juris, non ſub aliorum poteſtate, ut uxores, liberi, ſervi. Nam & olim horum Vota irrita facere poterant illi, in quorum poteſtate erant Numer. XXX. 4. ſ.

38. Ut Votum ſit legitimum oportet, ut ſit ſpontaneum, non vi coactum, vel auctoritate ſuperiorum expreſſum. Ubi gravis terror accedit, aut metus, ibi ſpontaneitas ceſſat. Multo minus fraude aliquis ad vovendum induci debet, ut aut ignoret quid agatur, aut vel in reipſa, vel in modo erret. Talis enim non ſponte ſua, ſed invitus vovet.

39. Etiam nemini vovendum, niſi *Deo.* Ergo non *Sanctis.* Eſt Votum ſpecies Cultus religioſi, qui cum nemini, niſi Deo, ſalva conſcientia, deferri poſſit, etiam quid in Votis faciendum ſit, conſtat. Conf. Pſalm. L. 14. LXXVI. 12. Eſaj. XIX. 21.

40 De

40. De obligatione Votorum ſic cenſemus: Vota legitime ſuſcepta, ſecundum conditiones præmiſſas, obligare; non alia. Sic impium fuit Votum Judæorum Act. XXIII. 12. Huc pertinent & vota temere ſuſcepta, de re incerta & vaga, quæ poſtmodum talis eſſe cognoſcitur, ut ſalva Lege divina aut humana fieri non poſſit. Tale cenſemus fuiſſe Votum *Jephtæ*, ſi intellexerit non aliter implendum, niſi per Holocauſtum Filiæ. Nam cum contigerit, ut Filia eſſet obvia, quæ nonniſi impie potuiſſet immolari, non tenebatur Voto; niſi id alio modo ſolvere potuerit, quod ſine cæde factum exiſtimo. Interim ea Vota illicita aut temeraria non ſine peccato fieri certum eſt; unde & venia a Deo impetranda.

41. Quæritur; an de Votis *diſpenſari* poſſit? Pontificii eam poteſtatem Papæ tribuunt. Sed nos negamus, de legitimo voto ullius hominis opera diſpenſari poſſe. Eſt promiſſum Deo factum, §. 33. quod hominis poteſtati non eſt ſubjectum. Quod vero ad illegitima aut temeraria attinet vota, illa ex conſilio ſapientum irrita fiunt, intercedente ſeria pœnitentia.

42. *Vota*, quæ dicuntur *religioſa*, apud Pontificios Perfectionis inſtrumenta habentur. Diſtinguunt 4. genera Perfectionis. 1. quo ſe Deus ipſe amet. 2. quo Deum ament Spiritus in cœlo beati. 3. quo ii, qui inter Chriſtianos ſeſe conſecrarunt Deo. 4. quo omnes promiſcue Chriſtiani tenentur. Tertium genus

nus ergo dicunt eorum, qui *Religionem*, id eſt, Ordinem aliquem Religioſum profitentur. Eum dicunt ſtatum hominum ad perfectionem Chriſtianam tendentium, & impedimenta ejus per 3. Vota; paupertatis; obedientiæ, caſtitatis removentium.

43. Sed nobis quidem certum eſt, in hac vita degentibus omnibus Chriſtianis eandem perfectionem propoſitam eſſe, pro menſura Gratiæ a Deo conceſſæ, quærendam. Hoc officio omnes æqualiter tenentur amare Deum ex toto corde, tota anima & omnibus viribus; ideoque amovere omnia obſtacula, quæcunque tandem illa ſint. Nulla autem alia ſunt, niſi in concupiſcentiis malis. Itaque omnes Chriſtiani æque tenentur illis renuntiare; & tanto magis abſunt ab officio Chriſtiani, quanto minus renuntiarint.

44. Vota ponunt tria, variis modis diſtinquenda: Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis, de quibus ſingulis aliquid eſt dicendum. Paupertatis votum conſtituunt in voluntaria renuntiatione bonorum ſ. divitiarum. Eamque diſtinquunt in altam, altiorem & altiſſimam. Vovendam illam eſſe probant. 1. ex Matth. V. 3. Ubi per pauperes intelligunt eos, qui non ſunt divites, & colligunt, paupertatem Deo gratam eſſe, ideoque recte voveri. Sed diſtinquendum eſt inter paupertatem voluntariam, & aliunde impoſitam. In hac patienter ferenda conſiſtit pars pietatis Chriſtianæ, non vero in illa. Nec πτωχός eſt, qui arbitrariam;

ſed

ſed qui involuntariam fert paupertatem. Tandem etiam non intelligitur Paupertas corporalis, ſed ſpiritualis, quia dicitur μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι.

45. Probant 2. ex Matth. XIX. 21. &c. Atqui ibi Chriſtus non de Voto, ſed de actu paupertatis loquitur, qui fieret ex præſenti cauſſa, quia tum neceſſitas ſequendi Chriſtum id requirebat. 3. Arg. ex Act. IV. 32. ubi *Communio Bonorum* memoratur. Sed clarum eſt: ibi non agi de voto aliquo paupertatis, quod ab univerſa Eccleſia non proficiſcitur, ſed tantummodo a quibusdam perſonis. Præterea ſi de Voto paupertatis ibi ageretur, ſequeretur, non tantum Monachos, ſed omnem Eccleſiam, ſeſe eo obſtringere debere. Tandem non videmus alias Eccleſias hanc Hieroſolymitanam ita imitatas eſſe, ut vulgari ſenſu omnia haberent communia, ſed tantummodo, quoad mutuam & promiſcuam charitatem. Sic inane quoque 4. Arg. ex Act. V. ubi Hiſtoria refertur *Ananiæ*, qui de agro vendito partem pretii retinuit, voluitque videri, totum attuliſſe, & pauperibus deſtinaſſe. Nam ne hoc quidem ad votum paupertatis referri potuit. Non enim ex voto, ſed ex arbitrio, nec omnia ſua, ſed tantum pretium agri, conferre ſe ſimulavit.

46. Argumentantur porro ex *Chriſti* & *Apoſtolorum* paupertate. Reſp. hanc non votum adferebat; ſed vitæ ratio, & inſtituti neceſſitas, quoniam Evangelii prædicatio

cum

cum perpetuis peregrinationibus conjuncta, non permittebat Bonorum adminiſtrationem. Dein nemo non videt, quanta ſit differentia inter Monachos & Chriſtum cum Apoſtolis.

47. Alterum eſt Votum, *Obedientiæ*, quo obſtringuntur non Deo, ſed homini; nec ei, qui jus in ipſos habet, qualis eſt ſummus Imperans, aut Pater; ſed cui ſponte ſe ſubjecerunt. Dein obligantur non ad obedientiam rationalem, & homine dignam; ſed cœcam, quæ nullum penitus admittat examen. Quidquid adferunt argumentorum, id non de obedientia cœca hominibus exhibita, ſed de rationali, aut Deo ipſi, aut hominibus propter Deum præſtita agit. Tale eſt exemplum *Rechabitarum*, qui Jer. XXXV. laudantur, quod obedierint inſtituto Parentis ſui in Abſtinentia a Vino. Quod porro de *Conſiliis Evangelicis* aiunt, primum negamus, eſſe Conſilia a Præceptis diſtincta, ſed de his poſtea. Deinde ne concedimus quidem, Chriſtum talia conſilia cœcæ obedientiæ dediſſe. Jubet ille quidem *abnegare ſeipſum*; ſed ut Deo, non ut hominibus, obediamus, Matth. XVI. 24.

48. Dicunt porro in conſtituenda ſocietate eligendum eſſe aliquem Superiorem, atque huic neceſſario eſſe obediendum. Nos vero reſpondemus; ubi ſocietas nondum eſt conſtituta, nec Superiores adſunt, ibi aliquis eſt eligendus. Sed in Eccleſia jam ante Mo-

nachatus originem erant Superiores. Adeoque opus non erat, ut alii eligerentur. Porro ſi vel maxime legitimus ſit Superior, non tamen ei debetur obedientia cœca.

49. Tertium Votum eſt *Caſtitatis* ſ. *Continentiæ*, per quam intelligunt perpetuum *Cælibatum*. Illud Votum, quod nos cenſemus inconſultum & temerarium, Pontificii defendunt 1. exemplo B. Virginis. Sed falſo ſupponunt Votum ejus, de perpetua Virginitate. 2. ex Matth. XIX. 12. Ubi Dominus dicit, eſſe quosdam *Eunuchos, propter regnum Dei.* ℞. Agitur ibi de iis, qui ſervant caſtitatem, non ex Voto, ſed ex Amore Virtutis: ita ut non careant facultate contrahendi nuptias, ſed voluntate. 3. ex 1 Tim. V. 11, 12. de Viduis; ubi *fidem* interpretantur Pontificii *Votum*. Sed apertum eſt, per *fidem primam* ſ. priorem ibi intelligi fidem prius datam, ſe miniſtraturas Eccleſiæ, a qua reſiliant nubentes, eo quod tum non Eccleſiæ miniſtrare amplius poſſint; ſed debeant familiam curare. 4. Ex 1 Cor. VII. 1. 8. *Melius eſſe uxorem non ducere.* ℞. Non per ſe; ſed ob additam rationem, ℣, 26. & 28. *Propter inſtantem neceſſitatem*, ſcil. Eccleſiæ, & quia talis adflictionem habiturus ſit, qua careat cælebs. Ergo non ex ſanctitate; ſed ex commodo, præfertur cælibatus conjugio. E contrario ex iſto Paulli loco demonſtramus, uniuscujusque eſſe uxorem ducere, cum ſentit donum ſibi continentiæ non eſſe.

50. Quan-

50. Quando vero nunc de *Votis* actum eſt, non abs re erit, etiam de ipſo *Monachatu* breviter agere, ut intelligatur, quæ ſint rationes, quibus illud vitæ genus cum ſuis Votis ſuſtentatur. Pro illo allegant Pontificii primum *Conſilia*, quæ vocant, *Evangelica*. Itaque de his ante omnia eſt diſpiciendum. Vocant *Conſilia, bona Opera nobis a Chriſto non imperata, ſed demonſtrata; non mandata, ſed commendata.* Per hæc homines credunt ad majorem perfectionem deduci, ſi peculiari voto ſe obſtringant ad illorum obſervationem, unde & ſublimiorem felicitatis gradum obtineant præ iis, qui tantum præcepta obſervent.

51. Nos vero talia dari *Conſilia* negamus. Admittimus tantum illa, quæ verſantur circa adiaphora, ita ut eorum obſervatio per ſe Deo grata non ſit, nec pœnam neglecta, aut præmium obſervata mereantur. Sic de Cœlibatu, & de elocanda vel non elocanda virgine 1 Cor. VII. 26. 36. de uſu vini 1 Tim. V. 23. conſulit Apoſtolus. Sed omnia *Opera bona* ſunt præcepta, ita ut negligenti pœna ſit exſpectanda, quod & de iis cenſendum, quæ non ad omnes, ſed ad quosdam tantum pertinent. Nam unicuique pro ſuo ſtatu & conditione poſſunt quædam officia incumbere.

52. Probationis loco allegant Pontificii Matth. XIX. 21. Sed nos quidem negamus, id fuiſſe *Conſilium*, quod impune negligere potuerit ille Juvenis phariſæus. Nam ℣. 23.

ex triſti diſceſſu illius collegit Chriſtus, difficile eſſe, ut dives intret in Regnum Cœlorum. Itaque fuit illud præceptum, ſpeciale ſcilicet & exploratorium, illisque temporibus accommodatum, quibus nemo poterat certius ſuam fidem & obedientiam demonſtrare, quam ſi bonis ſuis relictis Jeſum ſequeretur. Ea re ſtatim patuit, num quis vere Deum diligeret, an vero Hypocrita eſſet, qui circa externa tantum opera hæreret. Quod vero Marc. X. 21. Chriſtus dicitur eum juvenem ob præceptorum obſervationem *dilexiſſe*, non id ſibi vult, quod Dominus judicarit, eum vere jactaſſe, quod onmem Legem ſervaverit: Sed quod placuerit Domino, eum Legis ſervandæ ſtudioſum fuiſſe, & quod eum blande allocutus, conſtituerit explorare, numquid ſincera fuerit obedientia.

53. Aliud Conſilium ex eod. cap. ℣. 12. colligere tentant, nimirum de Cœlibatu, ad quod jam in ſuperioribus reſponſum eſt, ſicut & ad cetera. Quod ex Eſaj. LVI. 3, 4. additur de *Eunuchis*, illud huc prorſus non pertinet, quum non de ſpontaneo ſtatu agatur, ſed de coacto; quo non obſtante adſeritur eos beatos fore in Eccleſia N. T.

54. Itaque argumentis adverſariorum exploſis, facile nunc eſt, noſtram ſententiam confirmare. Nam 1. Nullum poteſt eſſe opus moraliter bonum, quod non pro ratione ſtatus cujusvis ſit præceptum. 2. Non poteſt

poteſt differentia eſſe inter conſilium & præceptum, quando auctor utriusque ipſe Deus eſt. Conf. Apoc. III. 18. Accedit 3. quod quidquid ad perfectionem veram pietatis & ſanctitatis facit, illud omnibus ſit præceptum, Matth. V. 48

55. Sed porro adferre conantur Pontificii *exempla*, quibus Vota monaſtica poſſint commendare. Sed quam parum hæc ad rem faciant, ex illorum recenſione apparebit. Primum adferunt exemplum *Enoſi*, de quo Gen. IV. 26. ubi verba hæc proferunt: *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Inde colligunt *Enoſum* inſtituiſſe peculiarem aliquem & ſublimiorem cultum. Sed conſtat verba textus hebr. non recte ſic converti; ſed potius dici: *Tunc cœptum eſt invocari Nomen Jehovæ* ſ. *Domini.* Quo ſignificatur, tempore Enoſi publicam & ſolemnem cœpiſſe Deum colendi rationem. Dein quocunque modo convertas illa verba, nihil prorſus de *Monachatu* reperietur.

56. Secundo provocant ad Num. VI. ubi de *Naziræis* agitur. Sed reſpondemus 1. Vota *Naziræorum* alia prorſus, quam Monachorum. *Naziræi* vino & ſicera abſtinebant; novacula non debebat tangere caput eorum, ad mortuum non debebant accedere; quæ omnia in Monachos non cadunt. Deinde quis neſcit, ea vota *Naziræorum* ad ritus V. T. pertinuiſſe, nec in N. T. ad imitationem trahenda. Figurate potius *Naziræi* ad Chriſtum reſpiciebant, qui verus fuit *Naziræus*,

cujus ceteri tantum typi. Poſſunt & per figuram ſic appellari omnes Chriſtiani; imprimis illi, qui a Mundi inquinamentis diligentius ſibi cavent.

57. Tertio loco adferunt exempla *Eliæ, Eliſæi & filiorum Prophetarum*, quos Hieronymus *Monachos V. T.* appellat. Sed nihil omnino his commune eſt cum illis. Nullum Votum; nulla paupertas voluntaria, aut Cœlibatus. Quod quarto loco adfertur exemplum *Rechabitarum*, de eo jam ſupra actum eſt §. 47. Addimus hoc, nullam omnino heic circumſtantiam in Monachos quadrare. Vivebant illi in ceteris, quæ non ab inſtituto paterno pendebant, modo ordinario; nec ipſum hoc inſtitutum religioſum, ſed mere politicum ſ. potius domeſticum, erat.

58. Præcipue vero confidunt Eccleſiæ R. Doctores exemplo *Johannis Baptiſtæ*, quem Monachorum & Eremitarum Principem dicunt. Habent in ea re iterum Patronum *Hieronymum* & alios nonnullos antiquorum. Allegant ſcil. ejus victum, amictum & habitationem. Sed nec in his quicquam Monachis ſimile. Nam 1. in omnibus iſtis nihil religioſi quærendum. Victus & amictus, erat tenuis & parabilis. Habitatio in deſerto, non commorationem eremiticam notat; ſed qualitatem regionis, quæ non tam frequentata Urbibus & incolis erat, ſicut reliqua Judæa.

59. Alle-

59. Allegant ex *Philone Judæo*, quod ille ait de *Eſſæis*, quorum vitam deſcribit in oratione de Vita contemplativa; ſed id prorſus ad Chriſtianos non pertinet. Nihil Chriſtianum heic; ſed omnia Judaica.

Cap. V. de *Præcepto Quarto.*

1. Illud refertur Exod. XX. 8, 9, 10, 11. nec non Deut. V. 12-15. Notanda primum eſt peculiaris formula, qua præceptum iſtud incipit: *Memento Diei Sabbati;* vel ut in Deut. eſt; *Obſerva diem Sabb.* Qua admonitione videtur voluiſſe Deum ſignificare, Sabbati obſervationem ſibi imprimis curæ cordique eſſe. Vero ſimile quoque eſt, in illa reſpici ad Sabbati obſervationem jam ante præceptam, quam Lex ferretur, ita ut hæc Lex non nova, ſed tantummodo renovata eſſet. Verum de illa re poſtea. Præceptum ergo eſt de certo aliquo die obſervando.

2. Ille vocatur *Dies Sabbati*, quod ita ab hebræo verbo שבת *quieſcere* appellatur. Notat ergo diem quieti deſtinatum; non tamen otioſæ quieti. Additur enim cauſſa, ob quam ille dies ſit obſervandus, ſcil. *ut eum ſanctifices.* Hæc ſanctificatio quomodo fieri debeat, poſtea explicabitur.

3. Pergit Lex, Deut. V. 12. *Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus;* quibus verbis maniféſtiſſime reſpicitur ad præceptum divinum, quod anteceſſit. Addit: *Sex diebus operaberis;*

& facies omne opus tuum. Quibus verbis quamvis magis contineatur conceſſio, de ſex diebus labori ordinario, qui vitam præſentem reſpicit, impendendis; tamen per indirectum etiam præcipitur, ut ſex illis diebus quam minimum ab opere ceſſetur.

4. Voluit ſimul Deus iis verbis ſummam mandati ſui æquitatem demonſtrare, dum *ſex* continuos *dies* hominibus ad laborem corporis conceſſit, unicum vero quieti deſtinavit; ne ſc. queri quisquam poſſet, labori ad vitam neceſſario præripi tempus nimium.

5. *Sed Die ſeptimo Sabbatum Domini Dei tui eſt.* Rectius ab aliis vertitur: *Domino Deo tuo eſt;* ut intelligatur illum ſeptimum diem Deo eſſe conſecratum, & in ejus honorem quieti destinatum. Eo die non erat ergo ullum opus faciendum, quod ceteris diebus fieri ſolebat. Eoque labore præter *Patrem & Matrem* familiæ, etiam *Liberi* ac *Servi*, imo & ipſa Jumenta, *Boves & Aſini*, quibus in Palæſtina potiſſimum utebantur, abſtinerè debebant. Tandem & *Peregrini* includuntur, non tam *Gentiles*, qui caſu inter Iſraëlitas verſabantur, quam *Proſelyti*, qui inter eos habitabant, quamvis religionem eorum non omnem accepiſſent.

6. De *Jumentis* poterat ſingulare videri, quod Deus & illa voluerit ſeptimi diei quiete frui. Patet autem duplex ejus rei ratio. Primum id fieri debebat, ut & illa beneficii iſtius, quo corporum vires recrea-

creabantur, partem haberent. Nam Brutorum cum Deus quoque ſit Creator, ut hominum; Sic & iſtorum conſervationem curæ haberi. Deinde non poſſunt laboribus adhiberi Jumenta, niſi Homines adſint: Adeoque ut ab hominibus Sabbatum religioſe obſervetur, oportebat & Jumenta a quotidiano opere ceſſare.

7. *Peregrinorum* vero ea eſt ratio, ut, ſive ejuſdem nobiſcum, ſive ex parte aut in totum alterius ſint religionis, non minus tamen debeant & beneficii eſſe participes in quietis conceſſione, & offenſione aliorum abſtinere, qui ex Lege divina Sabbatum agunt.

8. Addit Moſes, Deut. V. 14. *Ut quieſcat Servus tuus & Ancilla tua, ſicut tu.* Iis verbis Deus indicat curam haud vulgarem, qua Servos complectatur, ita ut nolit, eos nimio & intolerabili labore gravari. Additque ſtatim rationem ℣. 15. *Et recordaberis, quod ſervus fueris in Ægypto; & Jehova Deus tuus te inde eduxit manu forti & brachio extenſo,* i. e. cum multa vi & demonſtratione miraculorum: *Propterea præcipit tibi Jehova Deus tuus, ut celebres diem Sabbati.* Ergo memores propriæ olim Servitutis humaniter Servos tractare debebant.

9. Interim id notatu dignum mihi videtur, quod poſtrema iſta verba aliam rationem ejus Legis tradunt, quam in Exodo exprimitur. Hic enim a Creatione Mundi ſex diebus fi-

nita, origo & cauſſa Sabbati repetitur. Ibi vero eductio ex Ægypto allegatur. Sicut ſæpe unius rei plures ſunt rationes; ita non dubitandum, quin heic utraque ſit vera, ubi tamen hæc eſt differentia obſervanda, quod ratio prior communis eſt toti generi humano; altera peculiaris Populi Iſraëlis.

10. Inde & haudquaquam contemnenda mihi videtur *Junii* obſervatio ad Deut. V. 15. & Exod. XII. 15. Quod eductio ex Ægypto ipſo die Sabbati perfecta fuerit, dum Ægyptii in mari ſint ſubmerſi, Iſraëlitis in tuto ſpectantibus & Epinicia canentibus.

11. Quod vero ad priorem illam a Creatione deductam rationem attinet, illa & Gen. II. 2, 3. adlata eſt. Cum enim Deus intra ſex dies omne Creationis opus ad finem perduxiſſet, *quievit die ſeptimo;* id eſt, deſtitit ab ulteriore creatione. In ejus rei memoriam *benedixit* ei diei, ſ. ſingularem in eum benedictionem contulit, præ aliis diebus, dum eum *ſanctificavit*, i. e. eum haberi Sanctum & in ſanctis ſolummodo rebus conſumi voluit.

12. Patet ergo requiem Sabbato imperatam non in otio poſitam eſſe; ſed in laboris potius mutatione, qui non ordinarius & corporeus, ſed ſpiritualis & ſacer eſſe debeat. Deſtinatus ergo fuit ille dies *Cultui divino*, quo nihil ſanctius exiſtimari poteſt. Ille aut *publicus* eſt aut *privatus.* Publicus in *Conventibus* Eccleſiæ peragitur. De

his

his, qui *Sabbato* peragendi ſint Levit. XXIII. 3. Habebantur in loco ſacro, vel in Templo, vel extra Templum in Synagogis, quarum nomen in N. T. paſſim, Matth. IV. 23. Act. XV. 21. &c.

13. Cultus ille divinus conſiſtebat 1. in Adoratione ſ. precibus ſacris, unde & Templum *Domus Orationis* appellatum fuit Eſaj. LVI. 7. & Matth. XXI. 13. Sic & paſſim videmus, pios in Templum abiviſſe, ut orarent: Act. III. 1. 2. in Oblatione victimarum & donariorum. 3. in Prælectione & expoſitione Legis & Prophetarum. Vid. Act. XV. 21. & Luc. IV. 16, 17.

14. Patet itaque, Sabbatum minime inſtitutum eſſe, ut in otio tranſigatur; tum enim noxium potius, quam utile, aut Deo gratum foret. In eum igitur finem imperabatur ceſſatio a labore, ut divinis rebus magis vacarent. Itaque religioſi Judæi eum diem præter cultum divinum in ſtudio Legis divinæ tranſigendum cenſebant. Cui imprimis addenda erat meditatio Creationis, & Liberationis ex Ægypto, in quorum beneficiorum memoriam Sabbatum inſtitutum erat.

15. Quæritur nunc, quænam ſint illa opera, quæ Sabbato vel licita vel vetita fuerint. In genere dicitur omne opus *Servitii* vetitum, id eſt, quod homo pro ſe aut pro aliis in uſum præſentis vitæ perageret. Sed, quæ Deus præceperat, ut circumcidere hominem; vel quæ extra ordinem & miraculoſe Dominus facie-

faciebat, illa nequaquam illicita erant. Prioris generis exemplum eſt Joh. VII. 23. poſterioris Luc. XIII. 16. ut alia prætermittamus.

16. Hebræos recentiores in obſervatione Sabbati ſuperſtitioſiores eſſe conſtat. Enumerant XXX. Capita operum in Sabbato prohibitorum. Vetarunt etiam iter longius, niſi quod ad Prophetas, aut ad locum Cultus divini ſuſciperetur. Cetera extra Civitatem, Mille cubitis determinarunt, quod vocatur *Iter Sabbati*, de quo Act. I. 12. Eo pertinet, quod Sabbato ea, quæ ad defenſionem contra hoſtes neceſſaria eſſent, parare haud licitum putabant. Unde & in Maccabæis legimus, Judæos Sabbato ab hoſtibus oppreſſos, donec meliora edocerentur. Neque eo ſecius poſtea Judæis Sabbato ceſſantibus, urbs a Pompejo rurſus capta legitur apud Joſeph. XIV. 8.

17. Ceterum die ſeptimo ea potiſſimum Opera vetantur, quæ ad quærendum & parandum victum pertinent, & ea quidem ſeveritate, ut facientes pœnis graviſſimis, omittentes vero præmiis adficiendos decerneret Deus. Pœnæ exemplum habemus Numer. XV. 32. ſ. Exod. XXXI. 14, 15. præmii vero ampliſſimi promiſſionem Jerem. XVII. 24. ſ. Iſtud vero notatu dignum, quod ne ignem quidem accendere, nec cibum parare licuerit. De illo Exod. XXXV. 3. de hoc XVI. 29.

18. Non tamen eam fuiſſe Dei voluntatem, ut Sabbato etiam omitterentur ea, quæ aut rerum

rerum noſtrarum, aut proximi neceſſitas poſtularet, ita ut in proximum diem differri non poſſent, exiſtimamus. Unde Chriſtus excuſavit diſcipulos ſuos, qui fame urgente ſpicas evellebant Sabbato, eaque occaſione docet, Sabbati rigorem cedere operibus miſericordiæ, aut caritatis; nec ſolum in homines, ſed & in pecora. Vid. Matth XII. 1. ſ. Luc. XIII. 15. XIV. 5. Unde liquet neceſſitates corporis quoque Sabbato non impediri, multo minus ergo, quæ ad Religionem & officia caritatis pertinerent.

19. Ceterum iſtud tantum addendum de ratione hujus quietis, quod dicitur Deus illi diei *benedixiſſe*, eumque *ſanctificaſſe.* Ubi benedictio intelligenda eſt illa, qua Deus uberiorem Gratiam & beneficentiam ſeptimo huic diei deſtinavit, ſicque ſanctificavit, ut ille non communibus negotiis, quibus ceteri dies, ſed ſanctioribus meditationibus, ipſique adeo Cultui divino, dicaretur.

20. Sabbatum etiam appellatur *Signum inter Deum & Iſraëlem.* Sic Exod. XXXI. 13. 17. & Ezech. XX. 12. 20. in quibus locis additur ratio, cur ita habendum ſit. Nimirum 1. ut cognoſcatur Jehovam eſſe *Deum Iſraëlis, qui eum Populum ſibi ſanctificet*; i. e. qui peculiare cum eo populo fœdus pepigerit; ut adeo Sabbati religioſa obſervatio eſſet teſtificatio ſolemnis obedientiæ Deo præſtandæ. 2. ut eſſet perpetuum

Symbo-

Symbolum Creationis ſex diebus peractæ.

21. Neque etiam dubitandum eſt, quin *Sabbatum* fidelibus etiam inter Iſraelitas denotaverit ſpiritualem requiem a laboribus peccati, cujus rei locupletem teſtem habemus Eſajam Cap. LVIII. 13, 14. addatur Hebr. IV. ubi & Sabbatum Judaicum & introitus in Canaan ſiſtitur, ut Typus ſpiritualis fidelium quietis, quæ conſiſtat 1. in ceſſatione a peccato: 2. in animi tranquillitate & pace cum Deo. Unde intelligitur, haud ſolam corporis quietem Deum in Sabbati inſtitutione intendiſſe.

22. Nunc vero quæſtio curioſa magis, quam neceſſaria, non tamen penitus inutilis, attingenda eſt, *de Origine Sabbati*; i. e. An Sabbati inſtitutio demum a Legislatione Moſis; an vero jam ab initio Mundi ſit repetenda? Non deſunt utriuſque ſententiæ patroni, fuitque hæc cauſſa ſuperiori Sæculo, ſicut & altera de *Moralitate Sabbati*, inter Batavos potiſſimum Theologos magnis animorum motibus agitata. Sed quod ad *originem Sabbati* attinet, mihi quidem dubitandum non videtur, quin poſt ipſam Creationem finitam inſtitutum fuerit. Id colligitur 1. ex Gen. II. 2, 3. Ea verba cum poſt opus ſex dierum enarratum ſtatim ſequantur; nulla omnino ratio eſt, cur non proprie, ſed per figuram, quam Prolepſin appellant, accipiantur. 2. ex Exod. XVI. 23. ſ. ubi Sabbati mentio fit, tan-

quam

quam rei jam pridem notæ. 3. Ex verbo, quo Lex de Sabbato incipit: *Memento.* Meminimus rerum jam notarum, non vero ignotarum, & nuper demum inſtitutarum. 4. Ratio præcepto addita univerſalis eſt, & ab initio Mundi locum habuit.

23. Alii tamen in hac ſunt ſententia, ut exiſtiment, Sabbatum primo publicatum, cum Manna populo promitteretur & daretur, Exod. XVI. Sed hanc exiſtimamus tantum eſſe repetitionem inſtitutionis jam pridem factæ, propter nova & ſingularia beneficia, quæ Deus ſuo populo dedit. Unde factum eſt, ut Ezech. XX. 12. & Exod. XXXI. 13. dicatur Deus dediſſe Sabbatum *Populo ſuo*, & quod Deut. V. 2. 3. id referatur ad fœdus, quod Deus cum Iſraëlitis pepigit (*a*). Negari enim non poteſt, quin etiamſi novum non eſſet hoc præceptum, ejus tamen repetitio, ſicut & ceterarum Legum naturalium, facta fuerit propter fœdus, quod Deus Iſraëli dedit, cui adeo ſtrictiorem Sabbati obſervationem injunxit. Ex ſilentio Moſis de Sabbato a Patriarchis obſervato colligi non poteſt, id factum non fuiſſe.

(*a*) *Grot.* diſtinguit Sanctif. Sabb. ab otio. Illam initio Mundi, hanc tempore Legis latæ inſtitutam, Opp. T. I. p. 45. Edit. Baſil. Nec non de V. R. C. L. V. §. X.

24.

24. Sequitur quæſtio de *Moralitate Sabbati*, quæ talis eſt: An Sabbati obſervatio perpetua ſit; an vero potius mere ceremonialis, ut ad Chriſtianos nulla ratione pertineat. Prius Judæi credunt, & inter Chriſtianos olim complures crediderunt, in quibus Ebionæi: Poſterius Anabaptiſtæ ſtatuunt, & Sociniani. Noſtra vero hæc eſt ſententia, præceptum de Sabbato aliquid in ſe continere, quod Judæos peculiariter reſpiciat, adeoque in N. T. ſit ſublatum. Neque tamen totum illud præceptum abrogatum, ut non aliqua ejus pars perpetui & univerſalis ſit juris.

25. Diſtinguenda igitur ea, quæ ſunt ceremonialia, a moralibus. Nam ad ceremonias quoque pertinuiſſe *Sabbata* apparet ex Coloſſ. II. 16, 17. Huc pertinet tum quies illa corporis, ſ. abſtinentia ab omni opere, ſumma cum religione obſervanda: tum ipſius diei ſeptimæ cujusque inſtitutio. Illud vero nobis eſt cum Iſraëlitis commune, adeoque moralitatis & obligationis perpetuæ, ut unus de VII. diebus a labore vacare, & cultui divino conſecrari debeat.

26. Repugnant heic nobis Judæi, qui contendunt, *Sabbati* totam obſervationem perpetuam eſſe debere. Id evincere conantur ex eo, quod Exod. XXXI. 16. dicatur id *pactum perpetuum*, לעולם Sed extra controverſiam poſitum eſt, id verbum hic non abſolutam perpetuitatem; ſed longam durationem, eamque us-

que—

que ad Meſſiam continuatam, notare. Unde ſequitur, eam tempore Meſſiæ finem habere.

Sic & *Calvinus* rem exponit Comm. in Pent. p. 324. Sed de hoc, ut & de ceteris Legib. ceremonialibus vid. *Theol. Pract.* Cap. I.

27. Itaque cum Sabbatum diſerte referatur inter umbras futurorum a Chriſto implendorum, ſequitur id hoc tempore abolitum. Unde & Apoſtoli in ſuo illo Conventu, Act. XV. cum de legalibus ceremoniis agerent, nihil de *Sabbato*, quod obſervandum eſſet; ſed ſolummodo de *Suffocato* & *ſanguine*, ſtatuerunt. Sic non obſcure ita de *Sabbato* loquitur Dominus, ut de ceremonia mutabili Matth. XII. 1. ſ. imprimis ℣. 8. indicat, Sabbati obſervationem judaicam tolli poſſe, cum dicitur *Filium Hominis eſſe Dominum etiam Sabbati.* Quod ſi vero tota illa Lex moralis eſſet, non poſſet mutari.

28. Videmus quidem olim in Eccleſia Chriſtiana quosdam fuiſſe, qui una cum *Dominica Die* etiam *Sabbatum* obſervarent, de quib. Socrat. VI. 8. item in Canon. 66. Apoſtolico, & in Conſtit. Apoſt. VII. 24. Sed non inde ſequitur, quod id debeamus imitari, quoniam ex libertate Eccleſiæ, non ex neceſſitate id factum eſt, ſicut & aliæ quædam ceremoniæ olim obſervatæ fuerunt.

29. Quod vero §. 25. diximus; moralis & perpetuæ obſervationis eſſe, ut unus de VII. diebus feriatus agatur; id probamus

hoc modo. Neceſſe eſt etiam abrogatis ceremoniis, ut Cultus Deo publicus & privatus exhibeatur. Iſtud nunc aſſumimus tanquam demonſtratum, eo quod inter Chriſtianos fere haud diſceptatur. Ad eum Cultum, requiritur determinatio certi temporis, quo ille ſit ſuſcipiendus. Id in orbem redire ac recurrere debet, ne ſit nimium rara occaſio Deum colendi; cumque ipſe Deus in Opere Creationis nobis Symbolum ſeptenarii dierum numeri dederit, eamque rationem in Decalogo allegaverit; convenientiſſimum eſt, ut unus de VII. deligatur.

30. Non itaque exiſtimaverim, id ob neceſſitatem Legis moſaicæ eſſe faciendum: ſed ob convenientiam ex libertate Eccleſiæ Chriſt. introductum obligare animos omnium, qui ordini rationabili nolunt repugnare. Hinc nec *Calvinus* voluit, Eccleſiam Septenarii numeri neceſſitati adſtringi, tanquam ſervituti; ſed id quod in ea fieri ſolet, ex Libera conſtitutione derivari. In quo illum & *Rivetus* ſequitur.

His addam verba *Calvini* ex Comment. in Pentat. p. 322. Diem VII. ſibi ſumſit Deus & conſecravit completa mundi creatione, ut in conſideranda Operum ſuorum pulchritudine, excellentia & decore Cultores ſuos aliis omnibus curis ſolutos prorſus retiueret. Nullum quidem momentum præterire æquum eſt, quo non attenti ſimus ad conſiderandam in admirabili mundi opificio & gubernatione Dei ſapientiam, potentiam, lenitatem, juſtitiam. Sed quia lubri-

lubricæ ſunt mentes noſtræ, & ſubinde vel diffluunt vel diſtrahuntur, Deus pro ſua indulgentia infirmitati noſtræ diem unum a reliquis ſeparat, & ab omnibus terrenis negotiis & curis immunem eſſe jubet, ne quid ſanctum illud ſtudium impediat. Hactenus *Calvinus*; quibus paullo poſt addit: *Quoad hanc partem nobis cum veteri populo communis eſt Sabbati neceſſitas, ut die uno liberi ſimus, atque ita melius parati tam ad diſcendum, quam ad fidem noſtram teſtandam.*

31. Sic ergo non diſcrimen dierum ceremoniale introducitur apud Chriſtianos, quod una cum diſcrimine ciborum abrogatum eſt, Rom. XIV. 5. Galat. IV. 10. Nulli enim peculiaris ſanctitas attribuitur; ſed cum omnes dies ob neceſſitatem vitæ non poſſint, unus Cultui divino & meditationibus ſacris adſignatur. Cumque hic ſine dubio fuerit primarius finis Sabbati, liquet id, quod in eo primarium atque adeo eſſentiale fuit, conſervari debere.

32. Non ſine nota temeritatis heic nobis eſt dimittendus *Clericus*, qui in Comment. ad l. ait; *quietem ſervis concedendam, fuiſſe præcipuum præcepti de Sabbato finem.* Id nullam omnino ſolidam rationem habet. Quod Deut. V. 15. de ſervis additur, illud quidem ad æquitatem quietis etiam ſervis concedendæ pertinet; non tamen iſtam præcipue heic intendi oſtendit. Immo ea ſententia ne probabilis quidem eſt. Non enim quieſcere voluit Deus Dominum cum uxore & liberis in eum finem, ut ſervi quieſcant: Sed po-

tius voluit, ut iſti ejusdem cum dominis beneficii fiant participes. Unde rectius *Calvin.* in Comment. *Illum finem ait eſſe quaſi accidentalem , ut ſit ſervis aliqua relaxatio.*

33. Cum itaque, ut in viam redeamus, naturalis ratio nihil de tempore Cultus divini tradat; liquet iſtud de die ſeptimo penitus eſſe juris poſitivi. Quia vero natura dictat tempore aliquo opus eſſe ad Deum colendum, ſicut eo opus eſt, ad neceſſitates corporis curandas; ſequitur, rectiſſime factum a Chriſtiana Eccleſia, ut *dies Dominicus* inſtitueretur, & quidem primus hebdomadis dies præ aliis, quia eo die Dominus reſurrexit. Ejus diei antiquiſſima omnino & ab ipſis Apoſtolis profecta obſervatio videtur. Colligitur hoc ex Joh. XX. 19. 26. Act. XX. 7. 1 Cor. XVI. 2. Apoc. I. 10. ad quem locum ſine ratione excipit *Gomarus*, *dominicam* vocari, quia Joh. in ea revelationem acceperit. Ipſa verba indicant voluiſſe Johannem indicare, quo die Revelationem acceperit, non vero ex revelatione diei nomen dare. Accedunt teſtimonia veterum, quæ extra dubium ponunt, in prima Eccleſia Chriſti diem Dom. feriatum fuiſſe. Inſtar omnium adferemus *Ignatium*, qui in Epiſt. ad Magneſ. C. IX. Κυριακὴν ζωὴν, *Sabbato* opponit.

34. In ejus diei celebratione ſatis religioſos fuiſſe Chriſtianos veteres conſtat. Nam illo

illo die vacabant a Judiciis & aliis operibus, & precibus atque ſupplicationibus Deum colebant: quod & a *Conſtantino M.* lege ſancitum eſſe *Sozomenus* docet l. 8. unde corrigendus *Nicephorus*, qui VII. 45. id ita refert, quaſi a *Conſtantino* primum *Dominica dies* fuerit appellata. Id dein ceteri Imperatores ita confirmarunt, ut *die ſolis quieſcerent omnes Judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officium.* Sunt hæc verba *Codicis Juſtinianæi* Tit XII. l. 3 & 11. Invenimus & *agriculturam* intermiſſam, & omnia opera ruſtica, excepto tamen caſu neceſſitatis. Unde Canon. XXIX. Concil. Laodic. Jubet Chriſtianos otiari die Dom. *ſi modo poſſint.* Iter non faciebant, ut *Niceph.* teſtatur, ſpectacula ludorum & theatrorum inter Gentiles adhuc uſitata, & inſtrumenta muſica removebantur.

35. Quamvis ejus diei obſervatio non ex neceſſitate Legis divinæ; ſed ex ratione convenientiæ & ordinis in Eccleſia neceſſarii, cuivis Chriſtiano incumbat, ita ut initio liberum fuerit Eccleſiæ hunc diem deligere: Nunc tamen liberum non eſt cuique eam negligere. Hinc diem hunc Sacris non impendere eſt hominis præſumtuoſi, qui ſeſe conſtitutioni & praxi totius Eccleſiæ opponat. Eſt etiam manifeſta impietas, ſi quis hunc diem præter neceſſitatem in quotidianis malit negotiis transigere.

36. Conſiſtit hujus diei Domin. ſanctificatio 1. Non in ſola externa ab Operibus laborioſis quiete, ſed in exercitiis pietatis, iisque, quæ pietatem excitant. Talia ſunt; Verbi divini lectio, ſacrarum Concionum auditio, ſermones religioſi, meditationes ſacræ, & divinorum beneficiorum commemoratio. 2. Ut his vacare poſſimus, quies illa externa quærenda eſt; non tamen tam rigida, ut olim ſub Lege. Nam hoc Libertati Chriſtianæ repugnaret, cum Dominus eam Legem non dederit, aut repetieret, ſicut reliqua Decalogi præcepta. Unde intelligitur ea excludi occupationum genera, quæ hominem impediunt quominus poſſit Deo & ejus Cultui vacare.

37. Illud præcipuum eſt, ut verum Sabbatum obſervetur, cujus antiquum typus fuit; feriatio a peccatis & introitus in æternam requiem Dei, de quo Hebr. IV. 3, 4. & Eſaj. LVI. 2. & LVIII. 13, 14. Sicque intelligitur, quatenus Lex de Sabbato ſit perpetuæ obſervationis & moralitatis.

38. Itaque nulli dubitamus, quin graviſſime peccent illi, qui prætextu libertatis Chriſtianæ Diem Dom. negligunt. Multo magis illi peccant, qui per ſummam licentiam illo die omnia faciunt opera, præter bona. Sunt & qui illius vacatione abutantur, ad tanto majora peccata committenda. Inde prudenter & pie illi faciunt Miniſtri, qui ope

ope Magiſtratus ita per eum diem digerunt tam publica, quam privata exercitia pietatis, ut quam minimum vacui temporis populo relinquatur.

39. In omnib. autem rebus exceptionem facit neceſſitas. Sed eam oportet eſſe veram, non fictam; nec a nobis ipſis profectam, ſed extrinſecus allatam. Tale eſt Luc. XIV. 5. unde ab jumentis multo magis ad hominem hæc transferenda. Neque tamen per neceſſitatem ea tantum intelligimus, ſine quibus eſſe non poſſumus; ſed illa quoque, quæ gravius aliquod & præſens detrimentum inferant.

Sic peracto Cultu publico frumenta matura demetere, aut ex agris in ædes deportare, Superioribus permittentibus haud illicitum crediderim.

40. Quod ſi occupatio ad honeſtam recreationem & mutuæ inter homines Amicitiæ propagationem pertineat, ne eam quidem, ſi moderata ſit, illicitam putaverim. Eo pertinent & humanitatis officia, quæ alio die fieri quidem, ſed minus commode, poſſint. Idem dicendum de levioribus negotiis, quæ brevi tempore expediri, & ſine magna defatigatione confici poſſunt. Nam ſuperſtitioſum & intempeſtivum eſſet, talia religioni ſibi ducere.

41. Quæritur porro; num præter diem Dom. alia quoque *Feſta* in Eccleſia Chriſtiana ſint celebranda. Reſp. 1. a Deo

aut Chriſto talia inſtituta non eſſe patet. Quod enim Chriſtus *Feſta* Judæorum obſervavit, id ex eo factum eſt, quod Legem omni modo implere voluit. Cadente ergo Judæorum Politia, abolita quoque ſunt Feſta. 2. Conſtat tamen inde a temporibus Apoſtolorum *Paſchatis* diem fuiſſe obſervatum. Unde controverſia orta inter Aſianos, & Occidentales; quorum illi ab Johanne aliisque Apoſtolis ſe morem ſuum accepiſſe contendebant, ut XIV. d. Menſis Niſan, cum Judæis, celebrarent. Hi vero pro Dominica proxime ſeq. pugnabant, idque a Petro & Paullo ſic traditum aſſerebant.

42. Cum ergo ex Jure divino non poſſit deduci determinatio certorum dierum feſtorum, ſequitur, Eccleſiæ Paſtores cum Magiſtratu Chriſtiano talia inſtituere poſſe, ubi ad incrementum pietatis & devotionis incitamentum utile eſſe videtur. Occaſio vero eſſe debet aliqua inſignis liberatio, aut beneficium ſpeciale ac publicum. Magiſtratuum Auctoritas accedere debet, quoniam de re agitur ad externa & per ſe indifferentia pertinente, cujus cauſſa homines ſine illa ab ordinariis negotiis abduci non poſſunt.

43. Talia inter Chriſtianos feſta paullatim aucta. Sic Sæc. II. præter *Dominicum* d. etiam *Paſcha* & *Pentecoſten*, cum *Paraſcevis*, celebrata invenimus; illud quidem in memoriam

moriam Paſſionis & Reſurrectionis, hoc Effuſionis Sp. S. Memoriam *Aſcenſionis* Domini inter ſolemnitates ab Apoſtolis acceptas refert *Auguſtinus* Epiſt. 118. Sæc. IV. acceſſit Feſtum *Theophaniæ* ſ. *Epiphaniæ*, in memoriam Adventus Chr. in carnem. Nec tamen in univerſa Eccleſia ſtatim fuit obſervatum. His demum Sæc. VI. acceſſerunt alia, & ea quidem in honorem B. Virginis & aliorum Sanctorum deinceps inſtituta.

44. Non poteſt numerus dierum feſtorum pro lubitu augeri, quandoquidem ratio eſt habenda laborum neceſſariorum, a quibus nec pro hujus præſentis vitæ ratione, nec pro pietatis incremento utile eſt, homines nimium abduci.

45. Sed de *Cultu* divino aliquid nobis eſt addendum. Conſiſtit ille in omnibus Actibus, quibus Amorem & Timorem Dei convenienter ipſius Majeſtati exprimere poſſumus. Eſt ille neceſſarius, quia non modo incumbit homini, ut amet ac timeat Deum; ſed etiam, ut actibus externis id exprimat, quod fit vel *publice* vel *privatim*. De privato Cultu nulla eſt controverſia. Sed de publico diſſentiunt nonnulli. Itaque proponendæ rationes, quibus *Cultus publici* neceſſitas adſtruitur. 1. Argumentamur ex conſuetudine & moribus omnium Gentium cultiorum. Nulla enim inventa unquam eſt, quæ non publicum aliquem ſuo Numini exhibuerit Cultum. 2. Ex Cultu, quem Deus ipſe Populo Iſraël.

præſcripſit. Ritus quidem illi ad Oeconomiam V. T. ſolam pertinebant. Sed ipſe Cultus in ſe ſpectatus non eſt indifferens. 3. Chriſtus Joh. IV. 21. non ait, venire tempus, quo nullus amplius Cultus publicus ſit Deo exhibendus; ſed quod in poſterum non futurus ſit vel templo Judæorum vel Monti Samaritanorum quaſi alligatus, dummodo non externo modo habitu, ſed interna & ſincera pietate & devotione peragatur.

46. Accedit 4 quod Dominus cœtui fidelium ſingularem benedictionem promittit, Matth. XVIII. 19, 20. ubi ſic argumentamur. Si Cœtui paucorum promittit Deus gratiam ſuam, quanto magis Cœtui plurium, dummodo in Nomine Domini congregati ſint? 5. Idem liquet ex inſtitutione & celebratione S. Cœnæ, quæ non privatim, nec in Cœtu paucorum, ſed omnium, qui Chriſtum profitentur, publice eſt peragenda 1 Cor. X. 16, 17. & XI. ubi ℣. 20, 33. expreſſa Conventuum ſit mentio. 6. Inſtitutio S. Miniſterii idem evincit, quum Miniſtri officio ſuo in Cœtu fidelium fungi debeant.

47. Videmus etiam 7. Chriſtianos primis ſtatim Temporibus tales Cœtus inſtituiſſe, ac quemlibet eorum credidiſſe ſibi neceſſarium, etiam ingruente perſecutionis periculo, ut illis intereſſet: Conf. Act. II. 42, 44. XX. 7. ...n docet Hiſt. Eccl. omnium Sæculor. A...li docebant *δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους*, *publice & privatim* Act. XX. 20. Adde Hebr.

X.

X. 24, 25. ubi per ἐπισυναγωγὴν, vel *aggregationem* actualem Eccleſiæ, vel *commune vinculum*, quo omnia membra colligantur, intelligimus. Utroque modo conveniendi ad publicum Cultum neceſſitas liquet. Adde Jacob. II. 2. &c.

His addo aliam rationem ab unione deſumtam, quæ a Chriſtianis requiritur. Vid. Eph. IV. 13. & alibi ſæpius. Hæc vero unio optime retinetur, ſi unus ſit numeroſioris Eccleſiæ Doctor, aut ſi plures qui ſunt, communi aliquo vinculo cohæreant, ne διχοστασίαι, *Schiſmata*, *Sectæ* oriantur, quæ omnia S.S. damnat. Vid. Rom. XVI. 17. 1 Cor. III. 3. Gal. V. 20.

48. Qui inter Chriſtianos Cœtus publicos averſantur, objiciunt 1. Nullum exſtare præceptum Chriſti & Apoſtolorum, ut publice ad Cultum divinum conveniamus. Reſp. Contrarium patet ex antedictis. Nihil ergo aliud heic dici poteſt, niſi quod de tempore, loco, forma & ordine eorum Conventuum nihil ſit præſcriptum. Sed quum hæc ſint adiaphora, ſequitur Rectores Eccleſiæ de his conſtituere poſſe & debere. Obj. 2. Nulli loco aut tempori alligatum eſſe Cultum N. T. Reſp. Cum publicus Cultus commendatur, non alligatur ille tempori & loco; ſed cum ſine certo tempore & loco ille exerceri non poſſit; de utroque proſpicitur. Obj. 3. in ſpiritu & veritate Deum adorandum. Reſp. ſine dubio, idque tam publice, quam privatim. Nec enim probatur, id publice fieri non poſſe.

49. Obj.

49. Obj. 4. ex Matth. VI. 6. *Intra in Cubiculum.* ℞ Ubi privatim Deum adoraturus es. Privatus Cultus publicum non tollit, nec eum impedit. Obj. 5. In magno Cœtu multos ſemper eſſe Hypocritas & impios. ℞. Eorum præſentia non impedit illorum devotionem, qui ad ſe attendentes cum Deo ſolo occupati ſunt. Obj. 6. raros obſervari fructus ex Conventibus publicis reportatos. ℞. Id fit culpa hominum, non rei. Si homines iis intereſſent cum debita devotione & attentione; nunquam ſine fructu recederent. Obj. 7. Primi Chriſtiani non publico, ſed privato in loco conveniebant. ℞. Id non ſponte, ſed neceſſitate & periculis coacti faciebant. Cum primum vero illa ceſſarunt, publica ſibi loca delegerunt. Nec dubitamus, quin id facere debeant illi quoque Chriſtiani, qui ſub jugo Infidelium aut Antichriſti gementes libero & ſolemni Cultu uti non poſſunt. In hoc caſu publicum eſt, quod in Cœtu etiam paucorum fit.

50. Nam *publicus* iſte *Cultus* vel *ſolemniter* & omnibus inſpectantibus peragitur, vel *occulte.* Prius fieri non poteſt, niſi ubi a ſummis Imperantibus data vel impetrata eſt poteſtas. Poſterius vero nulla opus habet ab hominibus permiſſione. Prius ut permittat, officium eſt ſummi Imperantis. Nam ut Deus publice colatur, efficere potius, quam prohibere debet. Quod ſi vero Pars populi aliam profiteatur Religionem, quam Princeps: non eſt tamen boni

boni Principis impedire, quominus illa Populi pars ſuæ Religioni convenienter Deum colat. Conſcientia Deo, non homini, obnoxia eſt. Quæ dictat hæc, pro Dei Lege habenda ſunt.

51. Dicet Princeps; Populum errare. Sed Populus contra dicet; Principem errare. Quis Judex? niſi Deus, qui dabit unicuique ſecundum Opera ſua. Princeps quamvis potior viribus, debet tamen tolerare diſſentientes, quamdiu publicam pacem non perturbant, aut ſaltem turbas moliri intelliguntur.

52. Sin tamen Princeps tolerare nolit, ſed ſolemnibus Conventibus interdicat; ſubditi Conventus minus ſolemnes ſ. occultos habere, neque adeo Cultum publicum intermittere debent. Sic Chriſtiani ſub Ethnicis Principibus faciebant. Et quamvis Legibus vetarentur tales Conventus, non tamen intermittendos, ſed extrema potius exſpectanda, cenſebant. Nec dubito in eo imitandam nobis eorum pietatem eſſe. Nam nullus nos timor impedire debet, quominus publice Deum colamus. Tum eſt tempus *profitendi Dominum coram hominibus, ut & ille nos profiteatur coram Patre ſuo cœleſti*, Matth. X. 32.

53. Ad Cultum divinum pertinet etiam certo modo *Jejunium*, i. e. Abſtinentia a Cibo & Potu per aliquod tempus continuata. Ea quidem per ſe partem Cultus divini non conſtituit, quia tamen Eccleſia tam V. quam N. T. jejuniis uſa eſt, obſervanda omnino eſt

eſt etiam nobis ratio jejuniorum. Videmus eos jejunaſſe, ut pœnitentiam & de peccatis dolorem coram Deo teſtarentur. Conſideratur etiam, ut medium, quo verus Dei Cultus promovetur; nec non, quo indignitatem noſtram coram Deo profitemur.

54. *Jejunium* aliud eſt *publicum*, aliud *privatum*. Illud ab Eccleſiæ Rectoribus ſuaderi, a Principe mandari poteſt, idque ex certis rationibus. Non debet illud eſſe nimis longum, aut nimis frequens. Si prius fiat, lanquidum redditur. Sin poſterius, in contemtum adducitur. Privatum quilibet ſibi indicere poteſt. Præcipuum vero eſt jejunium ſpirituale, quod tum in perpetua vitæ temperantia, tum in abſtinentia a peccatis conſiſtit.

55. In R. Eccleſia inſtitutum eſt jejunium *Quadrageſimæ*. In eo dicunt ſe imitari Moſen & Eliam; imprimis Chriſtum. Sed cogitare deberent, haudquaquam hæc ad imitationem noſtram pertinere, quippe miraculoſa: & nunquam a fidelibus in exemplum accepta. Nam conſtat, illud jejunium Quadrageſimæ nonniſi Sæc. IV. in uſu eſſe cœpiſſe. Quod vero cetera jejunia attinet, ea ſimiliter, ut partem ἐθελοθρησκείας repudiamus.

Cap.

Cap. VI. de *Præcepto V.*

1. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut prolongentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi,* Exod. XX. 12. Deut. V. 16. Duæ ſunt ejus partes; *Præceptum* ipſum & *promiſſio.* Conſtat etiam inter omnes, *Patris* & *Matris* nominibus comprehendi omnes Superiores. Nam ea nomina Synecdochica ſunt; & ea ſpecies poteſtatis, quæ eſt maxime naturalis, ceteris præmittitur. Unde colligitur illo Præcepto contineri Officia *Superiorum* & *Inferiorum*, qui ſunt vel in domeſtico, vel in civili, vel in eccleſiaſtico ſtatu. Prima tamen eſt inter *Parentes* & *Liberos* relatio.

2. *Honoris* nomine intelliguntur omnia officia Superioribus debita. Complectitur ille Reverentiam, Obedientiam & Gratitudinem. Nec opus eſt iſta officia multis probare. Interim de *Reverentia* notari debet, illam in corde ſedem habere, in quo eſſe debet ſincerus amor, & veneratio. Ea ſeſe demonſtrat 1. ore, nonniſi cum reverentia de illis & cum illis loquendo. 2. Opere, dum illis reverentiæ inter homines recepta Signa exhibentur, & in rebus gravioribus nihil ſine eorum conſilio ſuſcipitur.

3. *Obedientia* debet eſſe univerſalis, & per omnia præſtari, Col. III. 20. Excipiuntur tamen ea, quæ mandatis divinis repugnant. Nam obediri debet *in Domino* Eph. VI. 1. id quod & rationem obedientiæ indicat. quaſi dica-

dicatur *propter Dominum:* & modum; prout ſc. Domino gratum eſt. Ceterum nulla inter homines eſt juſtior obedientia. Ejus fundamentum non in eo tantum conſiſtit, quod vitam ab illis accepimus, ſed in eo potiſſimum, quod eorum cura, labore & ſumptibus ſuſtentati & educati ſumus.

4. Nec faciendum eſt diſcrimen inter Parentes pios aut impios. Utrisque parendum eſt, dummodo præcipiant honeſta, aut quæ ſine peccato obſervari queant. Sin contraria Legi divinæ, aut conſcientiæ mandent parentes, præcipue in cauſſa religionis, id ante oculos habendum, quod dicitur Act. V. 29. & Matth. X. 37. Non tamen temere in hoc negotio procedendum. Diſtinguendum eſt inter Liberos infantes & adultos. Infantes heic vocamus omnes, quorum nondum matura eſt ætas, ut de rebus gravioribus decernere queant. In hac omnino a Parentum judicio & voluntate pendere debent Liberi. Sin ita adoleverint, ut jam ipſi ſuarum actionum rationem reddere poſſint, tum demum in rebus ad Religionem pertinentibus judicium aliquod, a judicio Parentum diſcrepans, ſibi tribuere poſſunt.

5. Inter graviora vitæ negotia eſt *Connubium.* Quare & iſtud absque Conſenſu Parentum contrahendum non eſſe exiſtimamus. Præter rationem §. 2. & 3. jam adlatam, ſunt Loca Scripturæ, ubi Parentibus tribuitur

tur poteſtas liberis de Connubio proſpiciendi: Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3. Jerem. XIX. 6. 1 Cor. VII. 36, 38. Idem ſuadet exemplum Sanctorum, *Iſaaci* Gen. XXIV. *Jacobi* Gen. XXVIII. XXIX. Non eſt tamen negligenda diſtinctio inter Liberos impuberes & adultos, ſicut in præcedentibus explicata eſt. Imprimis vero, ſi Liberi adulti docere poſſint, nonniſi moroſitatem parentum in cauſſa eſſe, quod non approbent connubium, id quidem haud illicitum erit. Melius tamen eſt, non inconſultis, nec diſſentientibus parentibus Connubium facere. Hæc de Obedientia.

6. *Gratitudo* requirit, ut liberi ſubveniant Parentibus ubi opus eſt; cui officio & ipſa externa Religionis opera cedere debent, Matth. XV. 4. ſ. 1 Tim. V. 4. 2. Ut patienter eorum infirmitates ferant, nec eos propterea ſpernant, quod fecit *Chamus* Gen. IX. 22. Conf. Prov. XXIII. 22. Hæc ſunt *Officia* ex præcepto mandata.

7. *Promiſſio* eſt vitæ longævæ & felicis. Unde Eph. VI. 2. id primum dicitur præceptum cum promiſſione, ſc. expreſſa & ſpeciali. Quamvis Iſraëlitis ea promiſſio fuerit ſenſu litterali de Vita corporali accipienda; quia Deus non raro propter pietatem in parentes Liberis benedixit; Pſalm. XXXVII. 25. CIII. 17. CXII. 2. Prov. XX. 7. 1 Reg. XI. 12. Gen. XVII. 7. Tamen Chriſtianis ea magis ſenſu ſpirituali in-

telligi debet, de futuræ vitæ æternitate, quam de Longævitate terreſtri.

8. Hujus præcepti violationem graviſſimum eſſe peccatum ex eo patet, quod 1. Deus maledictum pronuntiat eum, qui non honorat Patrem aut Matrem, Deut. XXVII. 16. eumque morte affici in V. T. voluit, qui aut percuſſione aut maledictis læſerit Parentes, Exod. XXI. 15. 17. Levit. XX. 9. Prov. XX 20. 2. quod Filium protervum ad judices deferri & morte affici juſſerit, Deut. XXI. 18. ſ. 3. quod Inobedientia erga parentes inter graviſſima peccata numeretur; Rom. I. 30. 2 Tim. III. 2.

9. Quum autem Officia hæc Liberorum erga Parentes habeant fundamentum ſuum in beneficiis, quæ illi ab iſtis perceperunt: facile eſt colligere, quænam ſint *Parentum* erga Liberos officia. De his in genere agit Apoſtolus Epheſ. VI. 4. In iis continetur 1. *Nutritio*, & *veſtitus*, quia Infantes ſibi de his proſpicere non poſſunt. Eo pertinet honeſta aliqua Ars, quam docere debent, qua & ipſi aliquando neceſſaria vitæ ſibi comparare poſſint. Quærunt aliqui, an Parentibus Chriſtianis licitum ſit liberos immorigeros occidere; aut ob paupertatem vendere? Nos utrumque negamus. Non enim vitam aut libertatem adimere poſſunt homines hominibus. Et parentes non ſunt primarii Vitæ auctores, ſed tantum inſtrumenta.

10.

10. Eodem refertur 2. imprimis *Educatio*, quæ conſiſtit primum quidem in *Inſtitutione*, qua Religionis dogmata & Præcepta morum traduntur; Deut. IV. 9. VI. 6, 7. quo nomine laudatur Abrahamus Gen. XVIII. 19. & Cornelius Act. X. 2. Secundo in perpetua *exhortatione* ad Virtutem, & pietatem imprimis, qua ejus amor inſtilletur. Nam *a teneris aſſueſcere multum eſt*. Unde & de idoneis debent proſpicere *Magiſtris*, per quos & inſtituantur & moneantur. Tertio; in *Exemplo*, quo præire Parentes liberis convenit. Quarto in *Caſtigatione*, cujus neglectus educationem impedit, & juventutem perdit. Neque tamen in hac modus eſt excedendus; & Liberi non ſervili metu, ſed ingenua ratione ducendi ſunt. Hactenus de Parentibus & Liberis.

11. Alia relatio eſt inter *Dominos* & *Servos*. Sunt Servorum duo genera. Alii ſunt Servi proprie dicti, alii mercenarii. Illi vel bello capti, vel emti, vel ſponte traditi, vel ex ſervis nati: de quibus omnibus quæritur, utrum ſervilis ſtatus per Chriſtianam Religionem ſit ſublatus. Nam videtur omnino Charitati, quam homo homini, & maxime Chriſtianus Chriſtiano debet, repugnare, quod alter in alterum tale exerceat Dominium, quale apud veteres fuiſſe patet. Interim tamen ipſe Status herilis & ſervilis non ſublatus eſt per Evangelium, cum jubeat Apoſtolus unumquemque in ea

vocatione, in qua eſt vocatus, perſeverare; & Dominorum ac Servorum mutua officia recenſentur Eph. VI. 9. Coloſſ. IV. 1. Quod vero ad Mercenarios attinet, cum inter ipſos & conductores pactum ſit, oportet ut pars utraque fideliter conditiones impleat.

12. Sunt jam porro conſideranda officia mutua *Subditorum* & *Magiſtratuum*, quibus conſtat vita civilis. Nam hæc Officiis Liberorum & Parentum Analoga ſunt. Sed priusquam ea exponamus, agendum eſt de illa quæſtione, quam *Anabaptiſtæ* moverunt. Hi enim cum ceteris *Fanaticis* exiſtimant, Chriſtiano non licere Magiſtratum gerere Civilem; nec ei licere jus dicere, multo minus Capitis pœnam in quemquam ſtatuere, Bellum indicere, Tributa exigere, aut alia, quæ ſunt hujus muneris, exercere: Chriſtum ſuſtuliſſe omne dominium, & interdixiſſe ſuis diſcipulis Matth. XX. Luc. XXII. Magiſtratus pertinuiſſe ad tempus Politiæ Judaicæ & Umbrarum, adeoque repugnare naturæ Regni Chriſti, exemplo illius, & præcepto charitatis: Diſciplinam Eccleſiæ ſucceſſiſſe in locum Pœnarum Civilium: Non ergo fidelibus incumbere, ut pareant juſſis Magiſtratuum, quæ ſint contra Libertatem chriſtianam: quamvis tamen non ſit reſiſtendum, ex Lege charitatis & tolerantiæ.

13. Hanc ob cauſſam Confeſſionibus Eccleſiæ Proteſtantis Articuli de *Magiſtratu* ſunt
inſerti

inſerti, ut Baſilienſi, Helveticæ, Auguſtanæ, & aliis. Quantæ ſint ex illis opinionibus exortæ turbæ paullo poſt tempora Reform. in Germania, in Helvetia, alibi; ex hiſtoria conſtat. Clamabant Anabaptiſtæ, *Terram eſſe Domini*, non Magiſtratus; *Mites terram poſſeſſuros:* ceteros eſſe Tyrannos & Uſurpatores. Non negamus, quosdam eſſe aut fuiſſe minus turbulentos. Interim cum ea fuerit communis olim illorum doctrina, patet, quid mali ex ea ortum ſit, ac porro oriri poſſit.

14. Nos e contrario exiſtimamus, *Magiſtratum* in Rep. chriſt. eſſe neceſſarium, ad ordinem conſervandum; nec non ad publicam ſecuritatem & tranquillitatem. Itaque tanquam a Deo profectum a Chriſtiano homine ad Dei Gloriam & Subditorum Salutem poſſe adminiſtrari. Id probamus 1. ex Rom. XIII. 1. ſ. ubi Magiſtratus non modo *a Deo eſſe*, ſed *nonniſi a Deo*, itemque *ordinatio Dei* dicitur. Quod ſi ita eſt, non poteſt id de nuda ejus permiſſione intelligi, qua per Providentiam ſuam non impedit, quominus Magiſtratus inter homines conſtituantur. Magiſtratum enim duplici modo vere & proprie *a Deo* eſſe intelligimus. 1. Quod omnia, quæ ad bonum Ordinem & Pacem conſervandam neceſſaria ſunt, Deo placere intelligimus. 2. Quod ipſe in Ver-

bo ſuo, nec in V. tantum; ſed & in N. T. eum ordinem approbavit.

15. Probamus idem 2. ex 1 Tim. II. 1. ſ. ubi jubemur *orare pro Regibus & omnibus, qui in poteſtate ſunt:* additis rationibus quarum altera communis eſt; *ut ſub eorum gubernatione tranquillam vitam degamus;* altera potiſſimum ad infideles Magiſtratus videtur pertinere, ſub quibus tum Eccleſia erat: *Deum velle omnes ſalvos fieri, adeoque ad cognitionem veritatis venire:* Inde pro illis orandum eſſe, ut & ipſi convertantur, & ſic ex hoſtibus Eccleſiæ fiant Patroni. Non ergo debebant Magiſtratum deponere, cum primum Chriſtiani fierent. Id ſi factum fuiſſet, Eccleſia perpetuo ſub hoſtibus gemere debuiſſet.

16. Arg. 3. Non eſt uſquam in N. T. expreſſe vetitum, ne Chriſtianus Magiſtratum gerat. Nec legimus, ullum hominem in Munere publico conſtitutum illud depoſuiſſe, cum Chriſtianus eſſet factus. Ita *Nicodemus* & *Joſephus* ab *Arimathia* diſcipuli fuere Chriſti, & tamen Senatores Judæorum Luc. XXIII. 50, 51. Joh. VII. 50. *Cornelius* Centurio, Act. X. *Sergius Paullus* Procos. Act. XIII. Adde primorum Sæc. Chriſtianos, quorum multi in Aulis Principum, & in Exercitibus verſati ſunt.

17. Arg. 4. Nihil eſt in Relig. Chriſt. quod cum Munere Magiſtratus conſiſtere non poſſit. Officia Magiſtratus ſunt: Legislatio, Judiciorum exercitium & Defenſio Civium. *Legislatio* neceſſaria eſt in Civitate, ut omnia ordine & decenter fiant, nec alter alterum injuria adficiat; id quod Pietati quammaxime conſentaneum. Obj. Chriſtum eſſe noſtrum Legislatorem. ℞. Eſt; & quidem unicus, ſcil. eorum, quæ ad vitam æternam pertinent. Leges autem ad vitam civilem ſpectantes, Magiſtratibus ferendas reliquit, modo non in Leges Chriſti impingant.

18. *Jurisdictio* ſeu Judiciorum exercitium non magis a Civitate abeſſe poteſt. Sine ea Legibus nulla eſt vis. Illa vero aut eſt rerum civilium, aut criminalium. Jurisdictioni Civili obj. Matth. V. 38. ſ. ℞. iſto loco non Jurisdictio Magiſtratuum; ſed temerariæ privatorum, de rebus potiſſimum levioribus, lites prohibentur. Imprimis vindicta propria interdicitur. Porro Chriſtus vult, ut injuriam potius leviorem feramus, quam ut litigemus. Non vero prohibet, quominus aut ope judicis, aut ubi Judex non eſt, propria defenſione, id quod noſtrum eſt, conſervemus, & ablatum recuperemus.

19. Objiciunt porro, 1 Cor. VI. 1-4. ubi dicunt, omnem contentionem coram judice damnari. Reſp. 1. Si damnetur contentio inter Chriſtianos, haud damnatur ta-

men *Juriſdictio*, quæ contentioni finem facere ſolet. Nulla quidem temere lis incipienda. Sed ſi cœpta fuerit, quis finiet, niſi Judex? Dein ſi inter Chriſtianos mali ſint, qui ſuum aut negare proximo, aut eripere audeant, quis impediet, quominus innocenti injuria fiat, niſi Judex? 2. Non damnat Paulus ſimpliciter Lites forenſes; ſed quod Chriſtiani inter ſe coram *Ethnicis* judicibus diſceptent ℣. 6. Hos & ℣. 4. intelligit per *τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ*, eos, *qui in Eccleſia ipſa locum non habent.* E contrario potius deligere ſuadet ex ipſo Cœtu fidelium Sapientiores, qui inter Fratres controverſias componant. Si quis hos *Arbitros*, non *Judices*, appellet, non repugnaverim. Sed nihil intereſt inter Arbitrum & Judicem; niſi quod hic publica auctoritate, ille ex conceſſione litigantium judicat; neque quidquam obſtat, quominus & ipſi arbitros deligamus, ne coram Judice ordinario agendum ſit.

20. Judiciis Criminalibus & maxime Capitalib. objiciunt Matth. V. 44. ſ. ubi Chriſtiani jubentur, *inimicos ſuos diligere.* ℞. Malefici non puniuntur, ut inimici Judicis aut Magiſtratus; ſed ut perturbatores publicæ pacis & ſecuritatis. Tenetur quidem Magiſtratus omnes Cives diligere; magis tamen bonos. Ne ergo iſti injuria adficiantur, debet cavere. Pœna & improbo tollit facultatem porro nocendi, & exemplo alios abſterret.

21. Obj.

21. Obj. porro, per pœnas capitales peccatori cum vita & ſpem emendationis adimi. Prius eſſe contra Præc. VI. *Non occides*; poſterius contra præcipuum officium Charitatis. ℞. Præc. VI. non judicia vetat, ſed injuſtas cædes. Emendatio vero pœnis capitalibus decretis non impeditur, ſed promovetur. Sic illi, qui alias in criminib. perſeverarent, ab illis retrahuntur, & ſicut inter Chriſtianos fieri ſolet, opera datur, ut ad peccatorum agnitionem & pœnitentiam malefici ducantur.

22. Tertium officium Magiſtratus eſt *Defenſio* Civitatis. Per hanc & interiores turbæ ac ſeditiones cohibentur; & externi hoſtes arcentur ac repelluntur. Hinc oritur neceſſitas *Bellum gerendi*, quod itidem Evangelio repugnare Anabapt. & ſimiles ſtatuunt. Dicunt; Chriſtianis non eſſe promiſſam vitæ hujus commoditatem & tranquillitatem; ſed potius prædictam crucem & afflictionem: eam itaque nos patienter ferre debere. ℞. Patienter utique ferenda, ubi legitima ratione averti non poteſt. Bellum vero legitimum eſſe omne, quod *Defenſionis* gratia ſuſcipitur, ex ratione conſtat. De *offenſivis* viderint ſummi Imperantes, Deo rationem reddituri. Nullum Præceptum Chriſti aut Apoſtolorum adfertur, quo Bellum gerere vetetur. Porro Chriſtiani militia non prohibiti. Sed de hoc alibi.

23. Objiciunt porro Anabapt. contra Magiſtratum Hoſ. VIII. 4. At in iſto loco non regnum, aut dignitas vel munus reprehenditur, ſed modus illud acquirendi vel uſurpandi. Ubi injuſtiſſime confundunt legitimos Principes cum injuſtis oppreſſorib. Cum in locum Patriæ poteſtatis, quæ ab initio ſola fuit, & ante conſtitutas Civitates non minor erat Poteſtate principali, hæc ſucceſſerit; patet illam, ſi juſto modo acquiratur, non minus legitimam eſſe. Præcipue inſtant ex Matth. XX. 25. ſ. & Luc. XXII. 26. Sed ibi imperium non interdicitur *Chriſtianis*, qua ſunt Membra Civitatis; ſed *Apoſtolis* & eorum Exemplo *Miniſtris* Eccleſiæ, qua ſunt tales; non miſſi aut vocati ad imperandum, ſed ad Evangelium prædicandum. Hanc ob cauſſam ipſe Chriſtus judicare aut regnare noluit, Luc. XII. 14. Joh. VIII. 11. VI. 15. qui certe ad hoc non venerat, ut Imperium arriperet, aut Principes jam conſtitutos deturbaret. Nec mirum eſt, tribus priorib. Sæculis Chriſtianos haud functos eſſe principali dignitate, cum Ethnici imperarent.

24. Nunc ergo officia Chriſtiani Magiſtratus ſunt expendenda, quorum generalis ſcopus eſt *Salus Populi.* Ad illa pertinet 1. veræ Religionis in Civitate introductio & conſervatio. Id ut fieri poſſit, oportet ipſum ſummum Imperantem eam cognoſcere & ſequi. Eo fine Deus Deut. XVII 18, 19. præſcripſit Regi, ut Librum Legis ſedulo legat. Erat quidem illo tempore neceſſarium, non modo

ut

ut veram de Deo cognoſcendo & colendo hauriret Rex cognitionem; ſed & ut Leges Civiles, eodem Codice S. contentas, diſceret. Prius tamen ſemper manet, quamvis poſteriore ceſſante. Ad Religionem veram ſtabiliendam non juſſu modo, ſed exemplo etiam plurimum confert ſummus Imperans.

25. Ad eum finem 2. debet conſtituere *Loca* idonea, quibus & Populi inſtitutio in Religionis doctrinis, & Cultus publicus commode peragi poſſit. 3. Operam dare, ut in his omnia *ordine* fiant. In eum finem curare oportet, ut Eccleſia habeat idoneos *Doctores* & *Miniſtros*; hosque ſua auctoritate adigere, ut officium faciant; non facientes caſtigare, & ubi opus videtur, removere; ceteros protegere & juvare; proſpicere de alimentis, & laboris præmio, & quæ ſunt ſimilia.

26. Eo pertinent omnia, quibus externa εὐταξία continetur; ut præter locum etiam tempus & reliquæ circumſtantiæ Cultus publici. Hæc in univerſum vocatur ἐπισκοπὴ τῶν ἔξω, aut *Jus Epiſcopale* ſummi Imperantis. (†) Non omittendum jus Collegia inter Miniſtros inſtituendi, Synodos convocandi &c.

(†) Id Conſtant. M. tanquam divinitus datum ſibi attribuit apud Euſeb. Vit. Conſt. IV. 24. Vid. Theol. Dogmat. Sect. I. §. 546.

27. Non debet tamen ſummus Imperans ſubditos vi ad eam Religionem, quam ipſe pro vera habet, adigere. Nam quid pro vero aut

falſo habendum ſit, non poteſt præſcribere, cum nemo in ea re alterius judicium, ſed proprium ſequi debeat. Poteſt quidem Legibus ſancire, quænam forma doctrinæ & cultus publice in Scholis & Templis ipſius ditioni ſubjectis admitti debeat. Hoc modo Legis loco ſunt *Confeſſiones fidei* publice receptæ.

28. Itaque vim Conſcientiis ille Princeps infert, qui Subditos ad Profeſſionem & exercitium ejus Religionis cogit, quam veram non eſſe credunt: Aut qui prohibet exercitium ejus, quam pro vera ſubditi habent. Quamvis enim Conſcientia cogi non poſſit, quominus id verum eſſe judicet, quod ipſi tale videtur: Tamen violentia ac terror cohibet hominem, ne judicium Conſcientiæ ſuæ ſequatur, & eo modo Deum colat, quo colendum credit. Eam vim injuſtam eſſe nulli dubitamus Injuſtior tamen illa, qua aliquis adigitur ad Religionis falſæ profeſſionem & exercitium. Hæc faciendo peccat Magiſtratus; quamvis ſubditus aut Civis poſtulare non poſſit, ut publicum ac ſolemne alterius Religionis exercitium ei permittatur.

29. Præterea Magiſtratus officium eſt 1. Idonearum Legum promulgatio. 2. Judicia bene inſtituta. 3. Protectio adverſus interna & externa pericula. 4. Cura de Bonis ſubditorum, qua fit, ut nec exhauriantur tributis & exactionibus, nec ipſi temere profundant, ſed potius induſtria & labore conſervent & augeant. 5. Exemplum in Legibus, quantum ad ipſum pertinet, obſervandis. 30.

30. Civium & Subditorum Officia, *Honoris* vocabulo continentur. Tale eſt *Obedientia*, ad quam omnes ſine exceptione obligantur. Sic Rom. XIII. 1. *Omnis anima*; i. e. omnis homo. Itaque non excipitur vel *Papa* vel ceteri *Clerici*, quorum illum Eccleſia R. ſupra Reges & Principes effert, hos vero a jurisdictione civilis Magiſtratus eximit. Ad Locum adlatum excipiunt, agi tantum de hominibus *Animalibus*, quia dicatur *omnis anima*: Clericos vero eſſe *ſpirituales*, qui a nemine judicentur, 1 Cor. II. 15. ℞. *Anima* nunquam notat *hominem animalem*; ſed hominem quemcunque, ut Act. II. 41. 1 Petr. III. 20. Et homines ſpirituales non ſunt ſoli Clerici, ſed omnes fideles; qui tamen non ſunt a Judicio Magiſtratus immunes. Ipſos autem Clericos a Jurisdictione Civili exemtos jure divino non eſſe, patet non modo exemplo Pontificum in V. T. ſed & Chriſti & Apoſtolorum Matth. XVII. 26. & Act. XXV. 10, 11.

Sic & *Chryſoſtomus* Hom. in Rom. *Etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Evangeliſta, etiamſi Propheta.* Et *Bernh.* Ep. ad Archiep. *ſi omnis, & veſtra* ſc. anima; *quis vos excipit ab Univerſitate?*

31. Sicut ergo nemo ab obedientia Magiſtratui debita excipitur: Sic & nulla Lex excipitur, cui non parere ſubditi teneantur, niſi ea, quæ aperte conſcientiæ repugnare intelligitur. Iſtud potiſſimum circa Religionem obtinet.

32. Hinc

32. Hinc fluunt Officia Civium ſ. ſubditorum reliqua. 1. Obediendum in omnibus civilibus, etiam moleſtis. Sic judici ſententiam etiam iniquam ferenti obtemperandum, Joh. XIX. 11. Tit. III. 1. Tributa etiam graviora pendenda. 2. Timendus Magiſtratus, utpote vindex malorum, qui gladium non fruſtra portat. 3. Honorandus, ut Dei imago & vicarius. Id omnia Reverentiæ ſigna comprehendit tam in dictis, quam in factis. Eo pertinent publicæ privatæque preces pro illis 1 Tim. II. 1, 2. Jerem. XXIX. 7. Adde, quoad honorem in genere Rom. XIII. 7. 1 Petr. II. 17.

33. Ei honori contrarium eſt 1. temerarium de illorum adminiſtratione judicium: 2. maledictum Exod. XXII. 27. Act. XXVI. 5. 2 Petr. II. 10. & Jud. 8. 3. Rebellio, aut adverſus illos conſpiratio, qui eſt ſummus improbitatis gradus. Hæcque officia non erga illos modo Principes, qui ſunt pii & noſtræ Religionis: ſed erga omnes præſtanda. Sic Judæi Babylonio regi ſe ſubmittere, & Civitatis, in quam deportati erant, pacem quærere jubentur, Jerem. XXVII. 12. XXIX. 7.

34. Non eſt omittenda quæſtio, quæ movetur, de *Jure regio*, quod proponebat Samuel, L. I. c. 8. 11. Si legitima hæc ſint, quæ ibi de Rege traduntur, nihil differet Rex a duriſſimo Tyranno. Itaque obſervandum eſt, vocem משפט ſæpius non *Jus* proprie ſic dictum;

dictum; ſed *rationem*, *morem*, & *poteſtatem*, quamvis non legitimam, denotare. Sic 1 Sam. II. 13. 1 Reg. XVIII. 28. Num. XXVII. 11. Judic. XVIII. 7. Itaque apparet ex eo, quod illud משפט *Regis* dicitur, non ſequi, illum omnia, quæ ibi leguntur, juſte peragere poſſe. Ita ex. gr. Agros adimere, cui placeret; ſubditos in ſervitutem redigere, & ſimilia, ſunt iniquiſſima, adeoque omni modo illicita.

Cap. VII. *de Præcepto* VI.

1. *Non occides*; vel ſi imperative, ut debet, enuntietur: *Ne occidas:* ſunt verba iſtius Præcepti, quod ſecundum Hebræos tam in Exod. XX. 13. quam in Deuteron. V. 17. ſexto loco ponitur. Græci vero in Exodo præmittunt præceptum de Adulterio, quod & fit Marc. X. 19. & Luc. XVIII. 20. cum tamen Matth. XIX. 18. hebr. ſequatur. Unde colligimus, non eſſe magni momenti, quo ordine præcepta numerentur, dummodo diligentius obſerventur.

2. Vetatur *Homicidium* ſ. *Cædes Hominis*, non animalis, ut quondam *Manichæi* ex Hæreticis, & nuper adhuc *Monachi* & *Anachoretæ* quidam ſenſerunt. Nam Animalia occidere licere & licuiſſe ſemper, ex eo liquet, quod homini ab initio conceſſum dominium in illa, Gen. I. 28. IX. 3. Pſalm. VIII. 8. Act. X. 13. Porro, quod pellibus veſtitus homo, & ſacrificia

crificia obtulit. Sunt tamen, qui exiſtiment poſt diluvium demum homines carnibus veſci cœpiſſe, propter Gen. IX. 3. cui non immorabimur quæſtioni, utpote, quæ nullius eſt uſus.

3. Breviſſima eſt, & ſimul optima, præcepti iſtius declaratio, quam Chriſtus Matth. V. 21, 22. dedit. Ibi enim docetur, non illos ſatisfeciſſe voluntati divinæ in illo indicatæ, qui *Cæde* abſtinuerunt; ſed comprehendi iram quoque & maledicta, cum omnibus cædis cauſis & occaſionibus, nec non omnem corporis læſionem. Sic ergo aliter de *Cæde* Theologi, aliter Juriſconſulti agunt. Hi ad modum ejus & objectum tantum attendunt, & ex propoſito delictum æſtimant, quatenus externo opere ſe manifeſtat. Interna non ad Forum Soli; ſed ad Forum Poli, pertinent.

4. Non igitur *Opera* tantum, ſed & *Dicta* & *Cogitata*, ſunt hoc Præcepto vetita. In *Operibus* eſt *Cædes*, quocunque modo aut inſtrumento fiat, aut quacunque ratione aliquis cauſſa mortis ſit alteri. In *Dictis* peccatur per imprecationes, rixas, convitia. In *Cogitatis* eſt Ira, Odium, Invidia, Malevolentia.

5. *Ira* eſt, cupiditas alteri, ſi poſſis, malum inferendi, ob offenſam, quam accepimus, aut accepiſſe nos putamus. Sunt etiam varia ejus genera. 1. Quum alicui malum inferre cupimus, qui nihil tale meritus eſt. 2. Cum majus malum inferre cupimus, quam eſt

eſt meritus. 3. Quando id vel per nos vel per alium privatum facere conamur, quum tamen liceat tantum in certis caſibus per judicem. Prius illud ſemper eſt vindicta privata: Poſterius poteſt nonnunquam juſta eſſe defenſio.

6. Non eſt tamen omnis ira vitioſa, ſicut Stoicis olim videbatur. Ut taceamus rationes philoſophicas & naturales, quæ his opponuntur: obſervamus ipſi Scripturæ adverſari illam ἀπάθειαν. Sunt enim ibi & exempla & teſtimonia, quæ iram licitam, immo nonnunquam bonam & laudabilem eſſe docent. Ita nec Sancti, nec ipſe Chriſtus ab ira immunis. Poſſumus itaque iraſci, nec tamen peccare, Eph. IV. 26. Bona vero & laudabilis ira eſt, quæ pro Dei Gloria conveniente modo conſervanda exoritur. Hic eſt *Zelus* Dei, aut pro Deo, qui non vindictæ cupiditatem, aut contemtum proximi in ſe habet; ſed ardens deſiderium bonum promovendi & malum impediendi.

7. *Odium* vero eſt adfectus diuturnior, & continuata voluntas alteri nocendi, aut mala illi optandi, itemque lætitia, quæ ex ejus malis aliunde illatis capitur. Id homicidium eſſe declaratur, 1 Joh. III. 15. Quia eſtdefectus debiti Amoris, & ea, quæ diximus, in ſe continet, ſicque interdicto Cædis continetur. Adde Levit. XIX. 17.

8. Eodem pertinet *Invidia*, quatenus ea eſt triſtitia de felicitate alterius, qua exiſtima-

mus, noſtra bona impediri aut minora reddi. In hoc adfectu eſt malevolentia erga alios. Sunt &, qui invident proximo, ob bona, quæ & ipſi poſſident, & quibus iſta ipſorum bona non imminuuntur. Non eſt tamen ad invidiam referendum, ſi quis doleat ob impiorum felicitatem, quatenus per illam impietas augetur & confirmatur.

9. *Malevolentia in Corde* quidem ſedem habet, ac conſiſtit in deſiderio mali, quo alter adfligatur, ſive a nobis id, ſive ab aliis exoriatur. Iſta ſeſe vel dictis vel factis exſerit. Prius fit per imprecationes & convitia, aut criminationes ſive veras ſive falſas. Imprecationes excuſari non poſſunt exemplo Davidis aut Chriſti. Nam propheticæ illæ & extraordinariæ ſunt, nomine & inſtinctu Dei pronuntiatæ, non ex privato adfectu. Effectus vero malevolentiæ ſunt omnia, quibus malum proximi promovetur, aut bonum impeditur.

10. Diſtinquitur *Cædes*, in *voluntarium* & *fortuitam*. *Voluntaria* non tantum illa eſt, quam quis animo ſ. intentione occidendi peragit; ſed & ubi aliquid agitur, ex quo mors proximi conſequitur, quamvis non adfuerit intentio occidendi; ſed tantummodo percutiendi aut terrendi. *Fortuita* vero Cædes illa eſt, cnm quis nec occidendi nec percutiendi habet animum; ſed Cædes ſequitur ex eo, quod alia prorſus intentione peragitur, de quo exemplum videmus

demus Deut. XIX. 5. Non tamen ab Homicidio fortuito ſemper abeſt *Culpa*; ut ſi quis non adhibuerit eam diligentiam, quam pro ratione circumſtantiarum adhibere potuit ac debuit. Quamvis fortuita in *Foro Soli* haud puniantur, non tamen acquieſcit *Forum Poli*, niſi omnis culpa abſit.

11. *Homicidium* non in hoc tantum præc. VI. ſed & in pluribus aliis Locis Scripturæ vetatur, ubi & pœna Homicidæ indicatur. Sic Gen. IX. 5, 6. ne ſimilis oriretur violentia, qualem ante Diluvium fuiſſe probabile eſt, cædes ſevere vetatur. Adde Exod. XXI. 12-14.

12. Poteſt etiam Homicidium committi in *ſe ipſo*, ſi quis vel per violentiam, vel alia quadam voluntaria ratione vitam ſibi abrumpat. Sic non ille tantum, qui manus ſibi infert, aut venenum aſſumit, ſed & qui absque vocatione temere ſe in periculum manifeſtum immittit, *αὐτόχειρ*, ſeu *Suicida* dici meretur.

13. Veterum Gentilium ex Stoica Diſciplina fuiſſe hunc errorem exemplis plurimis patet, ut putarent, ex Vita æque ac ex Convivio aut Cubiculo exire licere, cum liberet. Immo vero id Virtutis & Conſtantiæ documentum eſſe dicebant, quod tamen potius Timoris & impatientiæ erat. Nam ubi quis vitæ pertæſus, aut doloribus ac malis fractus, aut periculis territus videbatur, mortem ſibi conſciſcebat.

14. Illicitam vero eſſe αὐτοχειρίαν liquet 1. ex Præcepto, quod generale eſt: *Non occides*, neque alium, neque teipſum. Cumque Amor noſtri ſit menſura Amoris in proximum, ſecundum Summam Decalogi, conſequitur, ſe occidere non minus vetari, quam alium. 2 Sicuti Vitam nemo ſibi dedit, ita & nemo ſibi adimere debet; quemadmodum nec militi injuſſu Ducis ſtatione ſua abire licet. Deus in hac Vita nos collocans ſuæ Gloriæ cauſſa id fecit, quam tamdiu, quantum in nobis eſt, promovere debemus, donec ex illa revocemur.

15. Hæc etiam non indigna ſunt, quæ conſiderentur: αὐτόχειρα Dei Providentiæ adverſari, quæ eum in hoc mundo collocavit, & incommodis quoque & calamitatibus obnoxium eſſe voluit. Porro idem Reip. Civem, ſuis amicum & adjutorem eripit; ſicque multipliciter peccat.

16. Quicquid vero ad defenſionem αὐτοχειρίας adfertur, inane eſt. Sunt qui dicant, morte voluntaria impediri peccata, quæ vel a nobis, vel ab aliis in nos perpetrari poſſint. His reſpondemus, non eſſe noſtrum. ut impediamus futura & incerta peccata, certum facinus admittere, cum nunquam facienda ſint mala, ut eveniant bona.

17. Objicitur exemplum *Samſonis* Judic. XVI. 30. qui ruina domus & ſe & Phili-

ſtæos

ſtæos oppreſſit. Reſpondent nonnulli, id factum ex eorum genere eſſe, quæ *heroica* dicuntur, inſtinctu Spiritus peracta, nemini que imitanda. Aliis viſum potius eſt, illum non intendiſſe *Suicidium*; ſed internecionem Philiſtæorum, ſuorum & Patriæ ſuæ hoſtium. Id quod veriſſimum eſt. Unde Samſonis ratio eadem fuit cum milite aut militum duce, qui hoſtibus nocendi cauſſa in tale ſe immittit periculum, quo periturum ſe videt.

18. Exempla ex Libris Gentilium, aut etiam Apocryphis Maccabæis non moramur, quippe quæ Chriſtianis ad imitationem proponi non debent. Quidlibet potius ferendum eſt, quam ut vitæ noſtræ vim inferamus. Nam αὐτοχειρία ex impatientia potius, quam ex alia ulla cauſſa oritur.

19. Non ſunt *Suicidis* adnumerandi, qui patiuntur ſe occidi, vel cum ob crimen ad mortem damnati ſunt, vel ut martyrium ſubeundo Dei Gloriam promoveant. Immo cum fuga non licita modo; ſed præcepta ſit, priusquam in poteſtate Judicis tenearis, quæritur an poſtea quoque ſit licita, cum de martyrio agitur? Non dubito, quin ſi fugiendi facultas detur, ea ſit utendum. Sic *Petrus*, Angelo catenas & fores aperiente Act. XII. 6. ſ. egreſſus eſt, & *Paulus* Damaſci cuſtoditus per feneſtram

neſtram elapſus eſt 2 Cor. XI. 32, 33. Nec tamen ſperno heroicam virtutem Martyrum, qui fugere noluerunt, quamvis poſſent, cum exiſtimarent ſua morte Deum magis, quam vitæ conſervatione, glorificari.

20. Alia nunc quæſtio occurrit de *Jure Gladii*, ſeu num *liceat Chriſtiano Magiſtratui reos morte adficere?* Error eſt potiſſimum *Anabaptiſtarum*, nec non quorundam *Socinianorum*, ad imperfectiones V. T. pertinere, quod ſummis Imperantibus jus vitæ & necis fuerit conceſſum: idque adeo non ad nos Chriſtianos referendum, quibus interdicta ſit omnis cum publica tum privata vindicta. Nos vero adfirmamus, quemadmodum in N. T. Magiſtratus non eſt ſublatus, prout in præcedenti Cap. §. 14. probatum; ſic etiam jus gladii, quo facinoroſi ſupplicio adficiantur, ei competere.

21. Iſtud ex N. T. ſic probatur. 1. Ex Matth. XXVI. 52. *Omnes, qui accipiunt gladium*, ſcil. ad cædem peragendam; idque privata auctoritate; *gladio peribunt*. Hæc verba continent comminationem cum approbatione Legis jam olim contra homicidas latæ: quaſi diceret, Legibus cautum eſt, ut gladio pereant, qui gladio temere utuntur. Itaque Chriſtus approbat Supplicia in homicidas ſtatuta. Quamvis enim Chriſtus non dicat, cujus id opera ſit futurum; per ſe tamen intel-

intelligitur, id per Judicem eſſe faciendum. 2. Rom. XIII. 4. dicitur Principem *gladium non fruſtra* gerere; ſed eſſe *vindicem, ad iram malefacienti* demonſtrandam. Iſta non docent modo, quid fiat; ſed & quid fieri debeat. Id quod fiebat, approbat Apoſtolus. Itaque Magiſtratus non poteſt modo punire ſontes, ſed etiam debet.

22. Accedit quod ex *Lege Naturæ* & *Jure Gentium* tales pœnæ capitales ſint licitæ. Uſitatas ſcimus fuiſſe apud omnes Gentes, etiam ante Legem latam. Porro cum in Statu naturali licitum ſit, facinoroſos ſecuritatis & pacis perturbatores interficere, non minus id in Statu civili licitum eſſe debet. Nam in hoc jura, quæ ſinguli in Statu naturali obtinuerant, in ſummos Imperantes ſunt translata. Sunt quidam tam improbi, ut nullarum, niſi capitalium pœnarum, metu coërceri queant. Carceres & vincula contemnunt. Exiliis homines non emendantur; ſed ſæpius corrumpuntur, ejecti ex Civitate Chriſtiana. Exponuntur defectioni ab Eccleſia, ad quam inſtante mortis periculo ac terrore per reſipiſcentiam reduci poſſent.

23. Objicitur 1. Lex Præcepti VI. *non occides.* ℞. cum illa Lex data fuerit Iſraëlitis, neque eo ſecius, ipſo Deo conſtituente, uſitata fuerint Supplicia capitalia; patet illam non agere de iis, quæ publice per Judicem fiunt; ſed ea, quæ privatim au-

dent ſinguli ex iracundia aut aliis affectibus, vetari.

24. Objicitur porro Eſaj. XI. 9. *Non malefacient, neque corrumpent &c.*; quod de N. T. prædicitur. ℞. Non agitur de officio Summorum Imperantium, ac ſi illud ceſſare debeat. Si iſtud intellexiſſet Propheta, tum & intelligere debuiſſet, quod nulli in Chriſtiana Societate futuri ſint facinoroſi. Cum vero tales ſint, patet ibi de eo agi, quod facturi ſint, qui ſunt veri fideles, & quod facere debent omnes, qui fidem in Chriſtum profitentur.

25. Remiſſio debitorum ſeu delictorum Matth. VI. 11. non Magiſtratui, qua tali, ſed cuilibet Chriſtiano, injungitur. Delicta publica non in Magiſtratum; ſed in Civitatem perpetrantur. Ea ergo non condonare poteſt ille, niſi Utilitate Civitatis exigente. Cum ergo hujus interſit, facinoroſos puniri, peccat in publica commoda Judex, qui tales aut non punit, aut non ſatis graviter punit.

26. Cum Dominus reprehendit Diſcipulorum ſuorum iracundiam, Luc. IX. 54, 55. non reſtringit jura Magiſtratuum N. T. ac ſi iſti *alio Spiritu* duci deberent, quam Magiſtratus V. T. Sed manſuetudinem Doctoris Evangelici opponit ſeveritati Propheticæ. Spiritus Evangelici, quem induere debebant Apoſtoli, eſt docere, ac patienter diſſentientes ferre.

ferre. Nec volebat Dominus per vim homines terrere; ſed per amorem allicere ad ſuam Eccleſiam. Non ergo heic de Judicis, ſed de Doctoris officio agitur.

27. Ad Rom. XII. 17. *Nolite malum reddere pro malo;* commendatur charitas omnium erga omnes, cui contraria non ſunt ſupplicia capitalia. Nam iſta non ex ira vel odio, ſed juſtitia exigente, infliguntur, nec privata eſt vindicta; ſed publicæ ſecuritatis aſſertio. Salus æterna talium facinoroſorum non impeditur, ſed per ea, quæ apud Chriſtianos fieri ſolent, promovetur. Cum porro legitur Joh. VIII. Chriſtum noluiſſe ad mortem condemnare *adulteram*, iterum oportet illum non ut judicem, ſed ut Doctorem conſiderare.

28. Dicunt porro diſſentientes, nullum mandatum exſtare in N. T. de ſuppliciis capitalibus adverſus facinoroſos exercendis. ℞. Non fuit opus nova Lege pœnali, cum pœnæ jam in V. T. ſancitæ eſſent; Quod ſi Chriſtus veteres Leges abrogare voluiſſet, debuiſſet hoc expreſſa aliqua ſententia indicare. Quum vero id factum non fuerit, colligitur Chriſtum in ea parte Politiæ, ſicut & in ceteris, nihil immutare voluiſſe. Porro obſervandum eſt Chriſtum & Apoſtolos non inſtituiſſe Remp. ſed Eccleſiam. Illam ergo talem reliquit, qualis erat; nec ei quidquam per Religionem ſuam derogare, ſed eam potius confirmare voluit. Itaque uſum gla-

dii ſummis Imperantibus non abſtulit, & *Cæſari* dandum, quod Cæſaris eſt, conſtituit, & *Deo*, quod eſt Dei, Matth. XXII. 21.

29. Quæritur heic etiam de *Bello*; utrum Chriſtianis Magiſtratibus id gerere liceat? In hac parte eosdem habemus adverſarios, *Anabaptiſtas* ſcilicet, qui Bella Chriſtianæ Charitati & Manſuetudini contraria eſſe adſerunt. Eodem etiam contendit *Socinus* in Libro *adv. Palæologum* edito. Heic iterum ad ea, quæ ex V. T. allegantur, excipiunt, diſtinguenda eſſe ab iis, quæ ſub N. T. facere liceat. Nos vero dicimus, quæ a Deo olim permiſſa, imo Legibus ſancita ſint, ſubſiſtere etiam in N. T., niſi contrarium ibi præceptum legatur. Cum vero id factum non ſit, liquet, quod Bellum gerere Chriſtianis non ſit illicitum.

30. Loquimur autem 1. de *Bello juſto* ſ. legitimo, id eſt, de eo, quod vel *defenſionis* cauſſa geritur, vel ita eſt offenſivum, ut non alia ratione geratur, quam ut jus noſtrum ab injuſtitia aliorum publica publice etiam vindicetur. Cum enim ſummi Imperantes in his terris non habeant communem ſuperiorem ſ. judicem, qui controverſias eorum pro auctoritate poſſit decidere; patet Bellum in ejuscemodi caſibus idem eſſe, quod inter privatos ſunt judicia. Nec eſt ulla ratio Remp. ab injuſta vi adſerendi, niſi per Bellum, quod ſi gerere non liceat, ab ambitioſo

tioſo quovis illa opprimetur, nec ulli unquam ſua Libertas aut ſuum jus conſtabit.

31. Sed præter hanc naturalem Bellorum juſtitiam, ſunt & loca N. T. in quibus iſta omnino approbatur. Huc pertinet ſermo Joh. Bapt. ad milites habitus, Luc. III. 14. qui cum conſuleretur ab illis, quid ipſis ſit faciendum, ut ad regnum Meſſiæ aptiores eſſent, non jubet eos militiæ valedicere; ſed ab injuſtitia & oppreſſione innocentium ſibi cavere. Unde recte *Auguſtinus* L. XX. cont. Fauſt. c. 74. *Niſi Bella a Bonis ſuſcipi poſſent, Johannes cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: & nos quid faciemus; reſponderet eis; arma abjicite, militiam illam deſerite* &c.

32. Obj. 1. Johannis officium non fuiſſe, ut quidquam in Lege mutaret. ℟. Ne Chriſtus quidem quidquam immutavit in Lege morali. 2. Johannes non dedit Præcepta vitæ æternæ. ℟. Dedit utique, quia prædicavit fidem & reſipiſcentiam. 3. Non magis probatum fuiſſe Johanni militare vitæ genus, quam publicanorum, quorum inſtitutum etiam non abrogavit; ℟. Utique non abrogavit inſtitutum publicanorum, quia quatenus vectigalia & tributa magiſtratui debita colligebant, non erat reprehendendum; ſed tantum quatenus modum ſibi ſtatutum excedebant. Illud quod militibus præcipit, *neminem eſſe concutiendum*, non ad *hoſtes*, ſed ad *ſocios* pertinet. Nec ſuadet deſerere militiam, ſed

ſed jubet continuare, dum jubet ſtipendiis ſuis contentos eſſe.

33. Argumentum aliud deducimus ex 1 Tim. II. 2. ubi finis deſcribitur, ad quem conſtituti ſint Magiſtratus; nempe ut poſſimus *tranquillam & quietam vitam degere* &c. Iſtud vero non obtinetur tantum, cum internæ cohibentur turbæ, ſed etiam, cum externa avertuntur pericula. Atqui iſtud ſine uſu Armorum fieri non poteſt. Nec enim permittendum eſt, ut exteri aut ſingulos cives aut univerſos opprimant.

34. Exſtant & in N. T. exempla militum, qui poſt converſionem non juſſi ſunt militiam deſerere, nec in ea Deo diſplicuerunt. Talis erat *Cornelius* Centurio, qui & ante Baptiſmum religioſus fuit, & poſt eum Centurio manſit, Actor. X. Nulla ergo ratio vetat Chriſtianos militare.

35. Paulus Apoſt. cum comperiſſet inſtare ſibi inſidias, & injuſtam vim a Judæis intentari; Præſidi periculum indicari curat. Iſte, ut ſecuritati ejus proſpiceret, addito militum præſidio illum Cæſaream deduci curavit. Quod ſi injuſta potius vis eſſet perferenda, quam ut militari præſidio utaris, non fuiſſet certe Paulus tam cautus, ut Præſidi inſidias indicaret, nec ſine contradictione præſidio dato uſus fuiſſet, Act. XXIII. 23.

36. Videmus & primos Chriſtianos absque ſcrupulo militaſſe, niſi cum per idola aut genium Cæſaris Sacramentum dicere jubeban-

bebantur. Hinc Tertull. Apol. XLII. *Navigamus & nos vobiſcum & militamus, & ruſticamur & mercamur.* Neque etiam Imperatores, cum Chriſtiani eſſe cœpiſſent, ab ullo piorum, ut bellis juſtis gerendis abſtinerent, moniti fuerunt.

37. Præterea ex ſuperioribus liquet, licere Chriſtiano Magiſtratum gerere, §. 22 Cap. præced. Itaque licet Chriſtiano ad Remp. defendendam Bellum gerere. 2. Bella in V. T. fuerunt licita, nec in N. expreſſum exſtat interdictum. 3. Defenſio eſt Juris Nat. quod perpetuum eſt. 4 Licet ea exercere artificia, quibus arma parantur. Ergo & armis juſtis uti licet.

38. Obj. Deum in V. T. Populo ſuo promiſiſſe poſſeſſionem alicujus Regionis. Hanc ergo eos debuiſſe armis occupare & defendere. Talem promiſſionem in N. T. factam non eſſe, adeoque piis bella non eſſe gerenda. ℞. 1. Non illa ſola fuit ratio propter quam debuerunt olim bella geri. Sunt & aliæ; ut Abrahami Lothum liberantis. 2. Piis etiam ſub N. T. conceditur aliqua regio habitanda, quam & auſpiciis Principis aut ſummi Imperantis defendere licet.

39. Obj. porro, Chriſtianos paratos eſſe debere ad proprium ſanguinem fundendum. Itaque eos non cum aliis Bella gerere, aut eorum ſanguinem fundere debere. ℞. Illud eſt officium privatum cujuslibet. Bellum ve-

ro

ro gerere publicum eſt officium, publicis etiam auſpiciis peragendum.

40. Alia objiciuntur ex eo, quod vindicta ſit vetita, quod & inimici ſint diligendi. Sed hæc omnia de privata tantum injuriarum patientia, & officio agunt. Publicas vero injurias depellere, aut hoſtibus Patriæ repugnare non vetant. Sic etiam Rom. XII. 17. prohibemur malum pro malo reddere, nimirum privati; nec ullo eorum locorum de eo agitur, quod a Magiſtratu fieri debet. Sic & cum 2 Cor. X. 4. & Eph. VI. 17. piorum arma ſpiritualia eſſe dicuntur, non ſequitur, Chriſtiano haud licitum eſſe arma tractare. Nam in iis locis partim de Miniſtris Eccleſiæ agitur, qui non armis corporalibus officium ſuum peragere debent; partim de fidelibus, quatenus hoſtibus ſpiritualibus reſiſtunt.

41. Jac. IV. 1. oſtenditur quidem, originem bellorum eſſe malam, id quod nemo negat. Non tamen inde ſequitur, omne bellum eſſe iniquum, etiam a parte ejus, qui ei cauſſam non dedit. Indignum eſt Chriſtianis, vim injuſtam aliis inferre: Sed non eſt indignum, vim injuſte illatam vi repellere. Hæc de *Bello*, ac defenſione publica.

42. Quod nunc porro attinet ad defenſionem privatam, cum cæde injuſti aggreſſoris peragendam, quæritur an ſit licita. Ubi primum diſtinguendum inter forum humanum & divinum. In illo extra culpam habetur is, qui alterius invaſionem probare potue-

potuerit. Non poteſt tamen hoc omnino ſufficere in foro conſcientiæ, ubi exactiſſima requiritur omnium circumſtantiarum ponderatio.

43. Videmus Viros quoſdam pios ex Veteribus in ea fuiſſe opinione, ut nullo modo aut caſu, liceat cum cæde alterius vitam ſuam vel alia Bona tueri. Sic ſenſit *Auguſtinus, Ambroſius, Bernhardus* Sed bonos Viros in ea re erraſſe certum eſt. Nam primo conſtat, Lege Naturæ, & in ſtatu Naturæ id licitum eſſe. In Statu vero Civili, ubi licet implorare & exſpectare opem judicis, hactenus quidem Adverſarii cæde abſtinendum eſt. Sed ubi id non licet, veluti in ſubita invaſione,& graviore periculo, dubium non eſt, quin vim vi repellere liceat. Pluribus hæc tractantur in J. N. Scriptoribus, in quibus Grot. de J. B. & P. ac Pufend. de J. N. & G. potiſſimum conſulendi.

44. Quod vero ad Chriſt. Religionem attinet, illa non tollit Legem Nat. Itaque haudquaquam illicitum eſſe poteſt Chriſtiano, ut contra illatam vim ſe defendat. Servari tamen moderamen inculpatæ tutelæ patet oportere, ut ſcilicet majore vi non utamur, quam ſit neceſſe, nec ultionem, ſed tantummodo vitæ defenſionem quæramus. Sic & furem nocturnum licite interfici declaratur Exod. XXII. 2, 3.

45. Obj. quod Chriſtus Petro dixit Matth. XXVI. 52. *Qui acceperit gladium, gladio peribit;*

bit. Quid ſit reſpondendum patet ex §. 21. Intelligitur is, qui injuſte, & ex privato adfectu gladium arripit; aut qui ſe contra vim publicam, quamvis injuſtam, privata auctoritate, defendit.

46. Quod vero ex Rom. XII. 19. additur: *Non voſmetipſos defendentes:* id ex vulg. Verſione eſt, cum in græco legatur ἐκδικοῦντες, *vindicantes.* Vetatur ergo vindicta, non defenſio ſui ipſius.

47. Eam ergo defenſionem licitam eſſe, cum aliter *vita* conſervari non poteſt, conſtat. Quæritur an etiam de *Exiſtimatione* idem ſit ſentiendum? Hanc aiunt cum Vita pari paſſu ambulare. Quamvis & Caſuiſtæ Pontif. ſic ſentiant, non admittimus tamen eam doctrinam, eo quod exiſtimatio plerumque imaginarium eſt bonum, & in iis rebus collocatur, in quibus poſita non eſt. Præterea ſemel amiſſa reparari poteſt. Pro hac hominem Vita ſpoliare a Chriſtiana charitate abhorret.

48. In re noſtra defendenda cædem committere, ubi neceſſitas, aut periculi gravitas jubet, licitum eſſe non dubito. Nam de Fure nocturno jam vidimus. Eadem eſt ratio latronis, qui vi nos aggreditur, ubi nullum eſt aliud auxilium.

49. Addendum heic aliquid de *Duello.* Ita vocatur ſingulare certamen duorum ob aliquam cauſſam ſuſceptum, cum periculo cædis. Huc referuntur *primo* illæ pugnæ, quæ

pro

prô oſtentatione virium & artis fiunt. Has illicitas eſſe non dubitamus: nam cauſſa heic juſta non eſt, cur aliquis adducatur in periculum mortis.

50. Secunda cauſſa Duellorum adfertur *purgatio* criminis objecti, quæ & olim valde uſitata fuit, ut aut reus cum accuſatore, aut alii eorum loco ſingulari certamine congrederentur, ea lege, ut victoris juſtior cauſſa cenſeretur. Talis ratio inepta & improba eſt, cum ab eventu nunquam de juſtitia cauſſæ ſit judicandum, & æque facile innocens ac nocens occumbere queat. Ea itaque certamina nunc quoque Legibus vetita ſunt.

51. Tertia allegatur cauſſa *defenſio honorū* ab altero læſi, propter quam exiſtimatur omnino eum, qui læſit, ad *μονομαχίαν* eſſe provocandum, illeque pro infami habetur, qui provocanti non reſpondet. Hæc eſt communis illa Duellorum hodie adhuc, inter homines potiſſimum militares, ratio. De qua quid ſit ſentiendum, non difficile eſt judicare, quamvis haud facile ſit illi malo medelam adferre. Differentiam tamen obſervandam eſſe patet inter provocantem & provocatum. Ille quin in culpa ſit, dubium non eſt, ſive ex petulantia mera id fecerit, ſive quia læſus eſt prior. Si quis enim læſus verbo, aut verbere fuerit, non habet ideo juſtam cauſſam alterum occidendi, aut ſuam vitam periculo exponendi.

52. Ajunt quidem Duellorum Patroni, eum

qui honorem ſuum læſum putat, neceſſitate adigi, ad Duellum ſuſcipiendum, quandoquidem niſi id faciat, pro infami habeatur, atque ita de omnis reliquæ vitæ ſtatu actum ſit. Reſpondeo primum, Chriſtiano omnium potius fortunarum eſſe faciendam jacturam, quam ut in diſcrimen cædis aut ſe aut alterum immittat. Patientia injuriarum, quæ non alia legitima ratione vindicari poſſunt, Chriſtiani hominis eſt officium. Quod ſi propter eam infamis habeatur, patet infamiam potius ferendam, quam ut officium illud violet. Si itaque propter mores receptos militiæ aptus non amplius habeatur, deferat militiam, & aliud vitæ genus amplectatur. Cum tamen negari non poſſit, illius vicem dolendam, qui injuſta aliorum læſione omni fortunarum ſuarum fructu excidit; ſummorum Imperantium eſt, curare, ne talia contingant, Sapienter itaque inſtitueretur, ut ille potius infamis habeatur, aut alia gravi pœna adficiatur, qui alterum ignominia adfecerit, atque ſic neceſſitatem intulerit, aut militarem illam infamiam ſubeundi, aut ad duellum provocandi.

53. Quod vero ad provocatum attinet, ne illius quidem juſta eſt cauſſa. Nunquam tali provocationi parendum. Quod ſi quis ob repudiatam provocationem infamis habeatur, ferendum potius id forti animo, quam ut homicidii diſcrimen admittatur. Fortitudo & peritia pugnandi adverſus hoſtes demonſtranda. Debent tamen Leges civiles ſeverius animad-

animadvertere in provocantem, nec non in eos, qui provocationi non parentibus inſultant. Falſum etiam videtur, quod aiunt quidam, *Duella* ne publica quidem auctoritate impediri poſſe. Talibus inſtitutis, quæ diximus, utique impedirentur, ſi & provocantes & provocati pœna & infamia digni habeantur, eæque Leges ſevere ac ſine *προσωποληψία* exercerentur.

Conſentientem heic habemus *H. Grotium* de J. B. & P. L. II. C. I. §. X. 5. & *Puſend.* de J. N. & G. L. VIII. C. IV. 8.

54. Quæritur vero; annon in eo caſu permiſſum ſit *duellum*, ubi veluti per compromiſſum, ut vocant, partium contrariarum duces conſtituunt, ſummam belli duobus committere, ea Lege, ut ex eventu controverſia finiatur? Negat *Rivetus* Explic. Decal. p. 1397. a. *Davidis* monomachiam 1 Sam. XVII. cum *Goliatho*, ex Sp. S. impulſu factam, non eſſe ad imitationem trahendam. Quamvis autem ego conceſſerim aliquem tum in Davide fuiſſe inſtinctum divinum; nihilo ſecius altera ratio minime contemnenda, quam adducit *Ameſius* de Conſc. L. V. C. 32. §. 2. quod illa pugna ex auctoritate publica in bonum commune ſuſcepta fuerit. Adde quod ſic paucorum periculo graviſſimæ res conficiuntur, & cædibus plurimorum abſtinetur. Si itaque rationes prudentiæ politicæ talia ſuaderent, non dubito, quin licita eſſe poſſent. Hæc de *duello*.

55. Sunt porro & aliæ ſpecies homicidii, quibus homo non immediate quidem ab aliquo; ſed mediate occiditur. Si quis omittat aliquid, quod ex officio facere tenebatur, homicida eſt coram Deo, ſi alterius mors inde ſequatur. Caſus ſunt: Si Princeps Latrones aut Sicarios non ſtudeat exſtirpare: Si vigil non vigilet: Si patronus cauſſam innocentis non diligenter agat: Si medicus aut non ſatis peritus curationem morbi ſuſcipiat, aut negligenter tractet: Si quis domi alat nocentes beſtias, nec ſatis cuſtodiat: Si quis infantium & infirmorum ſibi commiſſorum curam negligat.

56. Eo & illi pertinent, qui commune officium humanitatis negligunt; ut, qui in extrema neceſſitate poſito non ſuccurrit cum poſſit; qui innocentem teſtimonio ſuo non juvat; qui de inſidiis aut de periculo non admonet &c.

Cap. VIII. de *Præcepto* VII.

1. Præceptum VII. Decalogi eſt: *Non mœchaberis*, ſ. *ne mœcheris.* Mœchari a græco μοιχεύειν, eſt *adulterium* committere; quod fit triplici ratione. 1. Si conjugatus rem habeat cum cœlibe. 2. Si cœlebs cum conjugata. 3. Si conjugatus cum conjuge alterius. Poſteriorem caſum graviorem ceteris eſſe patet; unde id a nonnullis *duplex adulterium* vocatur. Nec negari poteſt, ſecundum crimen gravius eſſe primo, cum in illo ſpuria proles marito innocenti ſupponatur.

ponatur. Neque tamen prior caſus crimine adulterii ſolvendus, quamvis Icti id *Stuprum*, non adulterium vocitent. Violatur enim fides conjugalis, quæ ſarta tecta eſſe debet ab utraque parte conjugum.

2. Grave crimen eſſe *adulterium* docent Loca Gen. XXXIX. 7-9. Levit. XX. 10. ubi pœna mortis adulteris conſtituitur. Jobi XXXI. 9-12. Prov. II. 16-19. Hebr. XIII. 4. Hinc repetitur a Chriſto Lex de Adulterio Matth. V. 27. & XIX. 18. Ipſa quoque ratio id damnat, nec ullum Populum cultiorem fuiſſe novimus, quin id deteſtaretur, excepto primo, quod diximus, adulterii genere, quod *Stuprum* dicebatur.

3. Conſtat tamen non ſolum *Adulterium*, ſed quævis alia Libidinis genera Lege divina prohiberi, ita, ut Præceptum hoc VII. latius omnino ſit accipiendum. Huc pertinet, quidquid caſtitati contrarium vel in matrimonio vel extra illud admittitur. Cumque hæc diverſa genera peccati non ſine pudore nominari ac reprehendi queant, hinc circumſpectione opus eſt; nec ſine cauſſa quibusdam Pontif. *Caſuiſtis* objicitur, quod ſuis de hac re diſputationibus plus ſcandali, quam ædificationis produxerint.

Cautiſſime & ſolidiſſime de his Cl. Neocom. Theol. *Oſtervald.* egit. in Lib. *contr. l'Impureté.*

4. Impuritatem in genere, & Naturæ Legibus contrariam eſſe, & Scripturæ tum V. tum N. T. auctoritatibus damnari, probatur

Matth. XV. 19. Marc. VII. 21. Act. XV. 20. Rom XIII. 1 Cor. V. VI. VII, Galat. V. 19. Eph. IV. V. Adulterium peculiaribus etiam Legibus Naturæ adverſatur. Loca Scripturæ multa ſunt, in quibus & illa Lex de Aquis Zelotypiæ, quæ ipſis quoque ſuſpicionibus occurrere debebat, Num. V. 11. ſeqq. Sunt & alia genera impuritatis, quæ vel in actionibus vel in dictis vel in cogitatis conſiſtunt.

5. Eo pertinet aſpectus rerum caſtitati contrariarum, & Lectio Librorum impurorum. Nec minus illi peccant, qui tales res oculis aliorum ſubjiciunt, aut ejuſcemodi Libros impuros ſcribunt ac edunt. Talia qui dubitat Lege Dei eſſe vetita, ille cogitet, hæc eſſe incitamenta ad impudicitiam, quia in animis hominum excitant concupiſcentias, quæ caſtitati ſunt contrariæ.

6. Sunt qui Actiones caſtitati contrarias excuſant exemplis quibusdam Sanctorum V. T. His reſpondemus 1. ubi diſertæ ſunt Leges peccatum vetantes, ibi non eſt exemplis ſtandum. 2. Quorundam exemplorum nulla omnino debet haberi ratio, ut Salomonis, quem Scriptura nuſquam ob ſanctitatem vitæ laudat, & qui in alia quoque peccata eſt prolapſus, ob quæ a Deo ſevere caſtigatus eſt. 3. Vere Sancti, qui contra caſtitatem peccarunt, ſerio dein reſipuerunt, ut David. 4. Conſideranda eſt differentia temporis, quo vixerunt illi, & quo nos vivimus. Illi habebant cognitionem imperfectio-

fectiorem, quam nos habere poſſumus; unde & major a nobis requiritur ſanctitatis perfectio. Quæ ergo in Veteribus a Deo tolerabantur, quamvis haud probarentur, illa in Chriſtianis ſunt Vitia deteſtanda.

7. Vitii vero magnitudo inter alia patet quoque ex difficultate *Reparationis* mali, quod illatum eſt. Eam reparationem eſſe neceſſariam liquet ex ipſa rei natura, cum absque illa nulla ſit vera reſipiſcentia. Unum ex modis, quibus malum reparatur, præſcribitur Exod. XXII. 15, 16. ſcilicet aut matrimonium cum vitiata, aut dotatio ejus. Idque non ſolum in eo caſu, ubi promiſſione nuptiarum mulier illecta fuerit, (ut Icti & *Grot.* J. B & P. L. II. 17. 15.) ſed & in omni caſu, ubi Viri blanditiis ſuccubuerit mulier, juſtum eſſe videtur.

8. Hoc genus reparationis in Cœlibatu locum habet. Sed in Matrimonio cum id fieri non poſſit, duo requiruntur. 1. ut proſpiciatur Liberis ex illicito concubitu natis, tam de alimentis quam de educatione. Iſtud officium qui negligunt, illi peccato peccatum addunt, idque graviſſimum. 2. Ut adulter marito & ejus liberis damnum reparet, quod ex illegitimo partu natum eſt.

9. Maximum vero damnum, quod per peccatum contra caſtitatem datum eſt, pertinet ad animam, eſtque multiplex. Aliud reſpicit ad univerſos ob ſcandalum, aliud ad ſingulas perſonas, quæ aliorum libi-

dinibus corruptæ ſunt. Scandalum reparatur per Reſipiſcentiam, eamque publice teſtificatam, ubi illud publice datum eſt; neque tamen ita reparatur, ut non aliquæ maneant reliquiæ. Singulæ vero perſonæ, quæ ſeductæ fuerunt, ſunt in viam reſipiſcentiæ & ſanctitatis reducendæ: quod cum nec ſemper nec facile fieri poſſit, patet iterum, quam difficilis ſit mali reparatio, quamque grave peccatum.

10. Sunt tamen peccata caſtitati contraria alia aliis graviora. In graviſſimis eſt *Inceſtus*, qui committitur, cum adverſus præcept. VII. peccant illi, inter quos gradus conſanguinitatis, ſ. affinitatis, jure divino prohibiti, intercedunt.

11. *Caſtitatis* officium conſiſtit in abſtinentia ab omni impuritatum genere. Illa vero ſedem præcipuam in corde habet; unde vocatur ἁγιασμὸς, 1 Theſſ. IV. 4. ἐγκράτεια, Gal. V. 22. Adde Eph. V. 3. Cogitationum continentia producit continentiam oculorum, oris & omnium aliarum actionum. Ei virtuti affines ſunt duæ, *Modeſtia* & *Sobrietas*, quibus contraria Impudentia & Intemperantia.

12. Gentiles, *ſimplicem*, quam vocamus, *fornicationem*, i. e. Viri cum innupta concubitum licitum eſſe, & Legibus tantum vetitum *Adulterium* §. 1. putabant. Dei vero Lex cum V. tum N. T. prohibet etiam illam, ſub nomine πορνείας. Quamvis πορνεία etiam

adul-

Digitized by Google

adulterium notet; dubium tamen non eſt, quin per eandem & ſimplex *fornicatio* indicetur, prout ex plurimis locis patet. Hebr. vocatur נבלה, *ſtultitia*, Gen. XXXIV. 7. Deut. XXII. 21.

13. Ratio, propter quam *fornicationem* Scriptura deteſtatur, eſt ipſius *turpitudo* & *fœditas libidinis*. Unde & proprium corpus pollui & fœdari dicitur Rom. I. 24. & 1 Cor. VI. 18. Aliæ vero rationes ex juſtitia & cura Prolis neceſſaria petuntur. Qui liberi ex illicito concubitu procreantur, plerumque negliguntur, & ſine cura educationis adoleſcunt. Nam ad curam nutritionis & educationis requiritur 1. certitudo Patris. 2. utriuſque parentis Societas & mutuum ſtudium; quæ in fornicatione non poſſunt locum habere.

14. *Adulterium* ſupponit *Conjugium*, cujus illud eſt violatio. De hoc ergo nunc videbimus. Conjugium non modo ut contractus inter Virum & Fœminam initus ad Prolis generationem, educationem ac mutuum adjumentum initus, ſed legitima Viri & mulieris ſocietas, quæ individuam Vitæ conſuetudinem, Jurisque communionem contineat, & a Deo ante Lapſum inſtituta ſit, ad Viri adjutorium in humano genere propagando, & prole alenda atque educanda; poſt Lapſum vero omni hominum ordini in remedium concupiſcentiæ conceſſa & commendata.

15. Præceptum de Adulterio vitando infert *Monogamiam*, ac vetat *Polygamiam*: i. e. præcipit, ut Conjugium ſit inter unum Virum & unam Fœminam; non inter plures. Hinc & Deus ab initio unum modo Virum & unam fœminam creavit; ad eamque Conjugii originem Chriſtus Judæos inde aberrantes revocat, Matth. XIX. 4-6. Idem confirmatur per 1 Cor. VII. 4. & per Praxin perpetuam Chriſtianorum, nec non variarum Gentium, ut Romanorum, Græcorum, Germanorum. Accedit, quod ipſa Ratio Nat. (*a*) ad *Monogamiom* potius, quam *Polygamiam* nos ducat, cum illa Naturæ & Fini Conjugii magis conveniat, quam hæc.

(*a*) V. *Heineccii* Elem. J. N. & G. II. 2. 38. *Pufend.* VI. 1. 19. *Grotius* exiſtimat, Polygamiam Jure Nat. haud illicitam, de J. B. & P. II. V. 9. Sed ad ejus rationes facile eſt reſpondere. Nec ipſe diffitetur Monogamiam Polygamiæ, ut *optimam*, eſſe præferendam. Jam vero id licitum eſſe non poteſt, cujus oppoſitum eſt optimum.

16. Proferunt Polygamiæ Patroni exempla Virorum Sanctorum ante Legem, qui plures una uxores habuerunt. Ad hæc jam reſponſum eſt §. 7. Non exiſtimaverim, eos per *Diſpenſationem* divinam id feciſſe. In iis enim, quæ Lege divina ſunt vetita, nulla datur Diſpenſatio. Fuit ergo potius toleratio, cujus ratio eadem erat, quæ in *Divortiis*, de quibus mox agetur. Erant illi nævi & imperfectiones, & non ex animi pravitate; ſed ex

errore

errore, vel ex nimia prolis cupiditate, proficiſcebantur. Obj. Atqui Deus quaſdam Leges *Polygamis* præſcripſit, Deut. XXI. 15-17. ℞. Non quod permiſiſſet Polygamiam; ſed quod prævidit fore, ut nonnulli in Populo ſuo Polygami eſſent, atque ideo præoccupare voluit vitia quædam inde oritura. Obj. 2. Davidi Deus imputat, quod ei uxores plures, easque illuſtres dediſſet, 2 Sam. XII. 8. ℞. Dedit, non per conceſſionem legalem, aut permiſſionem moralem; ſed per Providentiæ directionem, qua effecit, ut David in omni poteſtate & dignitate atque etiam in Matrimoniis, Sauli ſuccederet. Obj. 3. Regibus Iſraëlitarum præſcriptum erat, ne *uxorum* nimiam multitudinem adſciſcerent, Deut. XVII. 17. ℞. Videntur omnino Reges ex divina conceſſione poteſtatem habuiſſe plures uxores adſciſcendi. Erat hic mos Regum Orientis, quibus, quoad jura, pares videntur fuiſſe Reges Iſraëlis. Nec tamen inde ſequitur licitam fuiſſe polygamiam, aut Deo non diſplicuiſſe, quum ea fuerit potius indulgentia, quam moralis permiſſio. Sunt & qui exiſtiment, heic Regi prorſus Polygamia interdici.

17. In Conjugio contrahendo cogitandum etiam de *Gradibus prohibitis.* De his varia diſputant Jur. Nat. Doctores. Certum eſt, inter Aſcendentes & Deſcendentes, & in proxima Conſanguinitate cum Pudorem naturalem, tum & periculum confuſionis turpiſſimæ

mæ obſtare, quominus talia Conjugia licita habeantur.

V. *Heinecc.* Elem. J. N. & G. II. 2. 41.

Interim negari non poteſt: 1. ipſum Deum, unum Virum & unam Fœminam creando, ut ex uno ſanguine omne Genus hominum oriretur; neceſſitatem intuliſſe Filiis ac Nepotibus Adami, ſorores ac proxima conſanguinitate & affinitate junctas ducendi. 2. Ante Legem a Moſe latam, ſanctos Viros absque dubitatione uxores duxiſſe, quarum connubia per ſubſequentem Legem vetita fuerint. Sic Abraham duxit Sororem; Jacob duos Sorores &c. 3. Etiam per Legem in certis caſibus mandatum, ut Frater defuncti Viduam duceret, Deut. XXV. 5. Matth. XXII. 24.

18. Hinc colligunt quidam, Legem Levit. XVIII. & XX. exſtantem, eſſe *Legem divinam poſitivam.* Obſtare tamen videtur, quod in illis locis dicitur *Gentes Chananæas* talibus nuptiis inceſtis Deo abominabiles factas, & propterea terra ſua ejectas. Sunt inter ea, quæ in iis Capitibus recenſentur, nonnulla prorſus abominabilia, alia vero ita comparata, ut iis interdicendum ſit ad pudoris naturalis quaſi præmunimentum quoddam, quod ſi tollatur, facile ad pejora ruere homines poſſint: unde apparet ratio, ob quam omnia illa a Deo vetita ſint. Eapropter & Leges Civiles nonnullos Gradus vetant, Lege divi-

na

na conceſſos, ut nimia matrimoniorum licentia coërceatur.

19. Quod vero Gradus illi Lege Moſaica vetiti, Chriſtianis vitandi ſint, inde diſcimus; 1. quod illa Lex Naturæ conſentanea, & Cultiorum Gentium moribus conveniens ſit. 2. Quod in N. T. nullo modo abrogata cognoſcatur. 3. Paulus Ap. 1 Cor. V. 1. Inceſtum ſeveriſſime damnat. Itaque inter Chriſtianos nulla eſt controverſia, nec fuit unquam dubitatum, quin illi Gradus ſint prohibiti.

20. Ut intelligatur ratio Graduum prohibitorum, imprimis eorum, qui in Locis allegatis non exprimuntur, utiles ſunt quædam regulæ. 1. *Illæ perſonæ prohibitæ cenſentur, quarum par eſt ratio cum iis, quæ in Lege exprimuntur.* Ex. gr. Frater non ducet uxorem Fratris, ob propinquitatem fraternam: hinc ſoror ſororis marito nubere non debet ob propinquitatem ſororiam. Non ducetur *amita* ſ. Patris ſoror; ergo nec Fratris filia. 2. *Cujus Filiam ducere non potes; ex ejus poſteris in linea recta nullam ducere poteris, niſi ille vel illa, cujus Filiam ducere non potes, te duobus gradibus in linea recta ſuperior ſit.* Sic Fratris aut ſororis filiam ducere non poſſum; neque ergo neptem aut abneptem &c. Sed avi filiam ducere non poſſum, quia Amita mea eſt: Avi neptem tamen ducere poſſum, niſi Lex Civilis obſtet.

21. 3.

21. 3. Reg. *Eodem Gradu diſtat maritus a Conſanguineis uxoris, quo diſtat ipſa uxor, & viciſſim;* quamvis in iſto genere quæ uni eſt conſanguinitas, alteri tantum eſt affinitas. Ratio continetur, 1 Cor. VI. 16. Lex divina primum tantummodo gradum affinitatis vetat, non vero ſecundum aut tertium. Quare iſta regula intelligenda eſt de partium affinibus non de affinium affinibus.

22. Hinc intelligitur ſine ratione divinæ Legis Pontifices extendiſſe Conſanguinitatis gradus ad *quartum* uſque, ita ut non poſſint fratrum duorum Pronepotes matrimonium contrahere. Interim id Fiſco commodum accidit, quod Papa in Gradibus Lege divina non prohibitis diſpenſare poteſt. Immo vero ſtatuit Concilium Tridentinum, poſſe Eccleſiam diſpenſare in nonnullis eorum graduum, qui in Levitico exprimuntur. *Conc. Trident.* Seſſ. XXIV. Can. 3.

23. Non tamen ſunt reprehendendæ illæ, quamvis humanæ, Leges, quibus conjugia inter eos, qui ſunt in ſecundo gradu conſanguinitatis, vetantur. Nituntur illæ generalibus rationibus 1. ut amplietur charitas, & neceſſitudinum vincula latius extendantur. 2. Ut publica honeſtas atque caſtitas tanto magis conſervetur, ne conſanguineorum neceſſaria & laudabilis familiaritas libidini eſſet opportuna. Sed quamvis talia matrimonia legibus vetita iniri non debeant, haud tamen ſunt irrita, cum inita fuerunt, quamvis careant effectis ac pri-

privilegiis, quæ legitime copulatis in Civitate tribuuntur.

24. *Cognationem ſpiritualem*, quam R. Catholici ex Baptiſmo naſci credunt, nullam cenſemus, quoniam nihil Lege divinâ de ea eſt præceptum. Idem de *Legalibus* ſentimus cognationibus, quæ ex Adoptione naſci dicuntur.

25. Ad Matrimonium contrahendum requiritur *Conſenſus* Viri & Fœminæ. Id probatione opus non habet. Nam inviti, qui nubere coguntur, aut qui fraude illiciuntur ad ducendam uxorem, non habent inter ſe vinculum ſocietatis conjugalis, niſi poſt remotam violentiam aut fraudem detectam accedat mutuus conſenſus. Hinc de voluntate ſua interrogata *Rebecca*, Gen. XXIV. 57, 58. & *Jacob* deceptus per Labanem, ſuppoſita Lea pro Rahele, juſtam habebat cauſſam dirimendi matrimonium, quamvis id non fecerit, Gen. XXIX. 23. ſ.

26. *Parentum* vero *Conſenſus* neceſſarius eſt, & non neceſſarius. Neceſſarius, ob honorem & obedientiam Parentibus debitam, Gen. XXVIII. 1. Deut VII. 3. Vid. Cap. VI. §. 5. Non eſt neceſſarius, quia cum deeſt, non minus eſt legitimum Conjugium, ut patet Gen. XXVI. 34, 35. Quod Pater & Fratres puellæ in arbitrio habebant, utrum vellent nuptum dare, necne; id videtur ex peculiari jure, quod moribus receptum erat, in filias proficiſci: Gen. XXXIV. 7-17. Exod. XXII. 16, 17. Solet

let Legib. Civilib. determinari ætas, intra quam legitima non ſint connubia, niſi acceſſerit Parentum conſenſus.

27. Conſenſus litteris ſ. verbis expreſſus nomine *Sponſalium* venit, quibus continentur conditiones, de quibus Sponſi convenerunt. Sunt & aliæ *Solemnitates*, non quidem de eſſentia Matrimonii, decentes tamen, ut legitima Conjux a Concubina diſcernatur. Inde factum, ut omnes fere gentes certos ritus nuptiales, arbitrarios illos quidem, ſed ad conſenſum nuptialem & conjugum officia declaranda idoneos, adhibuerint (†). Apud Chriſtianos uſitata eſt 1. *Denuntiatio*, quæ fit ad inquirendum de impedimentis. Ea ſi omittatur, multa inde mala conſequi poſſunt. 2. *Publica celebratio*, quæ eam ob cauſſam fit, quia Communitatis totius intereſt, matrimonia rite ordinari. 3. *Benedictio Sacerdotalis*, quæ per Miniſtrum Eccleſiæ fit more veteri, de quo Tertullianus ad Uxorem L. II. mentionem facit (††). Ejus ſcopus eſt, ut Sponſi admoneantur, Conjugii ſtatum non ſine religione inchoandum; item ut admoneantur officii; tandem ut precibus Eccleſiæ juventur.

(†) Heinecc. Elem. J. N. & G. II. 2. 32.

(††) Martyr. Locc. Comm. X. 36. memorat locum Ambroſ. ubi Benedict. Sacerd. facit mentionem.

28. Officia Conjugum mutua in Amore, Concordia & Fide potiſſimum conſiſtunt, quæ tum ex natura contractus, tum ex Fine Conju-

Conjugii, qui eſt Liberorum procreatio & commoda educatio, nec non mutuum auxilium, fluunt. Quæ iis contraria ſint facile intelligitur. Cumque Maritus ſit *Caput* Uxoris 1 Cor. XI. 3. hinc ſequuntur ſpecialia illius Officia. 1. Uxorem & familiam alere, Eph. V. 28, 29. 2. Eam in ſalutaribus & neceſſariis inſtituere, 1 Cor. XIV. 35. 3. Ejus infirmitates patienter ferre, 1 Petr. III. 7. 4. Gubernare vitam & actiones illius, 1 Tim. III. 4. Uxoris officia illis analoga & ſubordinata ſunt; Conf. Eph. V. 22. & ult. 1 Cor, XIV. 35. 1 Petr. III. 5, 6.

29. Nunc porro diſpiciendum de Matrimonii diſſolutione ſ. *divortio*. Quær. 1. An *diſparitas Religionis* dirimat Matrimonium contractum & conſummatum. ℞. Certum quidem eſt Lege Moſaica ejuſmodi Conjugia fuiſſe vetita, ob periculum ſeductionis, Deut. VII. 3, 4. cujus exemplum fuerunt homines antediluviani & Salomon. Etiam Eſdras offenſam Dei hujuſmodi uxorum repudio expiandam credidit, X. 3. Porro Eccleſia vetus Chriſtiana ſtatuebat, non licere fideli, cum infideli aut hæretico contrahere matrimonium. Ex iis tamen, qui ante fidei profeſſionem conjuncti fuerunt, ſi alter convertatur, non debet infidelem deſerere, niſi prior deſeratur, 1 Cor. VII. 12-15.

30. Quid vero, ſi durante Matrimonio alter a Religione Chriſtiana, aut ab Eccleſia Ref. ad R. Catholicam deficiat? ℞. Niſi deſerat quo-

que Conjugem, vinculum non diſſolvitur. Poteſt enim Matrimonium etiam inter homines diverſæ Religionis ſubſiſtere, cum in ea diverſitate nihil ſit, quod vel naturæ Contractus, vel fini matrimonii repugnet. Inconſulte faciunt illi, qui cum homine diverſæ Religionis junguntur. Exponunt enim ſe ac Liberos periculo præſentiſſimæ ſeductionis, cujus tam multa exempla habemus.

31. *Divortii* cauſſa indicatur unica Matth. V. 32. ubi id fieri vetatur *παρεκτὸς λόγου πορνείας*, *excepta fornicationis cauſſa*, ut Vulg. vertit. Conf. Matth. XIX. 9. Interim alia cauſſa indicatur 1 Cor. VII. 15. Si *Infidelis Conjux diſcedat*, declaratur ſolutum eſſe vinculum, quo Fidelis tenebatur. Neque igitur dubium eſt, quin pars læſa alio Conjugio ſibi proſpicere poſſit. Hæc dicitur *malitioſa deſertio.*

32. Pontificii, qui Matrimonium *Sacramentis* Chriſtianorum adnumerant, pro ejus, quoad *Vinculum*, indiſſolubilitate pugnant. Allegant Matth. V. 32. Marc. X. 10-12. Luc. XVI. 18. Rom. VII. 1-3. 1 Cor. VII. 39. Sed his quidem locis agitur de Matrimonii originali firmitate, quæ nec Polygamiæ nec Divortiorum licentiam admittit. Non tamen vetatur juſtum divortium, nec partis innocentis libertas tollitur. Juſto divortio liberatus definit eſſe Conjux.

33.

33. Non ſit quidem Marc. X. & Luc. XVI. exceptio ullius caſus, quo divortium ſit licitum; ſed notiſſimum eſt, ſæpe ab uno Evangeliſtarum uberius enarrari, id quod ab altero brevius dictum eſt. 1 Cor. VII. 10, 11. vetatur, ne uxor a Viro diſcedat, aut ſi diſceſſerit, ut *maneat innupta.* Sed intelligitur diſceſſio injuſta, aut illa diſceſſio, quæ non ob cauſſas vinculum ſolventes ſit, qualis illarum eſt, quæ propter morbum, aut propter intolerabiles mores, aut propter vitæ diſcrimen, ut ajunt, diſcedunt; ut intelligant, deeſſe ſibi ſpem novarum nuptiarum; ſed omnes potius vias reconciliationis tentandas. Neque etiam hoc, quod dicitur: *maneat innupta;* jus dat in diſceſſione injuſta pertinaciter ſubſiſtendi, ſed ſtudium reconciliationis facit magis neceſſarium.

34. Argumentantur Pontificii porro ex eo, quod Matrimonium ſit *Sacramentum.* Atqui hoc in *Dogmat.* S. II. Cap. 2. §. 35. ſ. eſt refutatum. Quod vero Chriſtus cum Eccleſia ſic unitur, ut nunquam ab ea ſeparetur, cujus conjunctionis Symbolum eſt unio conjugalis, Eph. V. 32. non demonſtrat Matrimonii indiſſolubilitatem. Neque enim ibi mors aut ſecundæ nuptiæ locum habent; multo minus Adulterium, quamdiu Eccleſia ſubſiſtit. Nam ſi deficiat, non eſt amplius Eccleſia; quemadmodum uxor adultera deſinit eſſe uxor.

35. Alias Divortii cauſſas non admittit Evangelium. Lex illa Moſis de Libello Repudii Uxori dando, quæ exſtat Deut. XXIV. 1. conceſſionis, aut indulgentiæ potius eſt, quam permiſſionis moralis, cujus cauſſam Servator noſter addit σκληροκαρδίαν Judæorum, Matth. XIX. i. e. *Gentis illius indomitam & effrenatam libidinem, ingenium refractarium, & cedere neſcium.*

Spencer. de Legib. Rit. L. III. C. 2. S. 3. Ceterum Deum divortia improbaſſe ex Malach. II. 14-16. haud obſcure patet.

36. Quaproptet haudquaquam dici debet juſta divortii cauſſa naſci ex Conjugis incommodis ſ. intolerabilibus moribus. Nec licentia divortii remedium illis malis aptum eſt; ſed potius contrarium exinde exoritur. Illi enim, quibus divortii faciundi oboritur deſiderium, quod ex animi levitate, aut ex libidinis intemperantia fieri poteſt: ſuo voto potiri poſſent, ſi alteram partem, a qua diſcedere cuperent, incommodis ſuis & intolerabilibus moribus fatigarent. E contrario Divortiorum reſtrictio, morum ſapientem accommodationem, & infirmitatum tolerantiam injungit.

Cap. IX. de *Præcepto* VIII.

1. Præceptum hoc, *Ne fureris;* exſtat Exod. XX. 15. & Deuteron. V. 25. Vetatur in eo *Furtum*, ſive fraude ſive

aperta

aperta vi committatur; eſtque omnis illicita alienæ rei contrectatio. Illicita eſt, quæcunque invito Domino fit. Cum furti ſint variæ ſpecies, & pro varietate criminis etiam variæ pœnæ, hinc Ictis potius ea tractanda relinquimus. Nobis ea potiſſimum, quæ ad forum conſcientiæ pertinent, examinanda veniunt.

2. Solus animus furandi in Jure Civili furtum non conſtituit; ſed Lex Dei, quæ ſpiritualis eſt, etiam animum furandi prohibet, ita ut deliberatio aut voluntas furandi vetetur, quamvis deſit occaſio aut facultas id faciendi.

3. Quemadmodum non ſola violenta, ſed & quævis fraudulenta ablatio rei alienæ Furtum eſt; ſic vetatur omnis in contractib. *Injuſtitia*. Huc pertinet 1. Si contrahatur de re, de qua contrahere non licet, ex. gr. de re ſacra, quod Crimen *Simoniæ* appellatur. Origo nominis eſt ex Act. VIII. 18-20. 2. Si in licitis contractib. fraus adhibeatur, ſive circa rem, ſive circa menſuram & pondera. 3. Si Conductus non fideliter laboret, aut Conductor mercedem non tribuat. 4. Huc pertinent otioſi, qui non *ſuo*, ſed alieno pane veſcuntur, 2 Theſſ. III. 8, 9, 10. ſeq.

4. Præcipitur in genere Juſtitia, cum diſtributiva tum commutativa, in quibuscunque ea rebus locum habeat. Hujus itaque præcepti ſcopus eſt, ut diſtinctis dominiis re-

rum quilibet ſua tuto poſſideat, iisque commode fruatur. Sicut enim Deus in præcedentib. Præceptis cujusque Vitæ ac Caſtitati proſpexit, ita in hoc de Bonis maxime agitur.

5. Supponit ergo hæc Lex *Proprietatem* Bonorum. Nam cumprimum plures homines exiſtere cœperunt, unusquisque ſibi aliquam portionem agri, aut numerum pecoris attribuit, eaque ſic occupata curavit. Unde & prima occupatio ejus, quod nullius erat, & labor adhibitus, illi jus in rem dabat, quæ absque injuria poſtmodum invito aufferri non potuit. Sic originaria rerum Proprietas introducta. Poſtea uſurpati ſunt varii modi, Dominium rei juſte in alterum transferendi, qualis eſt donatio & venditio.

6. Plato exiſtimabat, utiliorem eſſe hominib. Bonorum *Communionem*, unde illam in Remp. ſuam introducendam cenſuit. Attulit duas ejus rei rationes. Prima eſt, quod putaret, Unitatem ſic inter Cives rectius conſervari. Altera: hoc modo tolli cauſſam omnium litium & controverſiarum inter homines. Sed ut taceamus alias rationes; patet in tali Communione nullam omnino futuram eſſe ullius hominis in laborando induſtriam, quippe cum quivis alterius labore frui magis, quam laborare cupiat.

Porro

Porro jam introducta rerum diviſione nulla eſt communio, adeoque regulæ juſti & injuſti ſunt immutabiles.

7. *Anabaptiſtæ* quidam turbulenti olim in Ecclesia Chriſtiana reducendam eſſe Bonorum Communionem cenſuerunt, exemplum Eccleſiæ Apoſtolicæ urgentes, de qua Act. II. 44. IV. 32. His reſpondemus 1. Exemplum Apoſtolicæ Eccleſiæ, quoad Communionem Bonorum, non imitatæ ſunt aliæ Eccleſiæ extra Hieroſolymam, etiam ab Apoſtolis plantatæ. Unde colligitur, ſi vera fuit Bonorum Communio illa, prout Anabaptiſtæ intellexerunt, fuiſſe eam iſti propriam, ceteris vero Eccleſiis nec neceſſariam, nec utilem. 2. Communionem non fuiſſe Bonorum omnium, ſed eorum, quæ quilibet ſponte ſua in commune conferre vellet. Intelligitur id ex Act. V. 4. Nam peccatum Ananiæ in eo poſitum, quod clam de pretio Agri aliquid ſubducens, videri tamen voluit omne adferre. 3. Ne talem quidem Communionem Bonorum fuiſſe, qualis vulgo putatur. Nam *ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινὰ*, eodem modo intelligi debet, quo dicimus: *τὰ τῶν φίλων κοινὰ, amicorum omnia communia.* Ad Beneficentiam ergo in egenos hoc refertur, unde fiebat, ut nemo ſua ſic ſibi propria diceret, ut non libenter vel partem vel omnia, cum res requirebat, in commune conferret.

Beza ad verbum *κοινὰ* adnotavit; *uſu videlicet cha-*

ritatis, quæ certa ratione exercebatur. Sicque *Moſhem. Hiſt. Chr. ante Conſt. M.* p. 118. expoſuit.

8. Datur tamen caſus, quo rem alienam invito Domino juſte aufferri cenſemus: Cum ſcil. a Superiore punitur reus, bonorum ſuorum vel in totum vel ex parte ablatione, quæ dicitur vel confiſcatio vel mulcta. Hoc titulo juſtam cenſemus ablationem rerum ab Ægyptiis acceptarum, de qua Exod. XI. 2. XII. 35. Ea enim facta eſt Deo diſerte mandante, cui ratio fuit juſtiſſima, Ægyptios puniendi, cum propter alia vitia, tum propter iniquitatem in Iſraëlem, quo tamdiu absquemercede ad labores aſperrimos abuſi erant.

9. *Pœna* Furti *divina* eſt, ut talis Regno Dei excludatur 1 Cor. VI. 10. *Civilis* varia, pro ratione furti, Lege Dei conſtituta. *Plagiarius* morte puniendus Exod. XXI. 16. Reliquorum furtorum pœna erat quadrupli aut quintupli *reſtitutio*; quæ ſi ob paupertatem fieri non poterat, homo erat vendendus, Exod. XXII. 2. Neque adeo in furtis admittebatur paupertatis excuſatio. In nonnullis dupli reſtitutio ſufficiebat. Ubi pœna mortis decernitur, reſpicitur ad circumſtantias factum aggravantes, ut ſi quis violenter aggrediatur, aut cum armis; ſi quis graſſator aut latro ſit. Abhorret itaque ab æquitate divinarum Legum, ut ſimplex furtum capite luatur.

10. Præter *Furtum* proprie dictum, ſunt & alia vitia huic præcepto contraria. 1. *Avaritia*, græcis πλεονεξία & φιλαργυρία, 1 Tim. VI. 9. 10.

Ei

Ei opponitur *αὐτάρκεια*, i. e. *animus ſua ſorte contentus*, 1 Tim. VI. 6-8. Phil. IV. 11. 12. Hebr. XIII. 5. 2. *Invidia, φθόνος.* Nam illa eſt dolor, quem de aliorum Bonis ſentimus; eſtque juſtitiæ contraria. Hinc inter reliqua vitia recenſetur Tit. III. 3. Galat. V. 26. Huic oppoſitum officium eſt, lætari aliorum commodis, Rom. XII. 15. nec ægre ferre, ſi & impiis bene ſit, Matth. V. 45.

11. Furti quoque ſe reos faciunt *Aleatores*, & aliis Ludis lucrandi cauſſa dediti. Luſus enim non eſt juſtus modus acquirendi. Eo pertinent & illi, qui pignorib. contendunt talib. quorum jactura perdentem notabili damno adficiat. Nam hoc potiſſimum nomine luſus & alea reprehendi debent. Eſt tamen & alia ratio, cum ſcilicet tempus utiliorib. impendendum, luſu tranſigitur, atque ita bonæ horæ perduntur.

12. Furti porro reus eſt, quisquis non bona fide reddit, quod cuique debet. Sic, qui Tributum, Vectigal, Decimas &c. publice ſolvenda intervertit, aut imminuit: qui non ex fide laborat, aut opus facit; qui ſervus aut mercenarius domini ſui commoda non omni modo promovet. Omnes iſti injuſte agunt, & vel malitia vel negligentia rem aliorum imminuunt, 1 Theſſ. IV. 6.

13. Huc pertinet etiam quæſtio de *Uſura*, ſ. *Fœnore*, de quo videndum, num referendum inter juſtos modos aliquid acquirendi. Eſt *Uſura* ſ. *Fœnus*, id, quod ex nummis mutuo datis ſupra ſortem accipitur. Uſuram Iſraëlitæ ab Iſraëlita accipere illicitum erat; licitum

vero ab extraneo, Deut. XXIII. 19, 20. Adde Deut. XV. 7. ſ. Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35-38. Pſalm. XV. 1-5. Ezech. XVIII. 8, 9. 13. & XXII. 12.

14. Non tamen Uſuram illicitam eſſe Lege Naturæ ex eo patet, quod juſte aliquis poſſit ex ea pecunia, cujus uſu aliquandiu caret, ut eum alii concedat, viciſſim aliquid eo nomine paciſci, cum interea & alter per eam melioris conditionis eſſe potuerit. Quod vero ad Legem divinam attinet, illam Deus peculiarem eſſe voluit Populo Iſraëlitico, ut egentib. ſine fœnore mutuo daret. Ab Extraneis licebat fœnus exigere, eo quod hæc exactio in ſe mala aut illicita non eſſet. Nec dubito, quin & ab opulentiorib. in Iſraële ipſo exigere licuerit, ubi tales commodi majoris cauſſa pecunias mutuas accepiſſent.

15. Quod vero Chriſtus Luc. VI. 35. ait, *mutuo dandum, ubi nihil ſperatur*, id non de Uſura; ſed de ipſa Sorte intelligendum, ubi Charitas id exigere videatur, & noſtræ id facultates permittant, plerique cenſent. Nobis videtur nec de uſura, nec de ſorte hic agi reſtituenda, ſed potius de beneficio mutui dandi, etiam in illos conferendo, a quibus ſimile beneficium exſpectare viciſſim nequeamus. Sic videtur contextus ſuadere. Nam ad eos quod attinet, qui ſui quæſtus aut commoditatis cauſſa pecunias mutuas accipiunt, injuſti eſſent, ſi uſuram negarent. Accedit, quod cum aliis pecunias noſtras utendas damus, de iis non raro periclitamur: unde æquum eſt, ut ejus rei aliqua compenſatio fiat. 16.

16. Sunt tamen quædam uſuræ ipſa natura illicitæ, ut quæ modum excedunt. Modus ille eſt, quem utilitas alias ex mea pecunia ſperanda, non vero alterius neceſſitas, aut imprudentia definit. Eum modum ſi quis ſervat, poteſt ex pecuniis ſuis lucrum facere; & cum ipſe nullam faciat mercaturam, nec agros colat, aliis mercaturam facientib. & agrum colentib. pecuniam dare, unde merces aut agros emant, & aliquid lucrentur.

17. Nihil æquius eſt, quam ut is, qui ſ. furto ſ. alia quavis ratione alteri ſuum abſtulit, ſ. injuriam intulit, reſtituat, aut damnum ſarciat. Inde æquitas Legis moſaicæ de reſtitutione dupli, quadrupli, ac quintupli, ut præter damni reparationem addatur pœna. Vid. §. 9. Conf. Luc. XIX. 8. Nec ſane ſine reſtitutione ſ. reparatione damni ſperari poteſt remiſſio peccati.

CAP. X. *De Præcepto* IX.

1. *Ne proferto contra proximum tuum teſtimonium falſum:* eſt Præc. IX. Exod. XX. 16. Deut. V. 17. Ad litteram ſic vertendum: *Non reſpondebis de proximo tuo*, ut *teſtis falſus.* Id reſpicit primum ad Judicia. Ibi enim interrogati teſtes reſpondent. Dein vero ad omnem de proximo ſermonem refertur. *Proximus* autem eſt quilibet homo, prout id ex Domini declaratione plurib. poſtea videbimus.

2. Com̃endatur ergo in hoc Præcepto *Veritas*, quæ eſt convenientia dictorum noſtrorum cum mente & cum reipſa, Eph. IV. 15. 25. Virtus, ſ. habi-

habitus vera dicendi eſt *Veracitas*, cujus in exemplum Deus proponitur Rom. III. 4. Hebr. VI. 18. Ea ſeſe cum in enunciatis omnib. tum potiſſimum in promiſſis exerit.

3. Veritati oppoſitum eſt *Mendacium*, quod eſt, ut ait *Auguſt*, *voluntaria falſi enuntiatio*, *fallendi cauſſa*. Tria ſunt ergo, quæ mendacium conſtituunt; 1. ut falſum ſit id quod dicitur; 2. ut voluntario falſum dicatur: 3. ut fiat cum intentione fallendi. Nam, ſi quis quod falſum eſt, dixerit, cum putaret verum eſſe, non peccat, niſi id elocutus fuerit temere, cum rectius rem explorare debuiſſet.

4. Diſtinquitur mendacium in *perniciosſum*, *officioſum* & *jocoſum*. *Pernicioſum* illud eſt, quod proximo damnum infert. Id omni in caſu illicitum eſſe nemo dubitat, quoniam pervertit uſum rei tam nobilis, qualis eſt Sermo, ad id homini datus, ut ſuas cum aliis cogitationes communicare queat. Qui igitur mendacio ſuo proximum in errorem noxium conjicere ſtudet, ille Deo eſt abominabilis, Joh. VIII. 44. Eph. IV. 25. Coloſſ. III. 9.

5. *Officioſum* mendacium illud dicitur, quod alicui ita prodeſt, ut nemini noceat. Id an ſit licitum, quæritur. Sunt qui affirment, ac præter alias rationes exempla V. T. adferant. velut Patriarcharum, paſſim; obſtetricum in Ægypto, Exod. I. 19. Rahabæ Joſ. II. 5. Davidis 1 Sam. XX. & XXI. Ut adeo, ex horum ſententia non ſit peccatum, niſi quod ſit cum conſilio proprium commodum cum damno aliorum promovendi.

6. Alii

6. Alii e contrario negant, *Mendacium officioſum* eſſe licitum. Ad exempla V. T. varia reſpondent, tandemque ſtatuunt, non exemplis, ſed Legibus divinis eſſe ſtandum. Quod autem *Obſtetrices* & *Rahab* dicuntur a Deo præmium conſecutæ, id non ob mendacium, ſed ob benignitatem erga Iſraëlitas contigiſſe. Itaque id omne malum eſſe contendunt, quod animo fallendi dicitur, quamvis ad hominum felicitatem tendat, eamque etiam promoveat. Non enim eſſe *facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. III. 8. Sic non eſſe mentiendum, propter gloriam Dei, 1 Cor. XV. 15. aut propter aliorum ſalutem, Damnantur & illæ, quæ dicuntur *Piæ Fraudes.* Impium enim & ineptum eſt, ad illuſtrationem veritatis & pietatis uti mendacio.

7. An liceat mendacio uti ad detegendam veritatem, ut cum Judex aut Inquiſitor dicit, ſe noſſe reum, ut iſte fateatur? In utramque partem diſputari ſolet. Si valeat Superior regula, i. e. *Si non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, ſique mendacium in ſe & ſua natura malum eſt; liquet non licere.

8. An liceat mentiendo vitam & bona ſua conſervare, ſine aliorum injuria? Reſp. ſi de Religione abneganda agatur, non licet Matth. X. 33. Sin de aliis rebus non cum officio ſ. erga Deum, ſ. erga proximum conjunctis agatur, & extra caſum juſtæ quæſtionis, quæ per Judicem aut per Magiſtratum fit, adfirmatum eſt a multis. Quæſtio iterum

rum ab eo pendet, utrum *Mendacium* in ſe malum ſit, quia veritati contrarium; an ideo tantum, quia fini ſermonis adverſatur. Finis autem ille eſt cogitationum noſtrarum ad Dei gloriam, noſtramque & proximi veram utilitatem patefactio.

9. Sic certe videtur S. Scriptura ubique commendare *veritatem*, ac deteſtari *mendacium*, ut omnino nullo in caſu mentiendum Chriſtiano videatur; Pſalm. V. 7. Prov. VI. 16, 17. XII. 22. Pſalm. LI. 8. & locis ante ex N. T. allegatis. Præterea ſi ullo in caſu mentiendi facultas homini concedatur, facile dein ea abutetur, & quosvis neceſſitatis aut innoxiæ utilitatis excogitabit caſus. Præſtat itaque ſeverioribus Doctoribus heic adhærere, ita ut tamen pro conſcientiis eorum, quibus eſt reſipiſcendi animus, diligenter diſtinquantur peccatorum gradus, ut mendacium *officioſum*, ac id quod dicitur *neceſſarium*, in infimo collocetur gradu.

10. Sic de *jocoſo Mendacio* ſentiendum, id ſine peccato dici non poſſe; cumque etiam iſtud nullam intendat utilitatem, ſed ſolummodo voluptatem ex aliorum errore capiendam, liquet minus honeſtum id eſſe quam *officioſum*. Huc pertinent illa, quæ excogitantur, ut homines creduli aliorum ludibrio exponantur. Id genus præter peccatum habet etiam in ſe animi levitatem minime condonandam. Nec tamen hæc cum illis confundenda ſunt narrationibus, quibus infantes

aut

aut rudiores deliniuntur, & utilem nonnunquam accipiunt doctrinam; ut fabulis ac Parabolis. Cum illæ ſint ſeriæ; non tamen loco veritatis, nec fallendi cauſſa dicuntur.

11. *Occultare veritatem*, quam nulla ſpeciali Lege tenemur manifeſtare, licet, vel *tacendo*, cum non interrogamur, aut cum interrogamur ab eo, qui jus interrogandi non habet; vel *diſſimulando*, cum ea non agimus, ex quibus mens noſtra intelligi poteſt. *Simulare* ubique illicitum, ubi de Religione agitur. Hæc eſt illa, quæ vocatur *Hypocriſis*. Exempla vid. Luc. XX. 20. Gal. II. 12-14. Phariſæi & Scribæ, Matth. VI. & XXIII. Charitas debet eſſe *ἀνυπόκριτος, expers ſimulationis* Rom. XII. 9. 2 Cor. VI. 6. 1 Petr. I. 22. quemadmodum & *Fides* 1 Tim. I. 5. 2 Tim. I. 5. & *Sapientia Chriſtiana* Jac. III. 17.

12. Vitioſa porro eſt *ſimulatio* proximo *noxia*, excepto bello, quo licet *ſtratagematibus* uti, non tamen Pactis aut promiſſis decipere hoſtes. Eſt autem *ſtratagema* illud artificium, quo hoſtis ab hoſte circumvenitur; qualis eſt ſimulata fuga &c. *Dolus an Virtus quis in hoſte requirat?*

13. Innoxiam aliquando licitam eſſe ſimulationem rationibus & exemplis diſcimus. Sic Matrum & Medicorum ſimulationes erga infantes & ægrotos, nemo illicitas habuit. *Joſephus* Patriarcha ſimulavit & diſſimulavit, Gen. XLII. &c. *David* ſimulavit inſaniam

1 Sam.

1 Sam. XXI. 13. In quibus exemplis nihil eſt, quod reprehendamus. Quid quod de *Chriſto* ipſo προσποήσεως exemplum invenitur Luc. XXIV. 28. ubi dicitur: καὶ αὐτὸς προσεποιεῖτο πόῤῥωτέρω πορευθῆναι, quod vertit *Vulg. Ipſe ſe finxit longius ire*; & *Beza, Ipſe fingebat, ſe longius ire*: in aliis tamen edit. eſt: *ſimulabat*. Scilicet geſtu præ ſe ferebat ſ. oſtendebat, iter longius ſibi propoſitum, unde a Comitibus rogatus deſtitit.

14. Hic eſt locus de *æquivocationibus* & *reſervationibus mentalibus* agendi. Eſt hæc mentiendi ac fallendi ars, ubi ambiguis verbis utitur loquens, aut in animo retinet aliquid, quod audiens ſuſpicari non poteſt, ſine quo tamen verum non eſt id quod dicitur. Exemplum dicunt, qui hæc licita putant, Jeſuitæ: reum vel teſtem etiam juratum de crimine Judici occulto, ipſi vero cognito, ſi interrogetur, reſpondere poſſe, *neſcio*, ſubintelligens, *ut dicam tibi*. Hæc, ſi admittantur, peribit omnis in ſermone veritas, omnis fides in Comerciis, in judiciis certitudo; imo ne Doctoribus quidem ſuis tuto confidere poterunt diſcipuli. Semper enim metuendum eſſet, ne ejuscemodi æquivocatio, aut reſervatio lateat.

15. Ubi vero ambiguitas non adhibetur fallendi, ſed erudiendi gratia, ita ut eam facile ſatis animadvertere poſſit auditor vel lector, ibi absque vitio adhibetur. Sic Chriſtus Joh. XI. 11-14. de Lazaro; Matth. IX.

24. de

24. de puella, Joh. II. 19-22. de Templo; Joh. III. 4-7. de Regeneratione ita locutus eſt, ut aliud intelligeretur, quam quod verba præ ſe ferebant.

16. Violatur etiam IX. Præceptum ab eo, qui ſive falſis ſive veris criminibus, ſermone vel ſcripto, traducit proximum. Illud fit in *Calumniis*, hoc in Criminationibus & Obtrectationibus; quæ cum ſcripto produntur, *Paſquilli* nomine veniunt. Ab his parum differunt, qui *ſatyras perſonales* ſcribunt, id eſt, qui vitia & peccata hominum non in genere tantum, ſed in ſpecie, cum nimis clara perſonarum deſignatione, traducunt aut riſui exponunt. Poſſunt & concionatores in iſtud obtrectationis ſ. maledicentiæ crimen incidere, cum pro ſuggeſtu non vitia in genere, ſed peccata perſonalia exagitant, idque tanto gravius eſt, ſi de Perſonis principalibus agitur, eorumque ſic dignitati & auctoritati detrahitur. Nec immunes a peccato ſunt, qui calumnias & obtrectationes aliorum cupide excipiunt.

17. Quin talium atrox ſit peccatum, dubitari non poteſt, cum in eos Lex talionis ſtatuatur, qui calumniis apud Judicem circumveniunt innocentes: Deut. XIX. 16-21. Cumque difficilis ſit reparatio damni, per calumnias & obtrectationes dati, patet ejusmodi famæ detractores omni modo damnabiles, nec niſi ſeria reſipiſcentia peccatum ſuum eluere poſſe.

18. Quum ſermo noſter aut ſit *aſſertorius*, aut *promiſſorius*, liquet illum eſſe verum, cum mentis noſtræ ſententiam exprimit: hæcque dicitur *Veritas moralis*, quæ locum habet, etiam cum in errore ſumus. Nam qui errat, ſi animi ſui ſenſa ſincere exprimit, verum dicit. *Promiſſorius* vero ſermo veritati eſt conſentaneus, quoties id quod promittimus, etiam præſtare nobis in animo eſt. Nam promiſſio obligat erga omnes, quibus facta eſt, niſi ſit 1. de re illicita, aut 2. de re impoſſibili, aut 3. vi injuſta extorta: Quale id, quod Latroni datum, de quo vid. Cap. IV. §. 23, 24.

19. Quæritur porro, an fides ſit *hæreticis* ſervanda, aut *infidelibus?* Nemo ambigeret, quin id fieri debeat, cum fidem ſervare ſit officium Juris Naturæ, quod nullum facit religionis diſcrimen: niſi in Rom. Eccleſia eſſent nonnulli, qui negarent. Eorum exempla adfert *Rivet*. Opp. T. I. p. 1441. Alios cum pudeat hujus ſententiæ, negant quidem, eam ſuæ Eccleſiæ mentem eſſe. Interim talibus hypotheſibus utuntur, ex quibus iſta ſententia neceſſario fluat. Nam ſtatuunt, libertatem Religionis eſſe illicitam, nec debere permitti ab ullo Principe: Unde cum Pacta & promiſſa, quæ non ſunt licita & honeſta, non ſint ſervanda: Inde ſequitur, pacta cum hæreticis de religione inita non eſſe valida. Sed vid. quæ de Libertate Conſcient. dicta ſunt *Theol. Dogm.* Sect. I. §. 543.

Cap.

Cap. XI. *de Præcepto* X.

1. Exod. XX. 17. *Non concupiſces domum proximi tui. Non concupiſces uxorem proximi tui, aut ſervum ejus, aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut aſinum ejus, aut ullam earum rerum, quæ proximi tui ſunt.* Conf. Deut. V. 18. Ubi notandum, illa Verba, quibus vetatur Concupiſcentia *Uxoris* proximi, præmitti illis, quibus deſiderium *Domus* ejus vetatur. Quapropter male omnino iſtud X. Præceptum in duo disjungitur. Nam, ſi IX. præceptum eſſet: *Non concupiſces domum proximi tui*: X. vero: *Non concupiſces uxorem proximi tui*, & reliqua, non fuiſſet a Moſe ordo immutatus. Sic & Paulus Apoſt. Rom. VII. 7. & XIII. 9. unum Præceptum de concupiſcentia commemorat.

2. Quod verbum *ne concupiſcas*, bis repetitur, non facit duo Præcepta; ſed tantum rei gravitatem magis indicat. Nihil etiam ad rem facit, quod Hebræi concupiſcentiam Domus a concupiſcentia uxoris per ׳ס diſtinquant. Nam iſtæ diſtinctiones non ſunt divinæ auctoritatis, ſed a Judæis additæ.

3. Vetatur ergo in hoc Præcepto *Concupiſcentia*, i. e. quodlibet deſiderium injuſtum rei alienæ. Eſtque adeo firmamentum & completio præcedentium, quibus de Proximi Vita, Caſtitate, Bonis & Fama cavetur. Quamvis enim dum actiones his contrariæ vetantur, etiam cupiditates damnantur, ut ſuis locis obſervatum eſt; voluit tamen Deus tanto fortius ad illam internam ſanctitatem homines

adſtringere, dum peculiare de *Concupiſcentiis* Præceptum addidit.

4. Concupiſcentiæ iſtæ vocantur etiam *Cogitationes malæ*, διαλογισμοὶ πονηροὶ, Matth. XV. 19. Unde & Gen. VI. 5. & VIII. 21. vocatur *figmentum Cogitationum Cordis tantummodo malum a pueris.* Talium vero tres gradus diſtinquuntur. 1. Quæ ita oritur in animis noſtris, ut cito prætervolet, nec moram faciat. 2. Quæ permanet, & pectus interno gaudio titillat. 3. Quæ voluntatis plenum conſenſum elicit, atque in ſe continet propoſitum peccandi, quamvis effectum non ſemper conſequatur.

5. Prima ſpecies malarum Cogitationum eſt quidem effectus pravitatis originariæ, non habet tamen formalem rationem peccati. Nihil enim in ea eſt voluntarium, niſi quis per habitum de malis cogitandi talium cogitationum auctor fiat. Cum objectum aliquod nobis ſæpe invitis, aut ſaltem non quærentibus, offeratur, excitat quasdam Cogitationes, quæ dum menti bonum apparens repræſentant, deſiderium excitant incautis, aut mentem non ſtatim inde avertentibus. Hinc jam emergit ſecunda ſpecies, quæ eſt peccatum, quia eſt initium peccati actualis, & voluntatis noſtræ adſenſum continet.

6. Appellant hos Pontificii *Motus primos*, aut *primo primos*, & peccatorum numero eximunt, propterea, quod dicunt, non eſſe voluntarios in regenitis. Atqui certum eſt, omnem ἀνομίαν ſ. *diſcrepantiam a Lege*, eſſe peccatum. Cumque Lex requirat perfectam animi corporisque ſancti-

ſanctitatem, apparet, ejus pravas cogitationes, quæ non conſeſtim tranſeunt; ſed permanent, & cum titillatione conjunctæ ſunt, pro peccatis habendas. Sunt voluntariæ, quia voluntas eas non confeſtim reſpicit; easque putamus per τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν Rom. VII. 5. eſſe intelligendas. Manifeſtum etiam eſt ex eodem Loco, Apoſtolum appellare *Peccatum*, inhærentem in animis noſtris pravitatem, quæ contra Legem ſeſe exerit, & concupiſcentiam producit. Vid. imprimis ℣. 8. & Jac I. 14, 15. Idque eſt, quod Auguſtinus, & poſt eum ceteri, appellarunt *Peccatum Originale*, ubi nomen Peccati non actum; ſed diſpoſitionem ſ. proclivitatem ad actum notat.

7. Peſſimum vero illud genus Concupiſcentiæ procul dubio eſt, quod voluntas noſtra non tantum approbat, ſed quod cum pleno peccandi propoſito eſt conjunctum. Quamvis enim effectus non ſemper ſequatur, ob impedimenta, aut occaſionis abſentiam, aut conſilii mutationem; non poteſt tamen dubitari, quin voluntas peccandi pro ſcelere ſit habenda, quia Legem Dei proculcat.

8. Sic itaque iſtud X. Præceptum nobis inculcat officium *Acquieſcentiæ* in iis, quæ nobis præſto ſunt, quam græci αὐτάρκειαν dicunt. Ea in genere notare poteſt illam animi tranquillitatem, qua homo ſtatu ſuo contentus eſt. Imprimis ad opes reſpicit, ſive homo indigeat rebus ad vitam neceſſariis, ſive eas poſſideat, ſive ſuperfluis abundet. Conf. 1 Tim. VI. 6-10. Extenditur tamen etiam ad temperantiam ani-

mi, qua voluptates illicitas nunquam deſideramus, ſicque, cogitationes ac deſideria noſtra coërcemus: item ad continentiam, ac modeſtiam. Contrarius potiſſimum eſt *amor mundi*, de quo 1 Joh. II. 16.

Cap. XII. *Summa Legis divinæ*

1. *Summam Legis* tradit Chriſtus Matth. XXII. 37-40. ſc. *Dilectionem Dei ſuper omnia*, & *Proximi ſicut nos ipſos*. Prior pars deſumta eſt ex Deut. VI. 5. poſterior ex Levit. XIX. 18. Liquet ergo univerſam Legem, quoad Præcepta moralia hactenus expoſita, ad duo illa Capita referri poſſe; quemadmodum & propterea diviſio in 2 Tabulas eſt inſtituta. *Amor* quin omnia cetera in ſe contineat *officia* Deo & Proximo debita, dubium non eſt; unde alii maluerunt, ſecundum hæc Capita, addito tertio de officiis erga ſeipſum, doctrinam moralem tractare.

2. Cum autem *Officia* erga ſeipſum partim ex Amore Dei partim ex Amore Proximi fluant, non opus erat in *ſumma Legis*, ea ſeorſim conſiderare. Porro Amorem ſui ipſius non tam ut officium hominis, quam ut naturalem aliquem inſtinctum conſideramus: Quapropter nusquam videmus, illum in Scriptura diſerte præſcribi, cum per ſe conſtet, homines in Amore ſui exceſſu potius, quam defectu peccare, Eph. V. 29. Immo vero apertum eſt, menſuram Amoris Proximi ex Amore ſui ipſius colligi, cum dicitur: *Diliges Proximum tuum ſicut te ipſum:* & Eph. V. 28. *Qui diligit ſuam uxorem, ſeipſum diligit.* Præcipue

vero

vero id ex eo intelligitur, quod Servator ait: *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, & vos ſimiliter illis facite;* additque: *Iſta eſt Lex & Prophetæ;* quaſi diceret: in hoc Capite continetur Summa Officiorum veſtrorum hominibus præſtandorum, quæcunque in Lege & Prophetis inculcantur, Matth. VII. 12. Conf. Gal. V. 14.

3. Quia vero officia noſtra erga alios homines, ſ. Amor Proximi, ad Amorem erga nos ipſos eſt exigendus; Amor vero Dei utrumque ſuperat, hinc primum de Deo amando, tum de Nobis, & tandem de Proximo agendum eſt, idque non ut jam dicta repetamus, ſed ut demonſtremus, omnia Chriſtiani hominis officia in Lege Decalogi contineri.

4. *Officia erga Deum* illa ſunt, quorum ipſe eſt immediatum objectum, de iiſque IV. priora Præcepta, priorem Tabulam Decalogi abſolventia, agunt. Sunt illa partim interna, partim externa. Nam Præcepta Decalogi, quamvis externarum præcipue actionum mentionem faciant, non minus internos animi motus reſpiciunt. Deo ergo debetur 1. *Amor* proprie ac ſtricte dictus; 2. *Timor.* 3. *Fiducia.* 4. *Patientia* & *Submiſſio*, qua voluntatem noſtram ſimpliciter ac ſine exceptione divinæ voluntati ſubordinamus. Hæc ſunt interna. Ex his fluunt externa Officia, *Adoratio*, *Invocatio*, *Gratiarum actio*, *Cupiditas voluntatem Dei cognoſcendi*, eumque omni modo *glorificandi;* quibus Officiis *Cultus*, cum *publicus*, tum *privatus* conſtat.

5. Quæ vero adduntur, indicant 1. in Amore ac officiis inde fluentibus nihil eſſe Deo præferendum. 2. poſtponenda potius omnia, ac relinquenda, ſi illis obeſſe videantur. Huc pertinet *Abnegatio ſui ipſius*, de qua Matth. XVI. 24. Ea continet 1. *Humilitatem*, qua homo ſuam fragilitatem, ac pravitatem agnoſcat, ut in bonis, quæ forte habet, nihil ſibi, omnia Deo tribuat: 2. *Abſtinentiam* ab illicitis quibuſque commodis, aut voluptatibus. 3. *Temperantiam* in licitis, qua fit, ut ne propter has quidem ullam officii partem negligamus: 4. *Fugam ſcandalorum*, etiam cum incommodo haud levi conjunctam, Matth. V. 29, 30. 5. *Tolerantiam Crucis*, ſ. malorum, quæ Dei aut pietatis cauſſa nobis obveniunt, de qua Servator junctim cum Abnegatione ſui agit.

6. *Amor* noſtri ipſius exigit, ut omnia faciamus, quæ ſalvis officiis in Deum & Proximum ad noſtram augendam beatitudinem faciunt. Id quod, ut dictum, non tam hominibus inculcandum, quam certis Legibus includendum eſt. Sic naſcitur *Amor ſui ordinatus*, a prava *Philautia* diſtinquendus. Ille requirit, ut 1. Animam; 2. Corpus; 3. Bona fortunæ homo conſervare, ad majorem perfectionem perducere, ac recte iis uti diſcat ſtudeatque. Ea vero in omnibus antedictis Præceptis contineri patet.

7. *Dilectio proximi* itidem continet officia erga ipſum 1. ratione Corporis ac Vitæ: 2. ratione Caſtitatis; 3. ratione Bonorum; 4. ratione famæ; ac tandem 5. ratione totius Status,

tus, quæ omnia quoque in Decalogi Præceptis continentur. Ea cum ſint generalia, omnibus debita; hinc & ſpecialia fuerunt addita, quæ ex certa quadam vitæ conditione fluunt, eoque pertinet Præceptum V. Unde apparet verum eſſe id, quod initio dictum, *Decalogum continere Summam totius Legis moralis.*

8. Diſputatur inter nos potiſſimum & *Socinianos* atque *Anabaptiſtas*, an Lex illa Moſaica ita ſit perfecta, ut omnia contineat officia homini ad Salutem neceſſaria? an vero per Chriſtum debuerit perfectior reddi ac ſuppleri? Quod nos negamus, illi adfirmant. Unde fit, ut *Sociniani* potiſſimum Chriſtum tanquam *Legislatorem* N. T. ejuſque doctrinam, ut *novam Legem* conſiderent.

9. Sed perfectio Legis, qualis a Moſe tradita & a Prophetis illuſtrata eſt, facile probatur. 1. Dicitur Lex Dei *perfecta* Pſ. XIX. 8. & quidem ita, ut nihil ei addendum vel detrahendum ſit, Deut. IV. 2. 2. Lex continet omnia officia, quæcunque homini præſcribi poſſunt, prout ex Summa Legis, quæ in Amore Dei & Proximi conſiſtit, patet. 3. Lex promittit illis, qui eam obſervant, *vitam*, Levit. XVIII. 5. nec eam ſolum temporalem, ſed & æternam. Non enim admittimus *Socinianorum* & *Remonſtrantium* ſententiam, qui eam promiſſionem ſolummodo ita exponunt, ut Cleric. ad l. habet: *immatura morte aut a Magiſtratibus aut ab ipſo Deo eum ſublatum non iri, qui Legum obſervans futurus eſſet.* Probamus potius

tius expoſitionem Chaldæi Paraphraſtis, qui *Vitam æternam* eſt interpretatus.

10. Quod dicunt Chriſtum Legem Moſis, quoad quædam præcepta correxiſſe. quoad alia auxiſſe & compleviſſe; id ſingulorum conſideratione refellitur, prout jam factum paſſim eſt. Quod enim ſolent proferre ex Matth. V. *Audiviſtis, quod dictum ſit veteribus:* non eſt de Moſis Lege; ſed de Interpretamentis ac Traditionibus Phariſæorum intelligendum. Aliud eſt ergo, *Legem corrigere*, aliud interpretari. Rurſus aliud eſt *novum ſenſum* Legi dare. aliud *veterem* & verum *ſenſum*, reducere; novo & falſo rejecto. Patet ergo Chriſtum non Legis Correctorem, ſed Interpretem agere cum ex aliis, tum 1. ex eo quod ℣. 43, allegat, quæ non ſunt Moſis dicta, ſed Scribarum: 2. ex rebus ipſis a Chriſto vel præceptis vel vetitis; quæ & in Lege vel explicite vel implicite continentur.

11. Urgent præcipue III. Præcept. quod ℣. 33, 34. correctum. Sed ad id jam ſuo Loco reſponſum. Sic quod ℣. 38,39;40. vetat Chriſtus ultionem privatam, id non eſt novum. Nam & a Moſe Judices erant conſtituti, qui injurias vindicarent, ac ſecuritatem Civilem curarent. Quod vero de obvertenda maxilla percutienti, aut de Pallio eripienti relinquendo dicitur, id proprie & ad litteram intelligendum non eſſe ipſius Chriſti & Pauli exempla docent. Senſus itaque eſt, alteram potius ferendam injuriam, quam priorem

rem ulciſcendam. Nec Matth. XIX. 4, 5. divortium a Moſe permiſſum vetat; ſed docet id nunquam licitum fuiſſe, quamvis ob *σκληροκαρδίαν* conceſſum.

12. *Dilectionem Proximi*, quæ ſub Lege reſtricta fuerit, ad ejuſdem fœderis & religionis homines, dicunt a Chriſto latius extenſam, ad omnes homines in univerſum, etiam *inimicos*. Sed negatur, ſub Lege *proximum* tantum fuiſſe Judæum & popularem. Nam Exod. XI. 2. Ægyptius Iſraëlitæ proximus, & Philiſtæi, Jud. XIV. 20. Immo Levit. XIX. 17, 18. illi, qui nos læſerunt, *proximi* diligendi appellantur. Conf. Exod. XXIII. 4, 5.

13. *Charitas* vocatur quidem *Præceptum novum* Joh. XIII. 34. item *Lex Chriſti* Gal. VI. 1. Sed non eo ſenſu, ac ſi antea non exſtitiſſet, ſed quod illa Lex a Judæis obliterata, per Chriſtum eſſet renovata, priſtino ſuo nitori reſtituta, ac novis rationibus confirmata. Nec inveniuntur *additiones* ad Legem factæ; ex. gr. *Neceſſitas orandi*, & in ſpecie *Oratio Domin.* Nam illa continetur Præcepto, quod jubet Deum colere & adorare. Nec adoratio Chriſti, aut Fides in Chriſtum novæ ſunt; quum Promiſſiones de Meſſia, ac certa de ejus Divinitate perſuaſio antiqua ſit, prout alibi probatum. Et ſic de aliis.

14. Non recte itaque Chriſtus *novus* appellatur *Legiſlator*. Quamvis enim Hebr. II. 1-3. comparetur cum Moſe, id non ſit ratione Legiſlationis, ſed dignitatis, qua Chriſtus Moſe lon-

longiſſime præferendus, quamvis nullas novas Leges tulerit, ſed tantum Leges Moſis confirmaverit ac illuſtraverit. Unde & certa ratione Chriſtus Moſi opponitur, non ob contrarietatem, ſed diverſitatem modi in docendo adhibiti, Joh. I. 17.

Vid. de his uberius agentem *Spanhemium*, Dub. Evang. P. 3. Dub. CXVIII. ſeq.

CAP. XIII. *De Uſu Legis Moralis.*

1. *Uſus* Legis Moralis primus & generalis eſt, ut ſit Norma agendorum & omittendorum ab unoquoque, cui vel per naturam, vel per Revelationem innoteſcit: ita ut nullum Opus vere bonum ſit, niſi ad hanc Normam exactum; nullum etiam Peccatum, niſi huic adverſetur. Itaque ea, quæ in hac Lege nec jubentur, nec vetantur, merito ἀδιάφορα, ſ. indifferentia habentur.

2. Cumque Deus jam in Statu Innocentiæ hominib. Legem dederit, nec modo Naturalem atque univerſalem; ſed etiam poſitivam; eique addiderit Comminationem Mortis, Gen. II. 17. apparet hanc Legem itidem fuiſſe Normam faciendorum & fugiendorum. Appellatur itaque Obedientia perfecta, huic Legi præſtanda, *Conditio Fœderis Operum*, & *Medium* conſequendæ æternæ Felicitatis, ita ut alio opus non eſſet habiturus, niſi in Peccatum prolapſus fuiſſet.

3. Poſt-

3. Poſtquam vero iſtud factum, & homo non tantum Damnationis reus; ſed & omni modo pravus factus eſt, Legis cœpit eſſe paullo alia ratio. Cumque ſiverit *Gentes ceteras ſuis viis ambulare*, Act. XIV. 16. peculiare Fœdus cum Iſraële inivit Deus, cujus conditio fuit iterum *Obedientia* Legib. omnibus, præcipue moralib. præſtanda; ita tamen, ut reſipiſcentib. per figurales ſ. typicas expiationes ac Sacrificia remiſſio peccatorum atque gratia promitteretur. Quamvis ergo requireretur Legis obedientia; non tamen ſpes facta eſt, fore, ut eam perfectam præſtare poſſent. Itaque vel ſola illa Legis pars, quæ *ritualis* dicitur, *Jugum* ab Apoſtolis dicitur, quod *neque ipſi nec Patres ipſorum ferre potuerint*, Act. XV. 10.

4. Hinc intelligitur Sententia Apoſtoli, Gal. III. 18. *Non ex Lege eſſe hæreditatem, ſed ex promiſſione*; i. e. non vi Legis & obedientiæ hominem ſervari, ſed per gratuitam Dei benignitatem. Et ℣. 19. *Legem transgreſſionum cauſſa promiſſioni jam antea factæ additam*; ut ſcilicet demonſtrans, quales eſſe deberent homines, coargueret eos peccati, & indignitatis: ac propterea doceret eos, omnem Salutis ſpem in Promiſſione Meſſiæ collocare. Sic ergo *per Legem eſt cognitio peccati*, Rom. III. 20. nec male Reformatores Eccleſiæ illam inſtar *ſpeculi* conſiderandam, ut noſtra agnoſcatur deformitas, docuerunt.

5. Ne-

5. Neque tamen amiſit Lex illam rationem *Normæ*, quam ſua natura habere debuit, in vita hominis conſtituenda. Cum enim Minis graviſſimis ſancita ſit, habebat vim coërcendi homines; quib. ſi carerent, aut eas ſpernerent, in omnem licentiam prolaberentur. Conf. Rom. V. 13. & 1 Tim. I. 9. Ex eo ſequitur, quod Peccatorem minis ſuis terreat, atque ad reſipiſcentiam ac quærendam Dei Gratiam excitet. Propterea dicitur *Miniſterium Mortis* & *Condemnationis* 2 Cor. III. 7. 9. quam ſi homo effugere voluerit, Evangelium, quod *Miniſterium Spiritus* appellatur, amplecti debet. Hinc & appellatur *Pædagogus noſter ad Chriſtum*, Gal. III. 24.

6. Potiſſimum vero hoc quæritur, an iſti uſus Legis adhuc ſub N. T. ſubſiſtant? Nam de iſto poſtremo ſtatuunt nonnulli, *Legem* non amplius eſſe Pædagogum noſtrum ad Chriſtum, propterea, quod minis Legis eos terreri non conveniat, qui ſe ſciunt a terrorib. Legis liberatos eſſe. Sed notandum 1. Legem Pædagogum ad Chriſtum eſſe non modo ob terrores, ſed & ob convictionem de Peccato, quæ Converſionem hominis neceſſario præcedit. 2. Ipſos illos terrores, quamvis ex Comminationib. in Evang. relatis deducuntur, non tamen eſſe proprie ex Evangelio, quod eſt doctrina Gratiæ; ſed ex Lege, quæ eſt Miniſterium Condemnationis (†),

(†) Pa-

(†) Patet ergo, quod Gal. III. 25. dicimur *non amplius eſſe ſub Pædagogo;* intelligendum eſſe de modo, quo fideles V. T. ad Chr. ducebantur, quem nonniſi in figuris videbant, quum nos ipſum in Evang. aperte demonſtratum habeamus. *Poſtq. venit fides;* i. e. poſtquam facti ſumus fideles. Qui fidelis eſt, non opus habet Pædagogo ad fidem.

7. Etiam de *Uſu normali* ſ. *directivo* certum eſt, illum apud Chriſtianos non prorſus eſſe ſublatum. Nam quod *Anabaptiſtæ*, & cum illis alii, exiſtimant, univerſum V. T. ſublatum eſſe, ac ad Fideles N. T. non pertinere; illud omnino falſum eſt. Eſt & illud Canon fidei & vitæ, nec minus Religio Chriſti in Libris Moſis & Prophetarum continetur, quam in N. T. quamvis iu hoc longe clarius ac efficacius promulgetur.

8. Ipſe etiam Chriſtus & Apoſtoli nos ad V. T. ſæpe remittunt. Luc. XVI. 29. non Judæis tantum, ſed omnib. dicitur, *ut Moſen & Prophetas audiant.* Quodſi Chriſtiani id facere non deberent, oporteret, ut alicubi id moneretūr, aut indicaretur, Moſis & Prophetarum Scripta Evangelio contraria eſſe; quod tamen nusquam dicitur.

9. Petrus 2 Ep. I. 19. non Judæos ad *propheticum Sermonem* remittit, ſed Chriſtianos, apud quos Chriſtus jam notus. Neque eo ſecius ad illum attendere debent, usque ad tempus plenæ illuminationis & conſummationis in Cœlo. Porro Eccleſia N. T. ſuperſtruitur fundamento *Prophetarum & Apoſtolorum,*

rum, Eph. II. 20. ubi certe non N. ſed V.T. Prophetæ innuuntur, qui a Chriſto & App. toties allegantur. Quidni ergo diligenter legi & expendi debent?

10. Canon V. T. ſufficiens eſt ad Salutem, 2 Tim. III. 15, 16. Nam in eo ſolo inſtitutus ab incunabulis erat Timotheus. Hinc Chriſtus Judæos ad Scripturas V. T. remittit, Joh. V. 39. & eadem, quoad ſubſtantiam eſt doctrina Moſis & Prophetarum, cum doctrina App. Act. XXVI. 22. Nec poſſumus aliunde Judæis demonſtrare, Jeſum eſſe Meſſiam, niſi ex V. T. Unde colligitur ejus Lectionem & Studium Chriſtianis æque eſſe neceſſarium.

11. Neque certe dici poteſt, Legem per Chriſtum eſſe abrogatam. Contrarium intelligitur ex Matth. V. 17. Matth. XXII. 36, 37. 1 Joh. II. 7, 8. Rom. III. 31. Obj. Evangelium eſt Lex Chriſtianorum, Rom. VIII. 2. Jac. II. 8. 12. ℞. In priore Loco *Lex Spiritus vitæ*, non eſt Evangelium; ſed efficacia Spiritus S. quæ obſtat *Legi peccati & mortis*, i. e. efficaciæ corruptionis nobis inhærentis. Conf. Cap. VII. 23. In altero Loco Evangelium *Lex* appellatur non ſtricto, ſed latiore ſenſu, quatenus ea eſt Doctrina ad Salutem hominem perducens.

12. Obj. 2. ex Rom. VI. 14. *Non ſumus ſub Lege, ſed ſub Gratia.* ℞. Lex, quatenus opponitur Gratiæ ſ. Evangelio, notat rigidam perfectæ obedientiæ exactionem, & terribilem,

lem, quam intentat peccatorib. maledictionem. Ab hac liberavit nos Chriſtus. Non tamen licentiam nobis peccandi comparavit. Nam quod præcipitur Tit II. 12. nihil eſt aliud, quam Vitam ad Legis præcepta conformare.

13 *Qui ſpiritu ducuntur; non ſunt ſub Lege* Gal. V. 18. Nam ad Sanctitatem non coacti terrore ac minis Legis, ſed ſponte feruntur; nec tamen Lex deſinit eſſe Norma recti & pravi. Spiritus ad hoc impellit, ut Legis præſcriptum ſequamur. Lex vocatur *Littera occidens* 2 Cor. III. 6. ſ. Anabaptiſtæ vulgo omnem Scripturam appellant *Litteram mortuam*, ſed falſo. Nam de *Lege* tantum id dicitur, nec quod ſit mortua, ſed *occidens*: quoniam terret peccatorem, & mortem denuntiat. Evangelium vero per Gratiam Chriſti ſpem vitæ adfert. Inde non ſequitur, Legem Chriſtianos non ſpectare, prout *Anomi* vel *Antinomi* ſtatuunt. Qui nondum regeniti ſunt, illi comminationibus Legis terrentur. Qui ſunt regeniti, ad normam Legis per Spiritum S. diriguntur.

14. *Libertatem* potiſſimum *Chriſtianam* objiciunt, quam dicunt in eo poſitam, ut homo regenitus nullis Legib. obnoxius ſit; quippe cum liberum ſequatur Spiritus impetum. Sed abutuntur iſti ſententiis Scripturæ S. in quib. de hac *Libertate* mentio fit. Per illam vel *Status Gloriæ* intelligitur, in quo perfectiſſima erit Filiorum Dei Libertas,

Rom. VIII. 21. Eph. I. 14. vel *Status Gratiæ*, in quo Deus liberavit ſuos onere Servitutis peccati & Ceremoniarum legalium, eosque admittit ad ſpontaneum ſuum Cultum, Rom. VIII. 15. Hebr. X. 19 ſ. & liberum rerum indifferentium uſum, Rom. XIV. 14. ſ. Non habet ergo Libertas Chriſt. liberationem ab obligatione Legis ſ. divinæ ſ. humanæ. Conf. Rom. VI. 18. 1 Petr. II. 16. Gal. V. 18.

15. Sunt tamen variæ res, quib. inferior eſt Lex Evangelio. Nam 1. conſtat Legem non poſſe hominem juſtificare, ſ. liberare a reatu. Nullam illa continebat gratiæ ac remiſſionis promiſſionem. Inſtituta quidem fuerant Sacrificia & varia expiationum genera. Non vero illa vere expiabant peccata; ſed tantum typice repræſentabant Sacrificium Chriſti. Vid. Hebr. X. 1. ſ. 2. Conſtat, Legem non poſſe hominem ſanctificare, ſ. liberare a ſervitute peccati. Idque primo, quia nullam remiſſionis ſpem faciebat. Ubi vero nulla eſt ſpes, ibi nulla eſt voluntatis promtitudo. Dein quia Lex non ſuppeditabat idoneum auxilium ad ſanctificationem. Tandem, quia Lex *per Carnem infirma* reddebatur, Rom. VIII. 3. i. e. Pravitas illa ingenita perpetuo ad Legem violandam inſtigabat.

16. Non tamen negandum eſt, *ſub Lege* fuiſſe jam quosdam juſtificatos, quamvis non *per Legem*. Nam Lex præſcribit per-

perpetuam obedientiam ſine ulla interruptione aut violatione, quam nullus præſtitit. Conf. Gal. III. 21. & Hebr. VII. 18, 19. Itaque obſervandum eſt, fidelib. *ſub Lege* viventib. data fuiſſe etiam *Promiſſa* quædam, quib. ad ſpem gratiæ erigebantur tum per typos, tum per Prophetas Chriſtum annuntiantes, in quem Credentes per fidem & Gratiam, non per Legem ſervabantur.

CAPVT XIV. *De Peccato & Bonis Operibus.*

1. Cum Lex Dei Norma ſit Actionum humanarum, Cap. præced. nec Actionum tantum, ſed & Sermonis ac Cogitationum Cap. XI. conſequitur pravum eſſe, quidquid huic Legi contrait. Hinc *ἀνομία* dicitur eſſe *ἁμαρτία*: *Peccatum* eſſe id omne, quod *Legi non conforme* eſt, 1 Joh. III. 4. & Rom. IV. 15. ubi peccatum *παράβασις τοῦ νόμου*, transgreſſio ſ. violatio Legis dicitur.

2. Non ille tantum violat Legem, qui id facit, loquitur, cogitat, quod Lege eſt vetitum; ſed & is, qui id non agit, quod Lex præcipit. Unde oritur diſtinctio in Peccatum *Commiſſionis* & *Omiſſionis.* Nec minus ille peccat, qui Officium non facit, quam qui facit aliquid officio contrarium.

trarium. Sicut igitur illa incurrunt in Præcepta negantia, ita hæc in affirmantia.

3. Originem Peccati alio loco vidimus. Cauſſam vero unice in hominis Voluntate invenimus, quæ vi ſuæ Libertatis per ea, quæ Intellectui repræſentantur, æque ad mala, quam ad bona determinatur. Videmus in Scriptura Peccatum interdum dici id, quod alia Peccata producit. Illud poſſumus *habituale*, hæc *actualia* appellare, Prius etiam *Originale* vocatur, quoniam ab ipſa Origine ſ. Nativitate homini inhæret.

4. Quamvis *Auguſtinus* nomen *Peccati originalis* primus uſurpaverit, non tamen id extra, aut præter Scripturam omnino feciſſe cenſendus eſt. Nam Rom. VII. ſæpius *Peccatum inhabitans*, ſ. inhærens commemoratur. Sic ℣. 7. Peccatum & concupiſcentia pro eodem habentur, eique ℣. 8, 9. 11. 17. actio attribuitur; neque negatur ab illis, qui Peccatum originale haud admittunt; eſſe in homine inclinationem ad peccandum;. Sed illud *peccatum inhabitans*, de quo Ap. ad Rom. nihil aliud eſſe dicunt, quam peccati habitum longa conſuetudine contractum, quem tamen ſenſum verba minime admittunt. Conf. Cap. XI. §. 6.

5. Ejuſcemodi vero Pravitatem inſitam hominib. eſſe inde ab ipſa Nativitate, perque Peccatum primum ab Adamo patratum

ſum introductam, liquet ex Locis Script. & obſervationibus perpetuæ experientiæ, Loca ſunt Gen. VI. 5. & VIII. 21. Jobi XIV. 4. Pſ. LI. 7. Joh. III. 5, 6. Eph. II. 3. Rom. V. 12. Experientia oſtendit: 1. neceſſitatem moriendi eſſe univerſalem. 2. Eadem oſtendit univerſalitatem vitii in ipſis infantib. ſeſe exſerentis: unde propenſio ad iram, vindictam, mendacium, luxum &c. Iſta non ex imitatione Parentum, ut Pelagianis placuit. Primo enim heic occurrunt potiſſimum actus interni, qui ad imitationem non trahuntur. 2. Imitatio locum habet in eodem peccati genere. Sæpiſſime autem fit, ut Liberi non eidem generi peccatorum; ſed aliis omnib. dediti ſint. 3. Cur improbitatem Parentum potius imitantur Liberi, quam eorundem fidem aut ſanctitatem, niſi quod inſita eſt occulta quædam ad vitium propenſio, cum ipſa Vita incipiens, & cumprimum fieri poteſt, ſeſe exſerens?

6. Si quis malit hoc Vitium appellare nativam quandam Depravationem, quam *Peccatum Originale*, cum eo non magnopere diſceptaverim. Multis enim videtur, nomen *Peccati* actum potius, eumque ſive internum ſ externum, quam habitum & propenſionem, notare. Interim conſtat, quamlibet pravitatem, etiam cum actu ſe nondum exſerit, eſſe *ἀνομίαν*, ſ.

diſcrepantiam a Lege, adeoque Deo gratam eſſe non poſſe, imprimis cum ſit fons & cauſſa omnium ſubſequentium peccatorum.

7. *Peccatum actuale* eſt, quicquid in Actib. externis ac internis a Lege divina diſcrepat. Sunt illius variæ ſpecies: 1. ratione objecti, alia in *Deum*, quæ violant officia Deo immediate debita, & 4. prioribus Præceptis præſcripta: aliud in *Proximum*, quo reliqua violantur præcepta: aliud tandem in *Nos ipſos*, in iisdem Præceptis comprehenſa. Nam illa eſſe proprie ſic dicta peccata, quib. officia nobis tam reſpectu animæ, quam corporis, debita negliguntur tum ex reipſa, tum ex 1 Cor. VI. 18. conſtat.

8. Aliud porro eſt peccatum *Commiſſionis*, aliud *Omiſſionis*, de qua diſtinctione actum §. 2. Aliud eſt peccatum *per ſe*, aliud per *accidens*. Per ſe peccatum eſt, quod in actione prohibita, aut in omiſſione Actus præcepti continetur. Per accidens peccatur, cum id quod in ſe malum non eſt, eo modo peragitur, quo ex bono aut indifferenti in malum convertitur. Iſtud fit cum aut actus indifferens cum aliorum offenſione ſuſcipitur, Rom. XIV. 15. 21. aut actui in ſe bono adſunt vitia, de quib. deinceps.

9. Peccatur partim ex *Ignorantia*, partim cum *ſcientia*. Peccata ignorantiæ non lato ſenſu hic ſumuntur pro illis omnibus

nibus, quæ ex naturali cæcitate proficiſcuntur, & Hebr. IX. 7. *ἀγνοήματα* appellantur; ſed ſtricte pro illis, quæ per ſpecialem ignorantiam, *δι' ἄγνοιαν* fiunt, 1 Tim. I. 13. Non autem heic intelligitur ignorantia plane invincibilis, & involuntaria; ſed illa, qua quis ignorat officium, quod ſcire poterat & debebat. Peccatum cum ſcientia perpetratum illud eſt, quo quis officium haud ignotum violat, idque fit vel poſt deliberationem, quod proprie vocatur *contra Conſcientiam*, & Peccatum *ἑκουσίως* admiſſum Hebr. X. 26. vel in perturbatione animi, ex vehementiore quodam adfectu.

10. Sunt alia Peccata ex *Malitia*, alia ex *Infirmitate* admiſſa. Hinc Num. XV. 30. opponuntur peccata *per errorem*, illis, quæ *elata manu* facta. Priora ad Infirmitatem, poſteriora ad Malitiam ſunt referenda. Ad illam & referenda ſunt Peccata, quæ homo admittit *cum non vult*, Rom. VII. 19. i. e. quæ ipſe non approbat, nec ex animi malitia proficiſcuntur. Eodem pertinent Peccata *ignorantiæ*, quum peccata contra *Conſcientiam* ſint peccata *Malitiæ*.

11. Memoratur etiam Peccatum *Regnans* Rom. VI. 12. cujus reſpectu homo dicitur *ſervus Peccati* Joh. VIII. 34. item *mortuus in Peccato*, Eph. II. 1. cum ſcilicet homo Peccato ita deditus eſt, ut induerit peccandi habitum, ſeu in univerſum, ſeu in certo quodam genere. Huic nonnulli Peccatum *habitans* opponunt,

quod admittitur quidem aliquando, ſed rarius, nec ſine mentis reluctatione. Præſtat vero iſtud *non regnans* appellare, ne cum inhærente ſ. inſita pravitate confundatur.

12. Eſt Pontificiis uſitata diſtinctio Peccatorum in *Venialia* & *Mortalia*. Hanc confirmarunt Patres Tridentini Seſſ. XIV. c. 5. *Mortalia* illis dicuntur, quæ hominem plane avertunt a Deo, & quibus pœna debetur æterna, quæ adeo comparantur vulneribus lethiferis, quæ vitam ſtatim exſtinguunt. *Venialia* vero dicunt, ex ſe & ſua natura tam eſſe levia & minuta, ut non valeant aliquem privare gratia divina, aut pœna æterna dignum facere.

13. Nos vero fatemur quidem, non omnia Peccata eſſe æqualia; fatemur etiam reſpectu eventus quædam Peccata eſſe *venialia*, quæ ſcil. actu remittuntur; alia vero *mortalia*; illa ſcil. in quibus homo ſine Reſipiſcentia moritur: Sed negamus, quædam Peccata eſſe, quæ non ex ſe & ſua natura mortem æternam mereantur. Statuimus ergo: nullum eſſe peccatum, quod non reſipiſcentibus remittatur, nullumque eſſe, quod in eo perſiſtentibus æternum exitium non adferat. Sic ergo illis omnia *venialia*, his omnia *mortalia* ſunt.

14. Prius conſtat ex Promiſſionibus divinis & Amplitudine Meriti Chriſti. Poſterius ex Rom. VI. 23. Galat. III. 10. Jac. II. 10. Matth. XII. 36. Accedit ratio; quod omne Peccatum impingat in ſummam illam Dei Ma-

Majeſtatem, quam ita religioſe venerari debemus, ut ne in minimis quidem violemus. Quod vero non omnia peccata hominem actu damnent, id ex gratuita Dei Miſericordia fit, qua reſipiſcentibus condonantur.

15. Obj. 1 Joh. V. 16. ubi memoratur Peccatum *ad Mortem*, i. e. *mortale*; & Peccatum *non ad mortem*, i. e. *veniale*. ℞. Communiter Theologi noſtri id referunt ad *Peccatum in Sp. S.* quod *irremiſſibile* eſt. Sed rectius alii illud peccatum interpretantur, quod Deus decrevit *morte temporali* punire, quia ſcilicet Eccleſiæ primis illis temporibus deerant Magiſtratus & Judices, ut ita ipſe eorum partes impleret. Nihil ergo hæc ad Pontificiorum diſtinctionem faciunt.

Vid. *Werenfelſ.* Opuſc. in Cogit. ad quæd. Loca Script. S.

16. Matth. V. 22, 23. non declarantur quædam peccata *venialia*, alia *mortalia*; ſed tantum alia aliis graviora, atque ita graviorem pœnam merentia, nullum vero, quod non pœna dignum ſit. Placet *Bezæ* adnotatio brevior: *Quatuor erant ſuppliciorum genera Hebræis uſitata, antequam Politia ab Herode everteretur, ſtrangulatio, gladius, lapidatio, ignis. Huc reſpexit Chriſtus, quia ignis ſummum erat ſupplicium. Quod ergo mentionem facit Judicii, Conſeſſus & Gehennæ, oſtendit peccata alia aliis graviora eſſe; ſed omnia eſſe ejusmodi, ut coram Deo graves pœnas mereantur.*

17. Quæſtio difficilis & intricata, de *Peccato in Sp. S.* de quo Matth. XII. 31, 32. & Marc. III. 29. quod *irremiſſibile* eſſe ab ipſo Domino declaratur, tractata jam eſt Cap. IV. §. 31, 32.

18. Peccata quævis pœnam mereri cum ex divinis comminationibus tum ex peccati natura intelligitur. Comminationes Verbo Dei expreſſæ ſunt, eæque partim hanc, partim alteram Vitam reſpicientes. Natura peccati ea eſt, ut nonniſi infelicem reddere poſſit hominem, a Deo, in quo ſolo omnis Beatitudo conſiſtit, abalienatum. Cumque & Mors temporalis & hujus Vitæ mala ſint veræ Peccati pœnæ; in piis tamen pœnæ rationem amiſerunt, ac mors quidem tranſitus ad Vitam beatam, afflictiones vero, caſtigationes & admonitiones ſalutares fiunt.

19. Aiunt nonnulli Theologi, *Deum nonnunquam peccata peccatis punire.* De eo ſic ſentio: Cum homo natura malus ſit, nec ſine gratiæ divinæ adjumento bene agat; Deum nonnullis, qui in peccando contumaces ſunt, illud adjumentum denegare, quo fiat, ut indies pejores fiant. Idque eſt, quod Chriſtus indicat, cum docet, *habenti dari, ab eo qui non habet*, i. e. qui acceptis Dei beneficiis ad recte vivendum non utitur, *auferri & id quod habet*, Matth. XIII. 12. & Paullus: *immitti quibusdam efficaciam erroris, ut credant mendacio*, 2 Theſſ. II. 11. Idque fit ideo, ut tanto magis ſolliciti ſimus de officio faciendo.

20. Peccatis oppoſita ſunt *Bona Opera*, quorum conſtans & perpetuum ſtudium *ſanctitas* & *ſanctificatio* appellatur. Eſt ſanctificatio primum quidem *Beneficium* Sp. S. qui nos *ſanctificare* dicitur, Eph. V. 26. 1 Theſſ. V. 23. Dein ſanctificatio eſt hominis *Officium*, ad quod excitatur 1 Petr. I. 15, 16.

21. *Bona opera* illa ſunt, quæ ſecundum Legem Dei, ductu Conſcientiæ, ad gloriam Dei fiunt. Inde intelligitur, quænam & qualia ſint bona opera. Requiritur 1 ut ſint conformia Legi divinæ. Cumque Lex, ut vidimus, non externam modo ac civilem honeſtatem requirat, apparet, quod non externa tantum, ſed interna & vera cum Lege conformitas intelligatur, atque ſic Lex Dei non *κατὰ τὸ ῥητὸν*, *ſecundum verba*; ſed ſecundum ſenſum, a Chriſto & Apoſtolis maxime declaratum, ſit accipienda.

22. Quemadmodum ergo cogitando, loquendo, & agendo peccatur; ita & *Bonum opus*, cogitando, loquendo & agendo fit. Hoc autem proprium habet, quod unice in faciendis iis, quæ præcepta ſunt, conſiſtit, non in omittendis, quæ ſunt vetita. Quamvis peccet, qui agit omittenda; non tamen bonum opus facit, qui ſolummodo omittenda omittit.

23. Inde porro conſequitur bona opera non eſſe, quæ unice vi humanarum Legum fiunt. Qui Leges civiles obſervat, bonus eſt Civis. Non abſolvit tamen Officium hominis Chriſtiani, niſi divinæ Legis præcepta maxime ſequatur. Eſt tamen hæc pars illius officii.

Qui

Qui vero hominum aliorum Præcepta obſervat, maxime talia, quæ ad Religionem pertinere dicuntur; ſed nullis Dei Præceptis nituntur, ille nihil boni facit, cum ipſe Dominus dicat, fruſtra ſe coli, cum nil, niſi ἐνταλματα ἀνθρώπων, *mandata hominum*, docetur, Matth. XV. 7. 9. Eſaj. XXIX. 13.

24. Debent porro *bona Opera* ductu *Conſcientiæ* fieri. Iſta eſt Judicium Mentis noſtræ de propriarum Actionum bonitate aut pravitate (*a*). Id judicium vel rectum eſt vel erroneum; unde & Conſcientia vel *recta* eſt vel *erronea*: Illa, cum de Officio ita judicat, ut Legi divinæ convenit; hæc cum id bonum judicat eſſe, quod malum aut indifferens eſt, & viciſſim cum malum ſ. illicitum judicat, quod vel præceptum, vel non vetitum eſt. Qui ergo ductum iſtum Conſcientiæ in agendo ſequitur, ille bene agit; qui id, quod ei contrarium eſt, peccat.

(*a*) Conſcientia hoc ſenſu accipitur 1 Cor. X. 27, 28.

25. Cum vero errat Conſcientia, ac homo errorem in agendo ſequitur, peccatum vel gravius eſt, vel levius, prout error vel magis vel minus voluntarius eſt. Omnis error de Officio voluntarius eſt, qui adhibito Studio evitari poterat. Hominis enim primum officium eſt, ut diſcat, quid ipſi pro ratione conditionis aut agendum aut fugiendum ſit. Nec deeſt homini facultas diſcendi, ſive naturalem Legem, quæ omnibus po-

ſita eſt, ſive revelatam, quæ Chriſtianis, ſpectemus.

26. Eſt hoc errantis Conſcientiæ Privilegium, ut non ab hominibus ſeu in Foro humano; ſed a Deo ſeu in Foro divino judicetur. Soli enim Deo innoteſcit, qualis ſit Conſcientiæ humanæ Status. Hinc colligitur, ſolum Deum in Conſcientias imperium obtinere, atque adeo ſolum præſcribere poſſe, quid pro vero & recto credendum ſit. Excipio illa, quibus externa hominum aliorum, aut univerſæ Societatis ſecuritas perturbatur. Qui ex errore talia admittit, ille & a Summo Imperante coërceri poteſt ac debet, ita tamen, ut minus grave delictum cenſeatur, quod ex errore, quam quod ex malitia admiſſum eſt.

27. Qui *contra Conſcientiam*, etiam *errantem*, agit, ille peccat. Agit enim quod illicitum judicat, aut omittit, quod ſibi cenſet præceptum eſſe. Qui ergo Conſcientiam ſpernit Legem divinam ſpernit, quoniam id quod pro Lege habet, violat. Ubi tamen error eſt penitus involuntarius, etiam vacat culpa actio, quæ ex tali errore ſuſcipitur. Tales ſunt plerumque errores in caſibus perplexis ac dubiis, ubi ipſi inter ſe Doctores Legis diſſentiunt, quemadmodum de *mendacio officioſo, aut innoxio* fit. Vid. Cap. IX.

28. Cum nobis ipſis dubium videtur officium, oportet cum Judicio etiam Actionem

nem ſuſpendere. Ea dicitur *Conſcientia dubitans.* Omittendo actionem, de qua dubitamus, utrum præcepta, an non præcepta ſit, non peccatur, niſi cum iſta dubitatio ex voluntaria eſt ignorantia. Cum vero dubitamus, ſitne aliquid vetitum, necne; peccatur, ſi agamus, quoniam in peccandi periculum conjicimur, quod contemtum Dei prodit. Nam licitum omittendo nunquam peccatur; ſed illicitum agendo. Idque eſt, quod Ap. docet Rom. XIV. 23. ubi de uſu Cibi liciti agit: *Qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non ex fide. Quicquid vero ex fide non eſt, peccatum eſt.*

29. A Conſcientia *dubia* differt *ſcrupuloſa*, quatenus illa rationibus haud contemnendis ab utraque parte urgetur; hæc nonniſi levioribus de cauſſis formidinem animo injicit, ne id, quod proponitur agendum, ſit illicitum. Ea 1 Cor. VIII. 7. 10. 12. ἀσθενής, ſeu ἀσθενοῦσα, *infirma* appellatur. Talis eſt eorum hæſitatio, qui ob malas Cogitationes ſubinde orientes, precari dubitant; aut eorum, qui cum nullum in ſe aut aliis putant deprehendi fructum publicorum Religionis exercitiorum, iis ſibi abſtinendum cenſent; aut denique, ut alios omittamus, qui ſua indignitate ſe a S. Euchariſtia arceri credunt.

30. Quær. quid talibus ſuadendum? ℞. 1. Orandus Deus eſt, ut tales Scrupulos eximat. 2. Conſulendi pii ac periti Eccle-

ſiæ

ſiæ Miniſtri, qui nos rectius ex Verbo Dei edoceant, Oriuntur enim illi Scrupuli ex aliqua ignoratione, aut ex errore, qui nonniſi accuratiore inſtitutione auffertur. Sunt &, qui ex Corporis aliquo vitio auſteriores ſunt, quam par eſt, in quibus ferenda potius, quam ſeverius exagitanda hæc ſunt. 3. Ubi conſtat aliquid a Deo præceptum eſſe, ſed ambigitur, num id ita, ut decet, peragere liceat; præſtat agere, quod præceptum eſt. Sperandum enim Deum O. M. noſtræ infirmitati veniam eſſe daturum. Nec difficile eſt, hæc Caſibus adlatis, ſimilibusque applicare.

31. *Conſcientia* porro notat *Statum* aliquem animi humani, qui ex Actionibus noſtris & judicio de illis noſtro exoritur. De tali Conſcientia agitur Rom. II. 15. Alia vero eſt *bona*, alia *mala*. Illa laudatur 1.Tim. I. 5. 19. & III. 9. hæc memoratur Hebr. X. 2. 22. Eſt *bona Conſcientia*, cum judicat mens noſtra, illa, quæ egimus, bona eſſe, ac mala a nobis vitata. *Mala* nos arguit contrariorum. Hinc & *Judicis* & *Teſtis* locum obtinet Conſcientia, ſicque ad judicium & teſtimonium ejus paſſim provocatur. Vid. Act. XXIII. 1. XXIV. 16. Rom. IX. 1. &c.

32. Duplex ergo eſt Conſcientiæ munus, aliud ante factum, aliud poſt factum. Prius ad Vitæ noſtræ in futurum directionem, alterum ad præteritæ examen pertinet. Neutrum negligitur ab iis, quibus ſalus cordi eſt. Imprimis illa recognitio noſtræ vitæ Examen

ſui

ſui ipſius conſtituit, ſeu δοκιμασίαν, & πειρασμόν, de quo 1 Cor. XI. 28. & 2 Cor. XIII. 5. Oritur ex cura Deo placendi, ac metu ei diſplicendi. Occaſionem præbet potiſſimum divinum aliquod judicium aut immiſſa adflictio, quæ hominem etiam ſuæ ſalutis negligentem aliquando ad viarum ſuarum conſiderationem reducit.

33. Eſt illud *Conſcientiæ examen* principium reſipiſcentiæ, quoniam ſine eo non datur peccatorum agnitio. Illo neglecto naſcitur perſeverantia & induratio in peccatis, conjuncta cum inani præſumtione de bono ſtatu, Apoc. III. 17. Quamvis improbi haud libenter ad animum ſuum redeant, ſæpius tamen inviti eo compelluntur, dum Conſcientia eos *accuſat* & *condemnat*; id conſequitur nonnunquam ſtatim poſt factum in piis potiſſimum, ut in Devide 2 Sam. XXIV. 10. immo vero & in ipſo facto 1 Sam. XXIV. 6. Sæpius poſt factum interpoſito ſpatio, ut in Juda Matth. XXVII. 3. aliquando etiam poſt ſat longum intervallum, ut in fratribus Joſephi Gen. XLII. 21, 22.

34. Ex hac Conſcientiæ condemnatione oritur 1. Pudor Rom. VI. 21. 2. Mœror vel triſtitia Cordis, quæ & *Compunctio* dicitur, Act. II. 37. 3. Timor, Gen. III. 10. Apoc. VI. 16. 4. Angor ac tandem Deſperatio, Marc. IX. 44. Hebr. X. 26. Bonæ Conſcientiæ actus ſunt excuſatio, abſolutio & approbatio: indeque oritur tranquillitas & gaudium 2 Cor. I. 12.

item-

itemque in Dei benignitate acquieſcens fiducia.

Hæc pluribus exponentem vide inſtar omnium *Ameſium* de Conſcientia & Caſibus Conſc.

35. Tertium boni Operis requiſitum eſt Studium ac intentio, *gloriam Dei* per id promovendi. Eam intentionem neceſſariam eſſe liquet ex eo, quod omne officium noſtrum ex amore in Deum profluere debet. Quod alio ſcopo peragitur, quam ut gloriam Dei promoveamus, id non ex amore Dei proficiſcitur. Defectus ergo hujus intentionis actionem in ceteris Legi conformem ac Conſcientiæ ductu ſuſceptam corrumpit.

36. Neque tamen *ſola intentio* actionem bonam facit, cui cetera requiſita non adſunt. Talia ſunt, quæ apud Pontif. *Bona Opera* dicuntur, nec fiunt Deo jubente, quæ proinde ab Ap. nomine ἐθελοθρησκείας, *Cultus voluntarii*, ſ. ut Vulg. reddit, *Superſtitionis*, damnantur Coloſſ. II. 23. In Sacris præterea, quæ Deus juſſit, nihil eſt admittendum, Deut XII. 32. Num. XV. 28. Eſaj. I. 12. XXIX. 13. Bona intentio peſſimis quibusque rebus obtendi poteſt, nec deſinunt illæ eſſe peſſimæ Joh. XVI. 2.

37. Quæ autem *Opera* ſunt prædita tribus illis attributis, illa ſunt *vere bona*, ac Deo placent, quamvis illis nonnullæ ſint imperfectiones admixtæ. Hæ imperfectiones gradum magis bonitatis, quam ipſam eſſentiam concernunt. Itaque non ſatis caute Myſtici quidam,

opera etiam optima noſtra nihil eſſe niſi peccata ajunt. Sic enim omnis Sanctificatio evertitur, quæ utcunque imperfecta ſit, non tamen hypocritica, ſed vera ac ſincera eſſe poteſt.

38. *Imperfectam* Sanctificationem fidelium in hac vita eſſe, docet Scriptura & experientia. Fuit hic olim error *Pelagianorum*, ut Auguſt. loquitur; *Vitam juſtorum in hoc Sæculo nullum habere peccatum.* Similem fovent ſententiam *Pontificii*; item *Anabapt.* & *Sociniani*, Perfectionem Evang. laudantes. Nos vero non negamus, aut neceſſitatem aut poſſibilitatem Perfectionis Evang. Sed negamus illam conſiſtere in plena ἀναμαρτησία, ſ. immunitate a Peccato; cum potius Evangelica Perfectio ſit illa, qua fidelis ſincere & corde non fucato ſervit Deo. Ea Jobo tribuitur c. I. 1. & Ezechiæ Eſaj. XXXVIII. 3. Ea & appellatur *Perfectio partium*, qua totus homo Deo dicatur, & omnem Dei Voluntatem amplectitur 1 Theſſ. V. 23. Luc. I. 6. Dicuntur & nonnunquam fideles N. T. perfecti, comparate ad fideles V. T. 1 Cor. II. 6. aut reſpectu aliorum, qui nondum tantos in ſanctificatione progreſſus fecerunt, Philipp. III. 15. Hebr. V. 13, 14.

39. Negamus ergo, ullum hominem *abſolute perfectum* unquam fuiſſe & eſſe poſſe, ita ut penitus ſine peccato dici poſſit, ſaltem mortali aut gravi aliquo, ita ut regenitis adnumerandus non ſit, qui poſt reſipiſcentiam primam in aliquod ejus generis inciderit.

Multo

Multo minus admittimus Pontificiorum *Opera Supererogationis*, quibus homo plus facit, quam debet. Imperfectionem autem iſtam non imputamus infirmitati Gratiæ divinæ, ſed peccati etiam in regenitis hærentis reliquiis. Vid. 1 Joh. I. 8. Jac. III. 2. Idem patet ex Lucta Carnis & Spiritus, quæ nonniſi cum hac Vita deſinit; de qua Gal. V. 17. & Rom. VII. 14. fin.

40. Negant Sociniani & Arminiani in hoc Loco agi de homine regenito. Sed 1. Paulus de ſe loquitur, qui tum certe non erat irregenitus. 2. loquitur de homine, qui *vult bonum & odit malum*, quod in irregenitum non cadit. 3. agitur de eo, qui *conſentit Legi, quoad internum hominem*. Quis ſit homo internus docetur Epheſ. III. 16. 2 Cor. IV. 16. Objicitur ℣. 15. ubi ſe vocat *carnalem & venditum ſub peccato*; ſed hoc non de Servitute peccati intelligendum. Nam intelligit ſolummodo victoriam ejus in certis caſibus, quibus Spiritus Carni ſuccumbit. Nec obſtat, quod dicitur Peccatum in eo *habitare*. Nam id ℣. 18. determinatur ad *Carnem*, quæ ipſam hominis naturam, quatenus Gratiæ opponitur, deſignat. Idem intelligimus ex eo, quod in Orat. Domin. docemur quotidie petere Remiſſionem peccatorum, qua non indigeremus, niſi & reginitis nævi adhærerent. Tacemus exempla Sanctorum, qui tamen peccatis gravioribus non caruerunt.

41. Obj. *Jugum Chriſti leve* eſſe, Matth. XI. 30. *Mandata Dei non eſſe gravia*, 1 Joh. V. 3.

Sed hæc dicuntur reſpectu obedientiæ & perfectionis Evang. non legalis. Quamvis enim nec impoſſibile nec moleſtum regenito ſit opus Sanctificationis, non tamen ſequitur, id ad abſolutam perfectionem in hac vita perduci. Quod Dominus Matth. V. 48. Perfectionem a ſuis exigit, id primum de perfectione Evang. non Legali; dein potiſſimum de Studio indeſinente intelligitur. Quod 1 Joh. III. 9. negatur regenitos peccare, aut peccare poſſe, id de peccato deliberatæ malitiæ aut de habitu peccandi intelligendum ex 1 Joh. I. 8. patet. Id in Regenitos non cadere certum eſt.

42. *Neceſſaria* eſſe bona Opera non opus eſſet probare, niſi eſſent, quibus nulla omnino Religio neceſſaria videtur, quales ſunt Athei & Epicurei. Præter hos tamen & alii ſunt, qui ex Doctrina Proteſtantium de *Juſtificatione gratuita*, colligere ſibi poſſe videntur, ea neceſſaria non eſſe. Fuerunt & Sæc. XVI. Theologi quidam Proteſtantis Eccleſiæ, qui verbis negarent, Bona Opera ad Salutem eſſe neceſſaria, quoniam periculum illis videbatur eſſe, ne illa ſententia aliquod operibus meritum tribueret. Sed nullam eſſe conſequentiam, quæ ſeu a Juſtificatione gratuita contra neceſſitatem Bonorum Opp. ſeu ab hac ad Meritum concludit, facile demonſtratur (*a*).

(*a*) Nihilo ſecius *Buddeus* maluit ſcribere bona opera

opera eſſe neceſſaria *ſalvandis*, quam *ad Salutem*. Vid. Theol. dogm. Tom. 2. p. 1412. Scripta vero *G. Majoris* & adverſariorum vid. apud *Walch*. Bibl. Theol. T. 2. p. 617. ſ.

43. Athei & Epicurei ipſo Naturæ Lumine refutantur. Ceteri tum ex Dei Præceptis, tum ex Fœderis Gratiæ natura, porro ex natura Fidei, quæ ſine Operibus *mortua* eſt, atque ex indole Juſtificationis ac Regenerationis, prout a noſtris Eccleſiis conſtanter tradita eſt, & a nobis jam pertractata, diſcere meliora poſſunt.

44. Neceſſitas itaque eſt 1. Obligationis, qua Deo & Servatori noſtro multis modis ſumus obſtricti. 2. Præcepti, quo Deus mandat. 3. Medii, quatenus *ſine Sanctificatione impoſſibile eſt Deo placere* Hebr. XII. 14. Nec ideo Fideles Legi ſubjiciuntur. Non ſola Lex Moſis; ſed & Evangelium illa præſcribit, Jac. II. 12. Rom. III. 27.

45. Ultima ſupereſt Quæſtio de *Merito Operum*. Id vero *Meritum* vario modo accipitur. Patres nonnunquam merendi vocabulo improprie uſi ſunt pro eo, quod accuratius dicitur conſequi, ſ. aptum idoneumque fieri ad conſequendum. Sic *Cyprianus* id quod Paulus dicit 1 Tim. I. 13. ἠλεήθην, *miſericordiam conſecutus ſum*; vertit, *miſericordiam merui*; Ep. ad Jubajan. Scholaſtici deinceps dicere cœperunt, homi-

nes ſuis Operibus proprie mereri vitam æternam, & bona Opera eſſe meritoria, non ſolum ex pacto; ſed etiam ratione ipſius operis.

46. Sunt tamen, qui Meritum definiunt *Opus imputabile ad laudem*, ſ. laude dignum. Talia eſſe omnia opera bona fatemur, nec ulli unquam id negare in mentem venit. Aliter vero res ſe habet, cum meritum dicitur id, *cui debetur aliqua merces.* Talia enim Bona Opera eſſe negamus, idque ideo, quod requiſita Meriti ejusmodi proprie dicti in illis haud inveniantur.

47. Sunt quinque requiſita talis Meriti. I. ut opus non ſit debitum. Iſtud enim faciendo non meremur, ſed ſatisfacimus Luc. XVII. 10. II. ut ſit totum noſtrum, ex propriis, non alienis, facultatibus præſtitum, prout opera bona Dei ope peraguntur. III. Ut ſit perfectum, & omnibus numeris abſolutum, ut omni nævo careat. IV. Ut ſit æquale ſ. proportionatum præmio. V. Ut præmium tali operi ex juſtitia debeatur. Nihil horum omnium, nedum cuncta, in Operibus Bonis reperiuntur. Itaque mere gratuitum Dei beneficium eſt ſalus Rom. VI. 23. IV. 4. & XI. 6. quæ ex pacto ſ. promiſſione Dei fidelibus datur.

48. Sunt qui exiſtimant hominem fidelem ac regenitum in officio faciendo ne reſpicere qui-

quidem ad remunerationem, ita ut ejus intuitu faciat bona, multo minus ut metu pœnæ a peccatis arceatur. Vocant iſtam obedientiam ſervilem. Sed hi quidem non obſervant, ipſam Scripturam ideo tot promiſſiones & comminationes continere, ut homines ab obedientiam per motiva convenientia impellantur. Qui ergo illis movetur, non continuo ſervile habet ingenium, cum & Filius bonæ indolis ad remunerationem a Patre promiſſam reſpiciat, & reverentia ab eo offendendo deterreatur. Servus autem pravus metu ſolo a gravioribus delictis arcetur, quippe qui metu remoto in vetitum absque pudore prorumpit.

49. Itaque etiamſi ad Dei Gloriam, ut ultimum finem in omnibus reſpicere debeamus, & officiis peragendis amorem & gratum animum erga Deum oſtendere, necnon aliorum & publica præcipue commoda quærere; oportet tamen eo quoque fine virtuti ſtudere, ut propria commoda, ſpiritualia præcipue & æterna, promoveamus.

50 Nec enim negari poteſt, ſtudium Virtutis homini prodeſſe. Cumque Deus ipſe hunc nexum inter Virtutem & præmium ejus conſtituerit, liquet illos ordini divino convenienter agere, qui ad iſtud reſpiciunt. Conf. Matth. XI. 28. 1 Petr. V. 2-4. 2 Tim. II. 12. Coloſſ. III. 3, 4. 1 Tim. IV. 16. &c. His ergo & ſimilibus prius homo ſe & alios continuo excitat, atque in Sanctitatis ſtudio confir-

mat; nec otioſe illa Dei beneficia ſpectat & exſpectat. Qui enim iſtud faciendum docent, illi verum Sanctitatis ſtudium ſufflaminant, & Pietatem ab illa, quam Chriſtus & Apoſtoli commendant, toto cœlo diverſam ſibi fingunt.

Cap. XV. *de Reſipiſcentia.*

1. Cum Lex Dei norma ſit, ad quam vita noſtra & actiones ſint conformandæ, & examinandæ, Cap. XIII. 2-4. Hinc facile cognoſcitur, multis modis unumquemque noſtrum ab illa aberraſſe, atque *peccatorem* factum eſſe, Rom. III. 23. Quia vero Remiſſio Peccatorum non datur, niſi per *Fidem* & *Reſipiſcentiam*, *Theol. Dogm.* Sect. I. C. XVIII. oportet ut de *Reſipiſcentia* agamus, quoniam de *Fide* jam ibid. C. IX. actum fuit.

2. *Reſipiſcentia* eſt Mutatio Animi humani, per quam ille a Peccatis omnibus recedere, atque Virtuti Chriſtianæ unice operam dare conſtituit, atque iſtud conſilium exſequitur. Non eſt ergo in externis ſolummodo poſita, ſed internum hominis ſtatum corrigit, unde Vitæ emendatio deinceps ſequitur.

3. Neceſſitas Reſipiſcentiæ partim ex §. 1. cognoſcitur. Sed, eandem docet Evangelium, quod Μετάνοιαν ac Μεταμέλειαν ubique commendat, tanquam unicam ſalutis ancoram; Vid. Eſaj. XLV. 22. Ezech. XVIII. 32. Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47. Act. III. 19. & alibi ſæpius.

4. Na-

4. Natura ipſius rei idem monſtrat. Nam ſalus æterna hominis obtineri non poteſt, niſi ille Deo placeat. *Sine Fide autem impoſſibile eſt Deo placere*, Hebr. XI. 6. Jam vero *Fides ſine Operibus mortua* eſt, Jac. II. Oportet ergo, ut ſit conjuncta cum Reſipiſcentia; quam propterea ſequitur neceſſariam eſſe.

5. *Mutatio* illa Animi humani, de qua §. 2. non producitur, niſi prius homo *cognoſcat* Miſeriam ſuam. Hæc dicitur, *Cognitio Peccati*, quæ eſt velut initium Reſipiſcentiæ. Peccatum enim eſt id, quod hominem miſerum facit, quia eum a Deo, qui ſummum eſt Bonum, alienat; atque Iræ & Odio ejus exponit. Nemo vero ex Miſeria emergere ſtudebit, niſi ſe miſerum eſſe ſentiat, ac cauſſam ejus Miſeriæ cognoſcat, ut pateat, quomodo ſit remedium inveniendum.

6. Cognitionem peccati ſequitur id, quod proprie appellatur *Pœnitentia*. Hæc vero conſiſtit in dolore de Peccato, quam interdum vocamus *Contritionem* Matth. XI. 28. Idem Luc. IV. 18. tales dicuntur *συντετριμμένοι τὴν Καρδίαν*, *quorum Cor contritum eſt*. Idem quoque appellatur Dolor ſeu *Triſtitia ſecundum DEUM*, 2 Cor. VII. 10.

7. Ea vero eſt Triſtitia ſecundum Deum, quæ ex vivido ſenſu divinæ oritur Majeſtatis, ita ut pudeat tædeatque nos peccatorum, quibus Ens illud Optimum & Maximum,

mum, Creatorem ac Redemtorem Mundi, offendimus. Oppoſita eſt *Triſtitia ſecundum Mundum*, quæ ex detrimento ſeu famæ ſeu aliorum Bonorum, quod nobis ex Peccatis enatum eſt, oritur. Hæc vero genuinam Pœnitentiam haud conſtituit.

8. Pœnitentiam ſequitur *Confeſſio Peccatorum*, cujus neceſſitatem nemo negaverit. Intelligimus autem Confeſſionem Deo faciendam, de qua Proverb. XXVIII. 13. 1 Joh.I. 9. ſunt tamen & caſus, ubi Confeſſio hominibus facienda ſit. Cum alii noſtris peccatis læſi ſunt; ut reparetur injuria, nonnunquam Confeſſione opus eſt. Sic delictorum confeſſio Magiſtratui facienda. Porro, ubi conſilio ſpirituali opus eſt, Paſtori quisque ſuo aperire ea debet, quibus conſcientia adfligitur.

9. Confeſſioni Deo faciendæ addenda *Deprecatio* culpæ, ac Petitio Remiſſionis propter Chriſtum faciendæ, in quem credendum, & ad quem *Fide* confugiendum Hoc enim modo Venia peccatorum, & Juſtificatio coram Deo impetratur. Vid. *Theol. Dogm.* Sect. I. Cap. XVIII.

10. Addendum eſt ſincerum Conſilium ac Propoſitum *Vitam emendandi.* Nam hac demum Vitæ emendatione abſolvitur opus Converſionis, dum a peccatis recedentes ſanctitatis ſtudium amplectimur. Vid. Eſaj. I. 16, 17. Nam ſine fuga & odio peccati vera Pœnitentia non eſt; ſed quamdiu non

non eſt nobis propoſitum peccatis valedicere tamdiu durat Peccati amor.

11. Hoc vero propoſitum & *ſerium* & *conſtans* & *univerſale* eſſe debet. Serium, non fucatum aut hypocriticum. Conſtans, non fluxum & tranſitorium. Univerſale, quod non parti ſolummodo peccatorum, ſed omnibus valedicat; non partem modo Virtutis, ſed omnem Virtutem amplectatur.

12. Ad genuinam Vitæ emendationem illud quoque requiritur, ut non tantum atrociora, & quæ videntur graviora peccata, fugiamus; ſed & ipſa exuamus vitia, ſeu pravos habitus, quibus antea dediti fuimus. Tales ſunt amor Mundi & carnales concupiſcentiæ, Tit. II. 11, 12. Adde 1 Joh. II. 15.

13. Non eſt itaque *Reſipiſcentia* tale Opus, quod momento peragitur; Nam diſtincte cognoſcitur illius *initium* & *progreſſus*. Initium infirmius eſt, & gravioribus tentationum inſultibus expoſitum. Progreſſus vel majores ſunt vel minores, prout firmior ſanctificatio. Perfectionis ſummus Gradus hujus non eſt, ſed alterius Vitæ.

14. Reſipiſcentia porro varia eſt, pro varietate conditionis, in qua homo ante Converſionem fuit. Si quis a vera Religione prorſus alienus fuerit, tum ab errore pariter & incredulitate ad fidem & veritatem convertitur. Tales illi, quibus prædicavit Chriſtus & Apoſtoli. Qui vero in

vera

vera Religione viventes peccatis inquinantur, illi cum reſipiſcunt, ad illud redeunt Sanctitatis Studium, quod ab initio, cum veræ Religioni nomen darent, jam promiſerant ſe amplexuros eſſe.

15. Reſipiſcentia genuina *fructus* fert, Matth. III. 8. Fructus autem Fidei & Reſipiſcentiæ iidem ſunt, ſcil. *Bona Opera*, de quibus Cap. præced. actum fuit. Sicut enim ex fructibus arbor agnoſcitur, ita ex Operibus bonis Fidei & Reſipiſcentiæ veritas, Matth. VII. 17, 18.

CAP. XVI. *De Motivis ſeu Incitamentis ad Virtutem Chriſtianam.*

1. Ut homines a Vitiis ad Studium Virtutis convertantur, & ad progreſſus in eo faciendos excitentur, opus eſt Rationibus, quæ dum Intellectui repræſentantur, voluntatem impellunt atque movent. Ea dicuntur *Motiva* & *Incitamenta.*

2. Fontes Motivorum ſunt tres. 1. deducuntur ab Honeſto; 2. ab utili; 3. a jùcundo. Primum ab eo oritur, quod homines id, quod glorioſum eſt expetunt. Sic ſecundum ab utilitate; tertium a ſuavitate deſumtum, excitat hominum deſideria & adfectus, qui ſic ad id, quod bonum eſt, convertuntur.

3. Sunt illa petenda ex *S. Scriptura*, tanquam ex Verbo DEI. Rationes deducendæ par-

partim a Relatione hominis, ut *Creaturæ*, ad *Creatorem*; partim, & præcipue, ex peccatoris miſeri relatione ad Redemtorem. Sic ergo non fluunt ſolummodo ab officio, quod imponitur per beneficium Creationis; ſed per id potiſſimum, quod deducitur ex Beneficio Redemtionis. Hæc ſunt, quæ dicuntur, *Motiva Evangelica*, quæ & Evangelicam obedientiam producunt.

4. Quæ vero Motiva ex ſolo Lumine Rationis deducuntur & ex honeſto, utili ac jucundo externo ac politico ſumuntur, illa non *theologica*, ſed *philoſophica* ſunt, nec ad partes Miniſtri Evangelici, ſed Philoſophi moralis pertinent. Non eſt tamen a Miniſtro Evangelii prorſus alienum, ſi etiam iſtis rationibus utatur, dummodo ad captum populi accommodato modo proponantur.

5. Cauſſæ ejus rei ſunt: 1. quod externæ ejuſcemodi rationes haud exiguam apud multos vim habeant: 2. quod populus tales rationes cognoſcendi nullam occaſionem haberet, niſi a Miniſtris interdum proponerentur: 3. quia ipſa Scriptura aliquando tales rationes proponit. Vid. Eph. V. 12.

6. Sic vero *Incitamenta* ad Virtutem ſunt proponenda, ut illorum certitudo ſufficienter ad convictionem Auditorum demonſtretur; id quod fit 1. Rationibus. 2. Auctoritatibus. 3. Objectionum & Præjudiciorum ſolutione. His imprimis diligenter occurrendum; id quod fieri non poteſt, niſi quis ſoli-

ſolidam moralis doctrinæ, & ipſius humani Cordis habeat cognitionem.

7. Primum omnium Incitamentorum ad Virtutem eſt ejus *Neceſſitas*, quippe cum ſine ea nulla detur Salus. Talis eſt hominis Natura, ut Normam aliquam ſuarum Actionum habeat, cui debeat ſe conformare, ſi felicitatem conſequi velit. Talis eſt natura Felicitatis, ut nonniſi in Animi tranquillitate ac pace Conſcientiæ conſiſtere poſſit, quæ ſine Virtutis ſtudio locum non habet.

8. Virtutis Chriſtianæ *pulchritudo* & *præſtantia* præbet alterum incitamentum, Hinc fit, ut etiam illi, qui virtutis ſtudioſi non ſunt, eam in aliis ſuſpiciant. Illa enim ſtatum hominis indies perfectiorem efficit. Quapropter & conſcientiam hominis reddit tranquillam; & Deum pariter ac homines ipſi amicos reddit. Eadem quoque cum Dei Gloria proximi utilitatem promovet, ac eum impellit, ut noſtrum exemplum imitetur.

9. Sic ex oppoſito *Vitia* ſunt *turpia*, & homini prorſus *indecora*. Nam ejus Naturam corrumpunt, ac a prima ſua origine, qua ad DEI Imaginem creatus erat, dejiciunt. Redigunt eum fere in Statum Brutorum. Si homine indigna ſunt, quanto magis Chriſtiano, quem DEVS ad cœleſtem Gloriam vocavit, & ſalutaribus ad hoc præceptis inſtruxit. Per Vitia homo a DEO avertitur, Filius aut ſervus potius Diaboli efficitur, Joh. VIII. 44. 1 Joh. III. 8.

10. Por-

10. Porro a Peccatis maxime abſterrere nos debet, quod ex illis innumerabilia naſcuntur *mala*, & ipſa ſumma hominis miſeria. Per id enim DEVS ab homine alienatur, conſcientia turbatur, calamitates cum hujus tum alterius Vitæ in nos derivantur. Qui hæc ſatis vivide ſibi proponit, ille plurimum ad Virtuti ſtudendum & vitia fugienda incitabitur.

11. Quinto loco conſideranda ſunt DEI *Beneficia*, eaque plurima & maxima. Ante omnia occurrit hic *Creatio*, qua DEVS nonniſi ex Bonitate Mundum univerſum ex Nihilo, & in eo nos quoque, produxit. Poſt eam ſequuntur Beneficia *Providentiæ*, quæ partim generalia, partim ſpecialia ſunt, Act. XIV. 17. XVII. 28. Præcipuum omnium eſt Beneficium *Redemtionis*, cum omnibus operibus Gratiæ; Vocationis ſcil. Regenerationis, & Mediis ad Salutem cum externis tum internis, quæ DEVS nobis ſuppeditavit, & quotidie ſuppeditat.

12. DEVS, ut Teſtis ac Judex noſtrarum Actionum ubique & ſemper *præſens* eſt. Hoc non terrere modo improbos debet, ut peccatis abſtineant: ſed & excitare pios, ut quammaxime ſanctitati ac Virtuti ſtudeant; ſicut Subditi præſente Principe, Liberi præſente Parente, Milites præſente Duce diligentiſſime a malefactis abſtinent, ac quam optime ſe gerere nituntur; ut pro pœna & vituperio, laudem & præmia reportent. Vid.

Pſ.

Pſ. XXXIII. 13, 14 CXX. XIX. 2. 7. ſeq. item Jerem. XXIII. 24. & XVII. 10.

13. Etiam DEVS ſæpiſſime illuſtria edidit *documenta* Juſtitiæ in puniendis Improbis, & Benignitatis in protegendis piis. Talium rerum magnam copiam S. Scriptura nobis ſuppeditat. Multa etiam ejuscemodi ex reliquis Hiſtoriis; nec non ex quotidiana experientia colliguntur. Cavendum quidem ſedulo eſt a temerariis judiciis, ne peculiaribus hominum peccatis attribuamus calamitates, quæ ex occultis DEI conſiliis ſunt immiſſæ. Interim ſemper aliorum Mala nobis ad vitæ emendationem prodeſſe poſſunt; Luc. XIII. 4.

14. Quando attendimus ad Vitam & *Exemplum Chriſti*, nec non *Sanctorum* quorundam hominum, & in univerſum ad quævis bene viventium *exempla*; haud mediocre incitamentum inde naſcitur. Hoc enim experientia docet, Exempla in utramque partem maximam vim habere. Si mala ſunt, plurimum nos ad mala movent. Si bona, Virtutis amorem incendunt, ac plerumque ſtudent homines aliis hominibus ſimiles eſſe. Imprimis Exemplum *Chriſti*, quoniam perfectiſſimum eſt in Sanctitate, in Patientia &c. ſæpiſſime nobis ante oculos ponitur. Vid. Matth. XI. 29. Joh. XIII. 15. Phil. II. 5-7. 1 Petr. II. 21.

15. Sed & exempla aliorum *Piorum* proſunt, quippe cum illi fuerint homines iisdem, quibus nos, obnoxii infirmitatibus, quorum

rum adeo Vitam facilius nos imitari poſſe, confidimus, quam perfectiſſimum exemplar Filii DEI. Eum in finem in S. Scriptura cum Virtutes, tum Vitia plurimorum hominum narrantur, illas ut imitemur, hæc ut fugiamus. Vid. Hebr. XII. 1. Jac. V. 11. Luc. XVII. 32. Peccata enim hominum, utcunque ſanctorum, non ad imitationem nobis propoſita ſunt, ſed ad augendam noſtram diligentiam in cavendis peccatis, a quibus ne ipſi quidem immunes fuerunt.

16. Eodem pertinet rerum mundanarum *Vanitas*, unde cognoſcitur, quam inſipiens ſit, eas nimium amare, atque inde ſeu peccatis indulgere, quibus mundana illa bona ſæpe comparantur; ſeu negligere majora Bona, ſcil. ſpiritualia ac cœleſtia, quæ ſola vera, & quorum fructus in æternum durat: Eccl. I. 2. 1 Cor. VII. 31, Jac. IV. 24. 1 Joh, II. 16.

17. Omnibus rebus hujus Vitæ finem *Mors* adfert. Ea ſi fuerit pia, initium eſt æternæ vitæ. Si vero in peccatis mortui fuerimus, initium adfert æternæ calamitatis. Mors certa Hebr. IX. 27. Tempus incertum, Luc. XII. 35. Itaque maxime eſt laborandum, ut quovis tempore parati ſimus, ut quando illa decretoria adfuerit hora, non in ſumma anxietate & omnium rerum trepidatione; ſed læto & alacri animo hinc migremus.

18. Mortem ſequitur *Judicium*, Hebr. IX,

27. idque certum, juſtum & univerſale erit. In eo de omnibus reddenda erit tatio, & ſecundum opera noſtra recipiendum ſeu præmium ſeu pœna. Vid. *Theol. Dogmat.* S. I. C. XV. Cum ergo omnes deſideremus præmium, pœnam vero horreamus; patet illud ſemper ante oculos nobis poſitum, haud exiguam vim habere poſſe ad Virtutis ſtudium acuendum.

19. Præmium eſt *Vita æterna*, de qua ibid. Cap. XX. idque maximum. Non enim majus Bonum concipi poteſt, cujus & ea eſt natura, ut nemo, niſi pius & ſanctus, eam ingredi poſſit, Rom. II. 7. 1 Joh. III. 3. 2 Cor. VII. 1. Qui itaque ejus capax non eſt, ille pro Vita *Mortem æternam* reportabit. Vid. ibid. Hic eſt Miſeriarum & Calamitatum graviſſimarum cumulus, horrorem excitans maximum, ſi modo ad animum ſerio revocetur, ac indeſinenter conſideretur.

20. Sunt qui exiſtimant, haud talibus *Motivis* utendum, quæ a Præmiis Bonorum & Pœnis Malorum ſint deſumta. Hæc enim mercenariam ac *ſervilem* obedientiam producere. A Filiis autem DEI eam requiri, quæ absque ullo reſpectu ad Præmia vel Pœnas ex *puro* Dei *Amore* proficiſcatur. Sed hi ſapientiores ſibi eſſe videntur, quam Spiritus S. qui in S. Scriptura perpetuo talia inculcat, quibus ab una parte homines terreantur, ab altera ad Virtutis amorem excitentur.

21.

21. Videtur quidem ille perfectior Amoris gradus eſſe, qui *purus* dicitur; ſed qui in conditionem Creaturæ in hac terra viventis non cadit. Erit ille igitur cœleſtibus Beatorum ſedibus adſignandus, ad quas & illi omnes aliquando pervenient, qui ante dictis Motivis ad veram Virtutem & Vitæ Sanctitatem impulſi fuerint.

Cap. XVII. *De Impedimentis Virtutis Chriſtianæ.*

1. *Impedimenta* dicuntur ea, quæ vel in totum vel ex parte efficiunt, ut homines a Studio Virtutis arceantur, & in Vitiis perſeverent. Ea ſunt vel interna vel externa: Vel publica vel privata. De omnibus nemo melius egit, quam J. F. *Oſtervaldius* in Tract. de Fontib. Corrupt. quæ regnat hodie inter Chriſtianos. Nos inde præcipua excerpemus, & noſtras interponemus obſervationes,

2. Primum omnium Impedimentorum eſt *Ignorantia*, quæ eſt, vel in iis, quæ fundamenta Religionis conſtituunt, vel in Dogmatibus ſingulis, vel in Motivis ac Incitamentis ad Virtutem. Qui ignorat *Fundamenta* Religionis, quæ conſiſtunt in Veritatibus Religionis Naturalis, in Rationibus credendi, Religionem Chriſtianam eſſe veram, & in doctrina de S. Scriptura; ille non ſatis firmiter poteſt inſtrui ad Virtu-

tis Chriſtianæ Studium. Sic qui ignorat *Dogmata* Religionis Chriſtianæ, cum illorum rationibus, ille nullam illorum in praxi efficaciam percipiet, nec *Incitamentis*, quæ non aliunde, quam ex Dogmatibus petuntur, ulla ratione moveri poterit.

3. Cum vero multi ſint, qui iſta haud ignorant, nec tamen valde Pietati ſtudent; ſed potius in ſuis Vitiis perſeverent; facile colligitur, eos de iis, quæ norunt; aut non ſatis perſuaſos eſſe, quod vera ſint; aut non ſatis frequenter ea ad animum revocare. Motiva enim ad Virtutem non diutius vim ſuam exſerunt, quam dum menti hominis obverſantur.

4. Imprimis obſervatur, plurimos inter ipſos Chriſtianos eſſe, qui de Religione nihil præter Veritates theoreticas norint: de practicis autem ne ſolliciti quidem ſint. Norunt ergo, quid ſit credendum: Non vero quid ſit agendum. Aut, ſi & de Agendis inſtituti ſunt, tamen in generalibus tantum ſubſiſtunt, ad particularia haud deſcendunt. Sic norunt, homini reſipiſcendum, pie vivendum, præcepta DEI obſervanda eſſe. Interim neſciunt, quid ſit, reſipiſcere; quid, pie vivere, & quænam DEI Præcepta &c.

5. Ex eo fonte oritur alius; nimirum *præjudicia*, & *falſæ* de Religione *Notiones*. Huc pertinent 1. quod multi ſibi perſuadent Reli-

Religionem ad nihil aliud datam eſſe, quam ut homines *conſoletur*. Non cogitant ergo, de Sanctificatione, de fuga peccati, de Studio Virtutis. Solum quærunt in adverſis ſolatium. De Reſipiſcentia ſolliciti non ſunt.

6. Huc pertinet admodum vulgaris error, quo creditur Chriſtianam Religionem in ſola *cognitione* & *aſſenſu*, item in externa Fidei *Profeſſione*, nec non in *Fiducia* ſalutis per Chriſtum conſequendæ conſiſtere. De Studio Sanctitatis ac Virtutis parum aut nihil cogitant.

7. Inde quoque fit, ut multi *Doctrinam moralem* vix habeant pro parte Religionis Chriſtianæ. Hunc errorem nutriunt pleræque Academiæ, in quibus dogmatica & polemica pars Theologiæ ſatis diligenter excolitur; practica vero & moralis aut prorſus negligitur, aut propriæ Studioſorum induſtriæ relinquitur. Fatemur nonnullos Concionatores, noſtrorum præcipue temporum, in alterum extremum procurriſſe, & ſpreta prorſus doctrina Fidei, Mores ſolummodo formare. Sed & hoc eſt a vera indole Evangelii alienum.

8. Tale quoque eſt multorum Præjudicium, quo ſibi fingunt, haud adeo multa a vero Chriſtiano exigi, ac momento temporis peragi tranſitum a Statu peccati in Statum Regenerationis. Nam hi ſunt, qui

fere neſciunt, quid ſit Regeneratio, & quanta ſit Hominis corruptio, quæ per Reſipiſcentiam ſit exuenda. Hi non minus errant, quam illi, qui nimis difficilem ſibi fingunt ſalutis viam, ſeque & alios ita ab ea ingredienda abſterrent. Sunt &, qui eos omnes, quos vident pietatis ſtudioſiores eſſe, nonniſi pro *Hypocritis* habent, quia nullum hominem ita, ut præcipit Religio, vivere poſſe opinantur.

9. Sunt &, qui exiſtimant, pietatis ſerium ſtudium nihil eſſe, niſi *Fanaticiſmum* in cœca quadam animi perſuaſione poſitum. Hi ſane vehementer errant. Si Religionis Chriſtianæ naturam probe noſſent, facile eam a Fanaticiſmo diſtinquerent. Hic enim cœco impetu, absque certa Rationis & S. Scripturæ norma fertur; Religio vero Chriſtiana evidenti mentis convictione, & diſtincta veritatis cognitione voluntatem hominis excitat ac movet.

10. Erroribus iſtis, progreſſum Virtutis Chriſtianæ impedientibus, annumeramus abuſum quorundam Religionis noſtræ Dogmatum, ut de Juſtificatione per ſolam fidem, ſine Operibus; unde per illegitimam conſequentiam quidam ſibi perſuadent, Sanctitatis Studium minime eſſe neceſſarium. Sed hunc errorem jam refutavimus, *Theol. Dogmat.* Sect. I. Cap. XVIII. & *Theol. Pract.* Cap. XIV.

11.

11. Alii ſibi perſuadent, poſſibile non eſſe, ut ita vivamus, prout DEUS a nobis requirit, quia nemo in hac Vita ad perfectionem perveniat. Sed quamvis ad ſummam, quæ *Graduum* dicitur, Perfectionem in hac vita pertingere nequeamus: tamen poſſumus omnino per gratiam DEI vivere ſecundum Præcepta Evangelii; poſſumus pervenire ad certam quamdam perfectionem, quæ dicitur *Partium*; ac potiſſimum in ſincero Perfectionis Evangelicæ ſtudio conſiſtit. Vid. Phil. IV. 13. 2 Tim. II. 21. 1 Joh. V. 3, 4.

12. Multi variis utuntur ſuæ improbitatis ſuorumque Peccatorum excuſationibus. Dicunt; nos eſſe imbecillos homines; neminem a vitiis immunem reperiri; DEUM permittere, ut labamur interdum &c. Sed omnia hæc inania eſſe facile intelligitur, ſi ad peccatorum excuſationem adhibeantur. Non enim inde ſequitur, nos haud teneri ad ſtudium ardentiſſimum ſanctitatis, ut in ea quam plurimum progrediamur. Illud ſolum inde conficitur: Hominem veræ Virtutis ſtudioſum, non propriis viribus, ſed gratia Dei adjutum id opus aggredi debere; nec dejicere animum, ſi aliquando labatur, ſed Miſericordia Dei confidere.

13. Eodem pertinet *abuſus* quorundam *S. Scripturæ* dictorum, cui genuinus Interpres diligentiſſime occurrere debet, ac verum eorum dictorum ſenſum ſolide demonſtrare. Sic multi id quod dicitur Rom. VI. 14. *Nos*

non eſſe ſub Lege, ſed ſub Gratia; eo trahunt, ut videatur, nobis nullam incumbere obligationem Legem divinam obſervandi. Sed ſi iſti ea modo legerent, quæ in eo Capite antecedunt & ſequuntur, facile intelligerent, non de obligatione Legis; ſed de Maledictione ejus ſermonem eſſe, & ab hac non ab illa nos per Chriſtum liberatos eſſe. Conf. Gal. III. 13. Vid. Cap. XIII.

14. Multi quoque ad Peccatorum ſuorum excuſationem *Exempla* Sanctorum allegant. Sed jam dictum Cap. præced. §. 15. Bona illorum hominum ac Virtutes, non vitia, nos imitari debere. Peccata eorum adnotata ſunt ad eam ſolummodo rem, ut admoneamur humanæ infirmitatis, & divinæ in ea toleranda benignitatis; ſimulque ut tanto diligentius nobis caveamus, cum ne Sancti quidem illi ab omni lapſu immunes fuerint; 1 Cor. X. 12.

15. Sunt & tales, quos *pudet* Pietati ſtudere, quoniam vident, eos qui id diligentius faciunt, ab aliis ſperni, cavillis excipi, aliquando & odio haberi, ac malis adfici. Sed hi cogitare debent, nullius rei nos pudere debere, niſi turpis ea ſit ſeu ſua Natura, quale eſt omne Vitium: ſeu vera quadam exiſtimatione hominum; quo pertinent ea omnia, quæ ſunt indecora, quamvis peccata non ſint. Talis vero non eſt Virtus; ſed laudem potius adfert apud eos homines, quorum ſunt Mentes ſaniores; ac

præ-

præcipue apud DEUM, quo nemo melius unamquamque rem ſuo pretio æſtimare novit.

16. Iſtud vero omnium eſt frequentiſſimum, ut homines, de neceſſitate reſipiſcendi perſuaſi, *differant* illud negotium in aliud tempus; nonnulli ad ſenectutem, alii ad inſtantem Mortem. Sed cum plurima de hac re dici poſſint, paucis hic monebimus, huc pertinere, quæ ſæpius de tempore incerto Mortis, ac Judicii ultimi dicta. Porro autem quis non videt, per hanc reſipiſcentiæ dilationem graviſſime peccari, immo peccatis ceteris ſummum quaſi faſtigium imponi.

17. Qui vero non quidem deſtinato conſilio differunt, ſed *negligunt* tamen opus ſalutis ſuæ, illi hoc aut ex ignorantia officii ac rationum ejus, aut ex *ſocordia* faciunt. De priore genere actum §. 2. *Socordia* vero vitium eſt, quod retrahit hominem ab iis agendis, quibus propria ejus felicitas continetur. Illius rationes variæ ſunt, ſeu ex opinione maximæ facilitatis, ſeu maximæ difficultatis; ſeu ex dubitatione de Operæ pretio, ſeu ex aliis, ad hujus Vitæ commoda ac voluptates pertinentibus negotiis petitæ.

18. Ad priores antea reſponſum eſt. Ad *Negotia vitæ* quod attinet; nihil magis mirum eſt, quam quod homines horum prætextu patiantur ſe a ſtudio Virtutis abduci. Si enim ſunt neceſſaria illa Negotia, nunquam ſunt tam multa ac tam continua, ut

 nihil

nihil nobis temporis ad otium & ad quietem relinquant. Hinc ergo, ſi aliter non licet, decerpamus illud tempus, quod ad Animæ curam pertinet. Si non ſunt neceſſaria, abjiciamus illa, & hoc, quod maxime omnium eſt neceſſarium, agamus. Vid. Matth. XIII. 22. Luc. X. 41, 42.

19. Eodem pertinent Impedimenta, quæ ex *Vocatione externa*, ſeu ex *Genere Vitæ* naſcuntur. Illa enim aut abſtrahunt animum a Pietatis ſtudio, aut ſaltem ita diſtrahunt, ut parum temporis ad iſtud ſupereſſe videatur. Sed hæc vitæ Genera aut ſunt honeſta & legitima, aut non ſunt. Si non ſunt; debent omnino vitari, ut mala; nec ullam poſſunt ſalutis neglectæ adferre excuſationem. Sin legitima ſunt, tum locum habet, quod §. præced. dictum. Adde quod multi Negotiorum loco ea habent, quæ nihil ſunt, niſi Recreationes Vitæ, quibus ſi rarius uterentur, haud ullum haberent de temporis penuria conquerendi locum.

20. Multa etiam Impedimenta originem debent pravæ *educationi*, pravis *conſortiis*, pravisque *Libris*. Multi ita educant Liberos, ut aut negligant prorſus eorum in rebus ad ſalutem pertinentibus inſtitutionem, ac morum ad virtutem formationem; aut id potius agunt, ut eos a ſtudio virtutis abſtrahant, ejusque loco amorem Mundi, ac vitia, Religionis imprimis & Miniſtrorum ejus contemtum inſtillent. Quid mirum eſt, ſi tales

tales raro aut nunquam ad pietatem perveniant, quorum pravitas innata non cohibetur; ſed potius alitur ac confirmatur?

21. *Prava Conſortia corrumpunt bonos Mores;* 1 Cor. XV. 33. Sermones improbi & Exempla turpia nunquam non ſtimulum vitiorum in animo relinquunt, & virtutis ſtudium impediunt. Multi neceſſitate quadam vitæ, alii caſu, nonnulli ſtudio in pravorum hominum conſortia incidunt, atque ſic *Tentationibus* exponuntur, ac ſeductionibus.

22. *Libri* vero peſtilentes illi ſunt, quibus aut Atheismus, aut Deismus, aut Mundi ac vitiorum Amor, Ambitio prava, Avaritia, Libido commendatur. Id vel aperte, vel occultius fit; eoque eſt nocentius, quo magis ſerpit iſtud malum, & eorum præcipue animos inficit, qui ceteris plus ſapere ſibi videntur, ac aliquid auctoritatis habent. Auctores vero illorum Librorum non immerito *Impietatis* ac *Nequitiæ Magiſtros* dixeris. Eo quoque plerique pertinent *Scenici Ludi*, qui mundanis ſenſibus, & morum corruptione ſpectatores incautos inficiunt, alios in vitiis confirmant, dum iis aliquando colorem virtutis inungunt.

23. Impedimentorum tandem in genere locum habent omnia illa, quæ & in publicis privatisque rebus occurrunt corruptionis genera; Superiorum imprimis in cohibendis vitiis negligentia, ſive illi ſint politici, ſive eccle-

eccleſiaſtici, ſive domeſtici Ordinis, plurimum ad confirmandam & augendam pravitatem momenti adferunt.

Cap. XVIII. *de Mediis, quibus producitur & promovetur Virtutis Chriſtianæ ſtudium.*

1. Impedimentis hactenus commemoratis opponenda ſunt *Media*, quorum adeo tractatio in Theol. mor. neceſſaria eſt. Solent quoque *Auxilia* & *Adjumenta* pietatis appellari. Loquemur potiſſimum de illis, quæ Homo quærere ac adhibere debet. Quæ enim a DEO pendent, ac interne per Spiritum S. producuntur, de iis in Cap. XVI. *Theol. Dogmat.* actum. Uno nomine *Gratiæ divinæ* notantur, quæ niſi omnibus illis adſit, quæ a nobis cognoſcuntur & adhibentur *Media*, nihil efficietur.

2. Primum omnium illorum Mediorum, quod & generaliſſimum eſt, & multa alia in ſe complectitur, dicere poſſumus, quam pleniſſimam *Cognitionem*, ac diligentiſſimam *Meditationem* veritatum ſalutarium Religionis, earum præcipue, quæ in Capitibus proximis continentur. Sedula repræſentatio *Motivorum* ac *Impedimentorum*, in ſalutis negotio occurrentium, Voluntatem hominis neceſſario ita excitat, ut illa, quæ ſunt agenda agere, quæ ſunt fugienda fugere conſtituat.

3. Media alia ſunt, quibus homo aut acquirit & auget veritatum ſalutarium cognitionem,

nem, aut eas magis magisque ad Animum ſibi revocat, ac de iis cogitat; immo vero illa quoque, quibus divina Auxilia Gratiæ & Spiritus S. impetrat. Primum eſt *Scripturæ S.* tanquam Verbi divini Lectio ſedula, eaque ſtata ac ſæpius repetita. De illa vero nunc agitur Lectione, quæ non tam inquiſitionem Veritatum Religionis, quam ædificationem noſtram & excitationem piorum deſideriorum ſpectat. Hæc quomodo ſit inſtituenda facile indicatur.

4. Eodem pertinet *Auſcultatio*, cum Verbum Dei publice prælegitur & explicatur. Viva prælegentis vox præ tacita Lectione ſæpius commodum iſtud habet, ut altius in animum demittatur, ac infigatur memoriæ. Ipſa vero explicatio, quam Lector addit, ſi modo convenienti ratione compoſita ſit, plurimum ad intellectum illuſtrandum, & voluntatem movendam facit.

5. Addimus Lectionem *aliorum Librorum*, qui utile aliquod & ſalutare argumentum tractant, indeque aut cognitionem Veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem augere, aut pias in nobis cogitationes excitare poteſt. Per talium Librorum lectionem illud quoque conſequimur, ut S. Scripturæ ſenſum facilius capiamus, ac noſtro uſui ad ædificationem applicemus. Seligendi autem tales ſunt Libri, quorum doctrina orthodoxa eſt, & ædificationi maxime accommodata, id quod partim publico Eccleſiæ, partim privato doctorum judicio cognoſcitur. 6. Nun-

6. Nunquam vero negligendus *Cultus divinus*, & *publicus* & *privatus*. De illo actum *Theol. pract.* Cap. II. & V. Conſiſtit in omnibus illis externis actibus, quibus Deum honoramus, & animos ei devotos, ac veneratione ejus plenos eſſe demonſtramus. Quo ſæpius illi incumbimus, quo attentius illo defungimur, quo diligentius nos ad illum præparamus, quo majore cura conſervamus bonos animi motus, quos in illo percepimus; eo plus in Sanctificatione proficiemus.

7. Omnes enim illæ rationes, quibus nonnulli negligentiam *Cultus publici* excuſare nituntur, vanæ ſunt, & vel ex præjudiciis vel ex animi perverſitate oriuntur. Quod autem apud multos parum utilitatis ex eo percipitur, inde fit, quod partim ipſi haud recte in eo verſantur; aut Miniſtri Eccleſiæ officium ſuum haud ita, ut decet, peragant, dum diligentiam non impendunt & operam ſufficientem, in componendis ſuis Concionibus, & frigide interdum recitant, quæ ad Cœtus ædificationem proferenda ſunt.

Objectiones adverſus Cultum publicum, cum Reſponſionibus vid. breviter traditas apud *Baumgart.* Theolog. Moral §. 307. Adde quæ ſupra de hoc dicta Cap. V.

8. Ad ejusmodi progreſſus in Virtute Chriſtiana faciendos pertinet etiam religioſa obſervatio *Diei Dominicæ* & aliorum ab Eccleſia receptorum *Feſtorum*, nec non *Jejunii*. Hæc enim tempora potiſſimum ſacris Exercitiis ſunt

ſunt deſtinata, quibus & operam liberius dare poſſunt, quia Negotiis ordinariis tantisper valedicendum eſt. Qui itaque vere Salutis ſuæ promovendæ ſtudioſus eſſe velit, ille & hæc tempora cum animi lætitia ſemper obſervabit, nec aliis laboribus impendet, niſi iis, quibus vitæ emendatio & ſanctificatio promovetur.

9. Non tamen his contentus homo pius, quotiescunque fieri poteſt, ſuis negotiis aliisque occupationibus aliquid ſubtrahet temporis, quod ſolus piis *Meditationibus*, quibus cæleſtes veritates perpendat, *Examini Conſcientiæ* & Actionum ſuarum, nec non *Precationibus* impendat. Quo ſæpius hæc faciemus, eo plus inde fructus ad Virtutis & Sanctitatis incrementum percipiemus.

10. Etiam *Uſus Sacramentorum* huc pertinet. Ea enim non ſolum ut Beneficia DEI ad noſtram Salutem promovendam conſideranda ſunt, ſed & tanquam *Media*, quibus animus noſter magis ſanctificatur. Cumque *Baptiſmus*, ſemel in Vita ſuſceptus, nunquam iterandus ſit, de quo *Theol. Dogmat.* Sect. II. Cap. III. Sæpius tamen recordatio Baptiſmi, cum conſideratione *Voti* tum facti repetenda, & ad animum revocanda eſt. *Sacra* vero *Cœna*, ad hoc ipſum a Chriſto inſtituta, ut incrementum Vitæ ſpiritualis promoveatur, ſæpiſſime cum Præparatione ac devotione celebranda, ac deinde ſemper in animo revolvenda erit.

11. Qui

11. Qui ergo *S. Cœnæ* uſum vel prorſus omittunt, vel rarius adhibent; illi negligunt primo *Officium*, quod Chriſtianis omnibus incumbit; & ſeipſos *Subſidio* inſigni Sanctificationis privant. Peccant ergo haud uno modo. Nec ulla valet excuſatio eam omittendi, niſi cum Animum noſtrum ſentimus haud ita, ut debet, conſtitutum eſſe, nec conſtitui poſſe. Vid. *Theol. Dogm.* Sect. II. Cap. IV.

12. Porro quemadmodum prava Conſortia & Colloquia plurimum Impedimenti objiciunt, Cap. præced. §. 22. Sic e contrario *pia Colloquia* partim cum aliis Chriſtianis, partim cum V. D. Miniſtris plurimum ad pietatis ac Virtutis Chriſtianæ incrementum momenti adferunt. Talia ergo & quærenda, & ubi offeruntur, cupide ſunt arripienda.

13. Cavendum tamen, ne ſub colore piorum Colloquiorum inter privatos *Conventicula* clandeſtina temere inſtituantur, quibus nonnunquam publicus Eccleſiæ Cultus apud multos in contemtum adducitur, & a callidis hominibus ſimpliciores ad Fanaticismum aliosque errores abducuntur; aut denique imperiti alios docere conantur, atque ſic cœci cœcorum duces, & ſe & alios in perniciem præcipitant.

14. Hæc & alia ſimilia *Media*, Virtutem Chriſtianam promovendi, ſolent etiam appellari *Exercitia Pietatis*; quorum alia ſunt

ſunt publica, alia privata. Omnia vero eo tendunt, atque etiam, ſi recte utamur, eum adferunt fructum, ut non modo Sanctificatio univerſa; ſed & ſingulæ Officiorum noſtrorum partes eo facilius & perfectius obtineantur. Summæ ergo curæ hæc Chriſtiano Homini per omnem vitam eſſe debent.

15. Omnium vero illorum Mediorum præcipuum & efficaciſſimum eſt *Precatio*, ſine qua cetera omnia fructu & effectu ſuo carebunt. Quoniam vero plura nobis de ea ſunt dicenda; peculiare Caput ejus conſiderationi impendemus.

CAP. XIX. De *Precatione* in genere, & de *Oratione Dominica* in ſpecie.

1. *Precationem*, ſ. Orationem non conſiderabimus hoc Capite, tanquam officium noſtrum, de quo jam dictum Cap. 2. ſed tanquam *Medium* & Adjumentum Sanctificationis & Virtutis Chriſtianæ. Eſt autem *Precatio* Colloquium hominis cum DEO, per quod vel ſignificat ſuam erga DEVM *venerationem*, ac ſe Deo devovet; vel de acceptis beneficiis *gratias agit*, vel ſua ei proponit *Deſideria* de iis, quæ ad majorem ſuam aliorumque perfectionem videntur pertinere.

2. Hac definitione & *Precationis* natura, & varia ejus genera indicantur. Nam *Colloquium hominis cum DEO* conſtituit veram pre-

cationis naturam. Non eſt ergo illa nuda quarundam Formularum, plerumque non intellectarum, absque attentione & animi adfectu recitatio. Nec ad alium, niſi ad DEVM, dirigenda. Vid. Cap. §. præced. allegatum.

3. Ea vero Precatio, qua DEVM veneramur, ac nos Ipſi devovemus, dicitur προσκύνησις, *Adoratio*; eaque in religioſa ac humili Majeſtatis & Perfectionum divinarum celebratione, noſtræque indignitatis agnitione conſiſtit. Vid. Matth. IV. 10. Hebr. I. 6. Apoc. XXII. 9.

4. Quid ſit *Gratiarum Actio*, Εὐχαριστία, per ſe intelligitur. Beneficiorum divinorum multitudo & magnitudo eam facit juſtiſſimam ac prorſus neceſſariam. Suntque illa Beneficia partim publica, partim privata; item partim corporea, partim ſpiritualia.

5. *Deſideria* noſtra ad noſtri aliorumque Status majorem perfectionem, vel pertinent ad averſionem malorum, vel ad Bonorum acquiſitionem. Suntque hæc iterum vel publica vel privata. Averſionem Malorum cum petimus ſive illa Corporis ſive Animi Mala ſint, *Deprecatio* appellatur, quo pertinet quoque Oratio pro Venia peccatorum, quæ iram Dei ac pœnas avertit.

6. Cum Bona nobis petimus, Δέησις, *Petitio*; cum pro aliis, Ἔντευξις, *Interceſſio* vocatur. Generale vero nomen eſt προσευχή, *Pre-*

Precatio, *Oratio.* Vid. pleraſque illas Precum ſpecies relatas 1 Tim. II. 1. Unica addi poteſt *Adoratio.* Generali etiam verbo, qui precantur dicuntur DEVM *invocare*, quod tamen aliquando omnem DEI Cultum notat. Sic Act. II. 21. ex Joël II. *Quicunque invocaverit nomen DOMINI*, *ſervabitur*; haud de precatione ſola accipi poteſt, ſed de univerſo Cultu.

7. Precandum eſt *ubique* & *omni tempore*, quia DEVS ubique præſens eſt, & noſtras preces percipit. Rationes vero precandi nunquam deſunt, cum aut DEVS ſit adorandus, aut gratiæ agendæ, aut venia peccatorum, aut aliud Bonum pro nobis & aliis petendum, aut mala deprecanda ſint: Huc pertinet 1 Tim. II. 8. Phil. IV. 6.

8. In omni precatione oportet, ut animus noſter repletus ſit 1. Majeſtatis & Perfectionum divinarum contemplatione: 2. Noſtræ indignitatis & indigentiæ ſenſu. 3. Submiſſione humili voluntatis noſtræ in iis, quæ petimus, ſub voluntatem DEI, de qua Luc. XXII. 42. 1 Joh. V. 14.

9. Porro opera danda eſt, ut verba noſtra ſemper cum cogitationibus conſentiant; cui oppoſitum eſt, ſi verba ſenſu carentia, aut a nobis non intellecta, aut ſermone ignoto, aut Lingua potius volubili, quam attente prolata adhibeamus. Quod enim Chriſtus jubet in *Spiritu & Veritate* Deum adorare, Joh. IV. 24. id nihil aliud, quam attentam illam animi diſpoſitionem notat, quæ non in externis ſolis hæret.

10. *Ardentes* dicuntur illæ preces, quæ nec ſine ſincero affectu, nec cum aliqua dubitatione, ſed in Fide & vehementi exauditionis deſiderio peraguntur, Jac I.6, 7. Hinc & ibid. Cap. V. 16. dicitur δέησις ἐνεργουμένη, *Oratio efficax*. Ardor ille Precum excitatur primum conſideratione noſtræ miſeriæ noſtrarumque neceſſitatum: deinde repræſentatione divinæ Majeſtatis, potentiæ & bonitatis.

11. Porro noſtræ Preces in ſe continere debent *Devotionem*, qua ſcilicet nos totos Deo tradimus & conſecramus, vovemusque conſtantem & perpetuam obedientiam Deo præſtandam. Ad hoc requiritur, ut certum habeamus propoſitum, Vitam noſtram ita inſtituendi, ut Deo placere & grati eſſe poſſimus.

12. *Locus*, ubi precandum, eſt vel *publicus*, vel *privatus*. De publico agunt verba 1 Cor. XIV. 14, 15. ubi *orare lingua*, orare *ſpiritu*, & orare *mente*, commemoratur. *Lingua* orare eſt preces Lingua Auditoribus ignota pronuntiare. Eas ergo preces nemo intelligebat, præter eum, qui recitabat, adeo *Spiritus* ipſius ſolus, quid precaretur, percipiebat. Itaque orare *Lingua*, ſcil. ignota, & orare *Spiritu* ſuo, hoc in loco idem ſignificat. Sed orare *Mente*, eſt ita orare, ut audientes, quid precere, intelligant. Illud prius in primitiva Eccleſia fieri interdum ſolebat, propter *donum Linguarum*, quo multi prædīti erant.

13. Hi ergo ad illuſtrationem Gloriæ & Poten-

Potentiæ divinæ, nec non ad Evangelii majorem confirmationem, in Cœtibus Chriſtianorum illud extraordinarium donum aliquando uſurpabant. Sed ne id nimis ſæpe fieret, monet Apoſtolus, ut potius ea Lingua pii vellent uti, quam & reliqui intelligebant, ut inde fructum ædificationis caperent. Id deinde pluribus Apoſtolus explicat. Si enim Cultum Dei ignota Plebi Lingua peragunt, ædificationis fructu eam privant, nec facultatem concedunt, ſui Animi vota, cum precatione Miniſtri conjungendi.

14. De *privatis* precibus intelligendum eſt, quod dicit Chriſtus Matth. VI. 6. ubi præcipit, ut in *Cubiculo clauſis foribus latentes* precemur. Has enim preces opponit illis, quas Phariſæi per ſuperbiam publice oſtentabant. Non ergo illa Chriſti verba, ut nonnulli faciunt, publico Eccleſiæ cultui, ſed Hypocritarum oſtentationi opponenda ſunt.

15. Quod vero ibidem ℣. 7. ſequitur: *Μὴ βατ]ολογίσηʃε ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ*, id nihil aliud ſignificat, quam ut vitetur in precibus noſtris continua eorundem verborum repetitio. Eodem pertinet multorum verborum ſine attentione ac devotione coacervatio; nec non in univerſum omnis precatio, quæ non ex animi adfectu, ſed ex mera conſuetudine proficiſcitur. Non ergo longa precatio; ſed illa tantum, quæ iſtis vitiis laborat, reprehenditur. Longius enim continuatæ preces, ſi devotæ ac ardentes ſint, haud poſſunt Deo diſplicere.

16. Sunt quidem Preces animi opus, non Corporis. Interim tamen & Vox & Geſtus aliquando accedunt. Sicut enim Precatio aliquando *mentalis* tantum eſt, quæ in cogitationibus ſubſiſtit; ſic & ſæpius *oralis* fit, ſeu ſoli precemur, ut vocis ſono excitetur attentio animi; ſeu cum aliis, ut uno præeunte ceteri ſequantur. Dubitari non poteſt, quin utrumque genus bonum ſit.

17. Communi omnium in eodem Cœtu congregatorum voce invocatur & celebratur DEVS etiam in *Hymnis* & *Pſalmis*, qui decantantur, ſeu additis ſeu non additis muſicis inſtrumentis. Uſitatum hoc in Eccleſia cum V. tum N. T. Huc pertinent Hymni & Pſalmi, qui in S. Scriptura exſtant. Exempla vero Chriſti & Apoſtolorum, nec non iſtorum exhortationes, Chriſtianos ad hanc partem divini Cultus excitant. Exempla vide Matth. XXVI. 30. Act. XVI. 25. Exhortationes Eph. V. 19. Coloſſ. III. 16.

18. *Geſtus* vero Corporis non ſunt quidem ſemper & ubique neceſſarii, ut vel genua precantes flectamus, vel pectus tundamus, vel alia ſimilia faciamus. Poſſumus enim & ſtantes & ſedentes & jacentes, immo & ambulantes ac laborantes precari. Ubi tamen ſolemnes ac ſtatæ preces ſeu publice ſeu privatim fundendæ ſunt, oportet ut decentes adhibeantur Corporis geſtus, quibus animi humilitas

ac

ac devotio indicatur, ac DEI præcipue reverentia exprimitur. Non ſunt tamen illi certi ac univerſales; ſed pro more Regionum & temporum diverſi.

19. Idem & de *temporibus & horis* dicendum, quæ nulla certa & conſtanti Lege divina præſcripta ſunt. Videmus tamen apud omnes Gentes certas quasdam horas Precationum uſitatas fuiſſe, matutinas potiſſimum & veſpertinas, quibus publice Numen coleretur. Qui ei Cultui intereſſe non poterant, illi privatim preces ſuas iisdem horis, quibus alii publice, fundebant. Nec inutile erit, ſi quilibet ſibi quoque privatim certa Precum tempora præſcribat, quæ vel ſolus, vel cum domeſticis, ſedulo obſervet; ut tanto certius ſæpiusque hoc precandi officium præſtetur. Cavendum tamen, ne id, quod devotionis eſſe debet, in *Opus Operatum* convertatur, quod apud Pontificios in VII. Horis Canonicis, apud alios in aliis fieri ſolet.

20. *Precari* porro poſſumus, dum aut ipſi verba concipimus, aut *Formulis*, quas alii compoſuerunt, utimur. Prioris generis preces privato potius, quam publico Cultui conveniunt. Vix enim ulli homini deeſt facultas, animi ſui motus ac deſideria verbis utcunque exprimendi. Interim pauci poſſunt decenti quadam ratione publice de Deo & ad Deum verba facere. Nec parum illi peccant, qui extemporaneis, adeo-

que nec probe meditatis nec concinnis, Orationibus utuntur.

21. Publice ut certis quibusdam precandi *Formulis* utamur, monet conſuetudo omnium Eccleſiarum bene conſtitutarum. Quæ talibus carent, Fanaticismo plerunque ſunt adfines. Sunt & in ipſa S. Scriptura nonnullæ Formulæ. *Oratio* imprimis, quæ vocatur, *Dominica*, Matth. VI. 9-13. præſcripta, huc pertinet. Aliæ tamen formulæ, a Præſulibus Eccleſiarum compoſitæ, Legum & Normæ publicæ autoritatem habent. Privatim vero nihil impedit, quominus aliquis Precibus ab alio compoſitis utatur, dummodo illas cum attentione recitet, ac ſua, non aliorum deſideria, quamvis aliorum verbis, exprimat.

22. *Oratio* certe *Dominica* rogantibus Diſcipulis Chriſti ſuppeditata eſt, ſicut & Johannes Bapt. ſuis modum precandi tradiderat Luc. XI. 1. Ea enim non exemplum modo continet eorum, quæ; & modi quo illa ſint petenda. Sed & Formulæ loco adhiberi debet, ut noſtra vota Chriſti verbis exprimamus. Ait ipſe Chriſtus: *Cum precamini, dicite: Pater &c.* Luc. XI. 2. Ut vero ea tam pro Exemplo, quam pro Formula precandi adhiberi poſſit, oportet ut probe intelligâtur. Nos propterea paucis ſuccinctam ejus Expoſitionem trademus.

23. In genere vero notandum Phraſes ſeu loquendi Genera, quibus ea Oratio conſtat, ex

ex illis depromta eſſe formulis, quibus priſci Hebræi utebantur olim in ſuis Precationibus. Hoc ſane docuerunt Viri docti, *Druſius* imprimis & *Lightfootus.* Neque iſtud Servatore noſtro indignum videri debet. Nam id, quod bonum eſt, ubicunque reperiatur, eſt retinendum, nec cum iis, quæ mala deprehendimus, etiam bona ſimul ſunt abjicienda.

24. Dividi ſolet *Oratio Dominica* in tres Partes: I. Eſt *Compellatio Dei*, quæ conſtituit principium Orationis. II. Sunt ipſæ *Petitiones*, ſeu Vota noſtra. III. *Concluſio*, ſeu Epilogus Doxologicus. Compellatio ad hoc potiſſimum dirigitur, ut noſtra in Deum fiducia excitetur. Petitiones ea continent, quæ cum ad Gloriam Dei, tum ad noſtram felicitatem pertinent. Concluſio eandem noſtram fiduciam, qua Deum ab initio compellavimus, magis illuſtrat & confirmat.

25. *Compellatio Dei,* atque adeo Introitus in Precationem his continetur verbis: *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Jubet autem Chriſtus DEVM, ut *Patrem,* invocare, de quo nullum nobis eſt dubium, quin & poſſit, & velit nobis petentibus omnia ea bona dare, quæ ad ſalutem noſtram ſunt utilia aut neceſſaria; Matth. VII. 11.

26. Sunt autem multæ rationes, ob quas DEVS *Pater* dicitur. Prima eſt, quod habeat *Filium,* de quo Theol. *Dogmat.* Sect. I. §. 317. & 383. ſeqq. Altera eſt ratio, quia omnia reliqua, quæ ſunt, *creavit*, ac porro ſuſtentat:

Malach. II. 10. Sic & DEVS Hebr. XII. 9. dicitur, *Pater Spirituum.* Tertia Ratio Fidelibus propria eſt; ſcilicet *Regeneratio*, qua *ex Deo nati* dicuntur, Joh. I. 12. Adde Jac. I. 18. 1 Joh. V. 4. 18. Significat *Regeneratio* illam mutationem in homine, per quam corruptio naturæ corrigitur, atque in locum pravarum Cupiditatum ſuccedunt bonæ & ad Gloriam Dei unice tendentes proclivitates, ita ut fiant homines *divinæ naturæ participes* 2 Petr. I. 4.

27. Eodem pertinet *Adoptio*, qua DEVS propter Chriſtum Fideles pro *Filiis* ſuis habet, iisque *hæreditatem* cum eo eandem adſignat. Vid. rurſus Joh. I. 12 Porro Rom. VIII. 17. 23. Eph. I. 5. Galat. IV. 5. Hinc & ſequitur, quod omnes quidem homines DEVM, ut Patrem, compellare poſſint, ob rationem primam & ſecundam; ſed ob tertiam, ſeu ob *Regenerationem* & *Adoptionem* ſoli Fideles. Inde peculiariter, & præ ceteris hominibus, adſtringuntur ad illa officia, quæ Filius genuinus Patri debet.

28. Quod vero *Noſtrum Patrem* dicimus DEVM, propterea fit, ut unusquisque cogitet, eum & ſuum eſſe, & cæterorum omnium Patrem. Cum ergo communem omnes habeamus *Patrem*, oportet, ut *Fratres* nos eſſe meminerimus, ac fraterna charitate alii alios proſequamur, & fraterna officia alii aliis præſtemus.

29. *In cœlis eſſe* Patrem noſtrum additur, ut a terreſtri quovis Patre diſtinquatur, atque immen-

immenſum inter utrumque diſcrimen pateat. In cœlis autem eſſe aut habitare DEVS & in S. Litteris, & aliorum populorum conſenſu dicitur. Qui vero *Immenſitatis* & *Omnipræſentiæ* divinæ conceptum rationi & Scripturæ conformem tenet, facile intelliget, non ita DEVM *in Cœlis* eſſe, ut iis includatur; ſed ut ibi ſuam potiſſimum Majeſtatem præſentem ſiſtat, atque inde Terræ noſtræ proſpiciat.

30. Sequuntur *Petitiones* Orationis Dominicæ; quarum prima eſt: *Sanctificetur Nomen tuum.* Exponendum hic eſt: *Nomen DEI, Sanctificatio* ejus, & *ratio id a Deo petendi.*

31. *Nomen* DEI in S. Scripturæ Stilo ipſum DEVM plerunque ſignificat. Vid. Deut. XXVIII. 58. Pſ. XX. 2. Eſaj. L. 10. Cum enim Eſſentia DEI non cadat ſub ſenſum Hominum; hinc per nomina ſua DEVS illis ſeſe manifeſtavit.

32. *Sanctificatio* DEI aliter accipitur prout ab ipſo DEO fit, aliter prout a nobis fieri debet. Priore ſenſu ſignificat *Sanctitatis divinæ manifeſtationem uberrimam. Sanctitas* DEI aut accipitur ſenſu latiore, pro univerſis DEI perfectionibus; aut ſenſu ſtrictiore pro ea Voluntatis divinæ rectitudine & puritate, qua fit, ut nihil velle aut agere poſſit, niſi quod bonum, juſtum & ſanctum eſt.

33. Hæc eſt, quæ dicitur *Gloria* DEI; adeoque ſanctificatio Nominis divini eadem eſt cum ejus *Glorificatione*. Huc pertinet exclamatio illa Exod. XV. 11. Porro Ezech. XXVIII. 22. De *Glorificatione* Dei Joh. XII. 28. Ea vero ad illas potiſſimum divinas Virtutes reſpectum habeat, quæ homines maxime excitant ad DEI Reverentiam ac Admirationem.

34. Inde naſcitur *Sanctificatio*, ſeu Glorificatio Dei, quatenus a Creaturis fieri debet. Ea conſiſtit in Cognitione divinarum Perfectionum ejusque cognitionis effectibus. Hi ſunt 1. ut impleatur Cor noſtrum illarum Reverentia. 2. Ut Ore ac Sermone hanc teſtemur, atque ita tam Laudes Deo tribuamus, quam alios ad easdem excitemus. 3. Ut omnem Vitam omnesque actiones noſtras Deo gratas reddere ſtudeamus.

35. Cur autem ſanctificationem Nominis divini a Deo petimus? 1. Sine dubio, ut noſtrum de ea re deſiderium exprimamus. Nihil enim magis in Votis eſſe nobis debet, quam Numinis Glorificatio. 2. Quia Deus ſolus poteſt ſe quam maxime glorificare, & ſuas Perfectiones demonſtrare. 3. Quia nemo, præter DEUM, nos poteſt ad Ejus Glorificationem idoneos facere per ſuam Gratiam & per S. Spiritum.

36. Secunda Petitio eſt: *Adveniat Regnum tuum. Regnum* DEI vel pro univerſo ejus dominio in omnes Creaturas accipitur, quo

ſenſu occurrit Pſ. CIII. 19. & CXLV. 11-13. nec non Dan. IV. 34, 35. vel pro *ſpeciali* illo, quod in Eccleſiam habet, ac exercet, tum in terris, quod dicitur *Regnum Gratiæ*; tum in Cœlis, quod *Regnum Gloriæ* vocamus.

37. Non petere nos Adventum Regni priore ſenſu planum eſt, quoniam Deus ab initio dominium illud obtinet, quod nec augeri nec imminui poteſt. Sed poſterior ſolus ſenſus hic locum habet, quo *Eccleſia* intelligitur primum in terra erigenda & amplificanda, deinde in Cœlo glorificanda.

38. Quod itaque hic *Regnum* DEI, id alibi *Regnum Cœlorum* vocatur. Appellatio fuit apud Judæos recepta, ſicut a *Lightfooto* ad Matth. III. 2. demonſtratur. Eo vero in loco, & in univerſo N. T. intelligitur Manifeſtatio Meſſiæ & illorum ſalutis Mediorum, quæ per illum oblata & in præcipua luce collocata fuerunt. Quapropter & *Regnum Meſſiæ* appellari poteſt.

39. Vocatur autem in petitione iſta Orationis Dominicæ *Regnum Patris*, quia idem & Patris & Filii Regnum eſt. Pater enim eſt in Filio, & Filius in Patre, & quicquid alterutrius eſt, id eſt utriusque. Hinc Apoc. XII. 10. conjungitur *Regnum Dei noſtri & Poteſtas Chriſti ejus.*

40. *Advenit* autem iſtud *Regnum Dei*, vel quatenus in univerſum Eccleſia erigitur, dum ſcilicet doctrina Evangelii propagatur, & in-

cre-

crementa capit, ut DEUS in Chriſto, ut Dominus agnoſcatur. Sic enim *emittit Jehova Sceptrum roboris ſui ex Zione*, Pſ. CX. 2. Vel quatenus ſinguli homines, qui jam ſunt Eccleſiæ adjuncti, re ipſa eſſe debent, quod ore & externo habitu profitentur; qui vero nondum ſunt, illi ad Eccleſiam adducantur. Sic enim Regnum Dei ad omnes pervenit, ſi omnes Chriſto ſubjiciantur.

41. Oramus ergo Deum, ut Regnum ipſius ad omnes & ad ſingulos perveniat. Ad omnes; dum Evangelii Profeſſionem ſuſcipiunt, ſicque fit, ut & Gentes & Judæi, & quicunque ſunt a Chriſtiana Religione averſi, ad eam convertantur. Ad ſingulos; ut non ore tantum profiteantur, ſed & corde credant, Chriſtum eſſe Dominum ac Regem ſuum, eamque fidem moribus & vita omni exprimant.

42. Tertia petitio Orationis Dominicæ eſt: *Fiat Voluntas tua, ſicut in Cœlo, ita & in Terra.* Voluntas DEI in S. Scriptura interdum ea notat, quæ ipſe DEUS facere aut permittere decrevit. De hac agitur Dan. IV. 35. Pſ. CXV. 3. Eph. I. 5. & alibi ſæpius. Hoc itaque ſenſu cum oramus, ut *fiat Voluntas* Dei, ſubjicimus nos cum humilitate animi omnibus illis eventibus, ſeu adverſis ſeu proſperis, quibus nos Providentia Dei expoſitura eſt. Exemplo nobis præivit Chriſtus ipſe Matth. XXVI. 42. aliique Fideles, Act. XXI. 14.

43. Sæ-

43. Sæpius vero DEI Voluntas accipitur pro ipſius Præceptis. Sic 1 Theſſ. IV. 3. Matth. VII. 21. Rom. XII. 2. & alibi. Hoc modo rogamus DEUM, ut nos ad faciendam ipſius Voluntatem idoneos, imo & promtos paratosque efficiat. Sic itaque profitemur, Præcepta Dei bona & juſta eſſe, nobis autem propter Naturæ pravitatem deeſſe facultatem ea obſervandi, ita ut decet, ſine ipſius Dei gratioſa ope.

44. Additur: *Sicut in Cœlis, ita & in Terra.* His verbis agnoſcimus, univerſalem eſſe debere illam divinæ Voluntatis exſecutionem. Quemadmodum igitur nihil eſt in *Cœlis,* quod non ei pareat; ſic nihil quoque in *Terris* eſſe debet. Sunt in Cœlis Aſtra & Meteora. Hæc ſecundum Leges a Deo poſitas perpetuo aguntur; nec quidquam niſi peculiari illius Voluntate mutatur. Vid. Pſ. CIV. paſſim & CXLVI. 3. 8.

45. Intelligi tamen potiſſimum hic videntur *Angeli Sancti*, qui in Cœlis ſunt, Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Hi in omnibus rebus conſtanter faciunt Voluntatem DEI, Pſ. CIII. 21, 22. ſunt enim *Sancti*, id eſt a peccato omni immunes, & ad bonum ſemper promti.

46. Horum ergo S. *Angelorum* nobis exemplum proponimus, quod imitemur; non ut ſperemus nos ad eandem cum illis perfectionem perventuros eſſe; ſed ut eo contendamus, & omnibus viribus nitamur. Cum enim

enim oporteat nos in altera vita *ἰσαγγέλους*, *Angelis ſimiles* fieri, Luc. XX. 36. Oportet jam in hac *angelicam*, id eſt, ſanctam vitam ſectari.

47. Quarta petitio ſic exprimitur: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quum vero vox ἐπιούσιος, quæ de *Pane* hic uſurpatur, nec in N. T. nec in Verſione Græca V. T. nec etiam in aliis Auctoribus inveniatur: Hinc de ejus ſignificatione anceps fuit apud Veteres & Novos diſceptatio.

48. Multi dixerunt, *Panem ſuperſubſtantialem* hic notari, quod & Vulg. lat. Verſio ita apud Matth. tranſtulit: apud Luc. XI. 3. habet *quotidianum*, quod & uſu communi receptum eſt. Per *ſuperſubſtantialem Panem* alii intelligebant ipſum *Chriſtum* cum ſua Gratia; alii S. *Euchariſtiam.*

Vid. *Grotius* ceterique Critici ad Loc. nec non *Wolfii* Curæ philolog. & Critic. in N. T.

49. Optime tamen videtur *Panem quotidianum* dici; quod *Caſtellio* ita expreſſit: *Victum noſtrum alimentarium da nobis hodie.* Si enim Oratio Dominica nihil de hujus præſentis Vitæ neceſſitatibus haberet, aliquid ei deeſſe videretur.

50. *Panis* ergo nomine, more Hebræorum aliorumque Populorum ea, quæ ad Vitam Corporis ſuſtentandam neceſſaria ſunt, intelligi debent. Sic ſane illa vox accipitur Gen. III. 19. XXVIII. 20. Prov. XXVII. 27. & alibi. Et quoniam Corpus noſtrum non modo

modo *Cibo* & *Potu* indiget, ſed & *Veſtitu* & *Habitaculo*; igitur & hæc intelligenda videntur. Apparet interim hinc, cum pauca ſint neceſſaria, paucis etiam nos eſſe contentos debere, nec ſuperflua deſideranda.

51. *Quotidianum* cum dicimus, videmur exprimere vim vocabuli Græci. Sic enim *Chryſoſtomus:* Ἄρτον ἐπιούσιον, τοῦτ ἐστιν ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα, *qui in ſubſtantiam corporis tranſit.* Idem ergo eſt, ac ſi petamus illam alimentorum portionem, quæ ad Corporis noſtri ſubſtantiam, quæ indies abſumitur, reficiendam & conſervandam requiritur.

52. *Noſtrum* porro Panem petimus, non alienum. Noſter eſt ille, quem rationibus legitimis nobis comparamus: Alienus, quem otioſa mendicitate, aut furtis ac rapinis, ſeu apertis ſeu occultis, quærimus. Non ergo ita petimus Panem, ut Laborem, quo victus paratur, fugiamus, 2 Theſſ. III. 12. Eph. IV. 28. Sed ut benedictionem divinam noſtris conatibus exoptemus.

53. Nam & ii, quibus per divinam Providentiam de victu neceſſario abunde proſpectum eſt, quales non modo divites, ſed & illi ſunt, quibus mediocriter ea, quibus indiget humana vita, adſunt; petitione iſta opus habent, ut rerum iſtarum uſus ſalutaris ac ad ſuſtentationem idoneus ſit. *Non* enim *ſolo Pane vivit homo, ſed omni Verbo, quod ex ore DEI exit,* Matth. IV. 4.

 54. Peti-

54. Petimus tandem, ut DEUS illum nobis *Hodie* det. Sic igitur profitemur noſtram indigentiam, quæ ſingulis diebus opus habet ſuſtentatione, atque ita nos a DEO pendere jubet, Pſ. CIV. 27, 28, 29. Dein docet, haud nimis de futuro tempore nos ſollicitos eſſe debere, Matth. VI. 24. 1 Tim. VI. 6-8. Phil. IV. 11. Sicque animum præſentibus contentum commendat.

55. Quinta Petitio eſt: *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Debita* dicuntur noſtra *Peccata*, Luc. XI. 4. Sic & C. XIII. 4. *Debitores* dicuntur, qui ſunt Peccatores. Dum enim Deo, quam debemus, obedientiam non præſtamus, contrahimus *Debita*, & reatum, qui nonniſi pœnarum exſolutione tollitur.

56. Hæc noſtra *Debita* cum nunquam diſſolvere poſſimus, nec pro peccatis DEO ſatisfacere, nulla ſpes adeſt, ex carcere Debitoribus conſtituto exeundi, Matth. V. 26. Hinc ergo ad Miſericordiam DEI confugimus, & ab eo *Remiſſionem* expetimus.

57. Oramus ergo DEUM, ut Peccatorum nobis noſtrorum veniam concedat, nec eas a nobis exigat pœnas, quas meriti ſumus. Sic & David petit Pſ. VI. 2. CXLIII. 2. Id vero dum petimus, Fide ad eum reſpicimus, qui pro nobis ſolvit λύτρον, *pretium;* ſcil. Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, in quo ſolo *habemus Remiſſionem peccatorum per ſanguinem ejus*, Coloſſ. I. 14.

58. Ad-

58. Addimus; & *nos remittere Debitoribus noſtris.* Quinam ſint iſti debitores noſtri quæritur. Non ſunt ſane illi, qui ex jure alicujus contractus vel pecunias creditas, vel pretium operæ, aut compenſationem mercium venditarum, aut rei locatæ debent. His enim non tenemur Debita remittere; ſed hi potius tenentur ſolvere, quod debent, Rom. XIII. 7, 8. Philem. 18, 19.

59. Sunt ergo hic *Debitores noſtri* illi, qui nos dictis aut factis offenderunt, aut damnum ſeu in Corpore, ſeu in Fama, ſeu denique in Poſſeſſionibus dederunt, aut quocunque alio modo nos læſerunt.

60. His Debitoribus remittimus, certe remittere debemus, Debita ſua, & injurias nobis illatas condonamus, cum de illis, quibus nos offenderunt, vindictam non capimus, nec ſatisfactionem ullam poſtulamus. Deponere itaque nos profitemur iram omnem, odium, malevolentiam, immo & offenſarum memoriam, & quidquid nos a charitatis & humanitatis officiis avertere, aut inimicitiam alere poteſt; Coloſſ. III. 12, 13.

61. Petimus itaque remiſſionem noſtrorum peccatorum, *ſicut & nos* remittimus offenſas ab aliis hominibus acceptas. Non eſt autem iſte verborum ſenſus, quod noſtra erga alios placabilitate mereamur, ut DEUS

nobis peccata condonet. Hæc enim eſſet in nobis arrogantia, ſi veniam delictorum ullo modo mereri nos putaremus.

62. Quænam ſit vera hujus additionis ratio ipſe Chriſtus docet, dum mox poſt iſtam petitionem præſcriptam ait: DEUM nobis remiſſurum peccata, ſi & ipſi proximo remiſerimus offenſas; ſin minus, nec DEUM nobis remiſſurum eſſe, Matth. VI. 14, 15. Itaque conſtat DEUM hoc ab hominibus poſtulare, ut ſi velint ſibi remitti, & ipſi aliis remittant. Dum ergo iſtud in precibus allegamus, aſſerimus idem nos aut feciſſe jam, aut facere paratos eſſe.

63. Sexta petitio eſt: *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Tentatio* eſt omne id, quod nobis incitamentum ad peccandum præbet, ſeu quod nos peccandi periculo exponit. Procedere ea ſolet vel a pravitate nobis inſita, de qua Gen. VI. 5. VIII. 21. Jac. I. 14, 15. Rom. VII. 23. vel ab aliorum hominum illecebris, ſeu verbo ſeu facto nobis propoſitis, vel a circumſtantiis varii generis, in quas nos divina Providentia detulit.

64. Nec ſane aliter DEUS hominem in tentationem *inducit*, niſi dum facit, aut permittit, ut is in tales incidat circumſtantias, in quibus peccandi periculo expoſitus eſt.
DEUS

DEUS enim *neminem tentat*, Jac. I. 13. Cum ergo precamur, ne DEUS nos inducat in tentationem; iſtud petimus, ut cuſtodiat nos a talibus periculis peccandi, avertat a nobis peccandi occaſiones, aut ubi in tales inciderimus, nobis præbeat facultatem inde ſine damno emergendi.

65. Sic igitur & averſionem periculi, & ſi in id inciderimus, divinæ Gratiæ auxilium expetimus, memores & conſcii infirmitatis noſtræ. Cum enim in nobis, id eſt, in Carne noſtra, nihil boni reſideat, haud poſſumus confidere, nos peccandi occaſione ſe offerente, & accedentibus illecebris, ſeu per pravos aliorum ſermones, ſeu per exempla, ſalvos & incolumes evaſuros eſſe.

66. Tentator autem κατ ἐξοχὴν, ſeu eminenti quadam ratione dicitur *Diabolus*, qui & Satanas, ſicque & Calumniator & Adverſarius noſter eſt. Vid. Matth. IV. 3. Is ſuorum artificiorum multa edidit ſpecimina, ut in Protoplaſtis Gen. III. in Jobo, Jobi I. 6, 7. in Davide, 1 Chron. XXI. 1. Idem etiam in Petro efficere ſtuduit, ut non modo laberetur, ſed & deficeret; quare & hunc & ceteros ſuos diſcipulos, ut ſibi caverent, monuit Dominus, Matth. XXVI. 41.

67. Ex hoc eodem loco iſtud quoque patet, quod & enixis precibus a DEO petere debeamus, ne velit nos tentationi exponere, aut in ea deſerere; & ſimul omnem adhibere diligentiam, ut vitemus tentationes, aut

fortiter ac prudenter in iis nos geramus. Non enim DEUS a tentationibus cuſtodiet eos, qui ipſi in eas procurrunt; nec auxilio iis erit, qui ſegnes ipſi fuerint in pugna adverſus ſalutis ſuæ hoſtes.

68. Liberationem porro *a Malo* petimus. *Malus* autem eſt Dæmon, omnis mali primus & ſolus Auctor, *Malum* etiam eſt Peccatum, quod & ſua natura pravum, & noſtræ miſeriæ, atque exitii æterni unica eſt ſcaturigo. Ab utroque liberari petimus, ne ab illo in hoc præcipitemur, atque ſic in æternum pereamus.

69. Quoniam vero in hac vita ab omni peccato & peccandi periculo nemo eſt, nec eſſe poteſt immunis, hinc non pro hac modo vita precamur, ut quantum ejus conditio permittit, ab eo liberemur; ſed & pro altera, ut aliquando ad eam perducamur, in qua vere ſancti & puri erimus ab omni labe, & cum DEO uniemur.

70. Extrema pars Orationis Dominicæ eſt *Concluſio* ſ. *Epilogus doxologicus : Quia tuum eſt Regnum, & Potentia, & Gloria in Sæcula. Amen.* De hac *Doxologia* diſſentiunt Eccleſiæ. Nam Romana eam non addit, quia in Latinis Codicibus tam Matth. quam Luc. & in ipſis quoque Græcis Lucæ deeſt, nec a Patribus Latinis exponitur. Omnis

au-

autem Græca Eccleſia utitur hac formula, 1. quoniam in Græcis ſi non omnibus, ſaltem plurimis & probatiſſimis Matthæi exſtat. 2. Quoniam *Chryſoſtomus* & alii Græci Patres eam exponunt. 3. Quoniam vetuſtiſſima Syriaca & Arabicæ quoque Verſiones Matthæi habent. 4. Quoniam in Orationibus Judæorum ſimiles doxologiæ fuerunt uſitatæ; quemadmodum & ſæpius in N. T. occurrunt.

71. Quod vero apud Lucam non exſtat, non facit, ut apud Matth. ſit omittenda. Notiſſimum enim eſt, ſæpiſſime unum Evangeliſtam aliquid de factis & dictis Chriſti commemorare, quod alter omiſerat. Et Lucas Doxologiam videtur tanquam formulam omnibus familiarem omittere voluiſſe, quia neceſſarium non cenſebat, ut a ſe adderetur. Cumque nihil contineat, niſi quod & Precationis naturæ, & pietati ac Scripturæ conſentaneum ſit, rectius eos facere exiſtimamus, qui retinent, quam qui omittunt.

72. Similes formulæ reperiuntur 1 Chron. XXIX. 11, 12. 1 Tim. I. 17. & VI. 16. Jud. ult. ut alia taceamus. Singula autem S. Scripturæ formulis conſentanea eſſe, in eorum expoſitione indicabitur.

73. Cum dicimus: *Tuum eſt Regnum;* glorificamus DEUM, ac profitemur, illud, de quo in Petitione ſecunda dictum, non aliud eſſe, quam DEI regnum. Eum itaque habere omnem illam poteſtatem, qua totum Uni-

verſum contineatur, ipſa imprimis Eccleſia; cui propterea de omnibus neceſſariis abunde proſpicere, ac ſingulorum etiam neceſſitatibus ſatisfacere poſſit.

74. Sic & *Potentia* DEI dicitur, qua ille Hoſtes ſui Regni & ſingulorum fidelium facile ſuperare, pericula ab iis avertere, & Regnum ſuum defendere, ac ſartum tectum conſervare queat. Pſ. LXXXIX. 14. 18.

75. DEI quoque eſſe dicimus *Gloriam*, quoniam ipſe ſolus omnes virtutes omnesque perfectiones in ſe habet. Quidquid ergo boni nobis obtingat, quidquid mali a nobis avertatur, id omne DEO Soli acceptum eſſe referendum. Illi propterea Gratias eſſe agendas, eum celebrandum, ejus Amore ac Timore corda noſtra implenda, omniaque noſtra dicta & facta ad eum glorificandum eſſe dirigenda. Conf. Pſalm. LXI. 9. LXXXIX. 7.9. Exod. XV. 11. Apoc. IV. 11.

76. Illa ergo *Doxologia* in eum finem addita, ut animi noſtri fiducia excitetur. Cum enim DEI eſſe & Regnum, & Potentiam, & Gloriam cogitamus, erigimur in certam ſpem, fore ut DEVS preces noſtras audiat, ac quæ petierimus, largiatur. Illud enim declaramus nos credere, DEVM & poſſe id facere, & velle. Ea enim Fides in precibus requiritur, ut DEO gratæ eſſe poſſint. Adde quod ita demonſtramus, DEI Gloriam præcipuum eſſe, quod in noſtris deſideriis ſpectare, & precibus expetere debeamus.

77.

77. Finitur omnis Oratio per vocem, *Amen.* Ea Hebræis uſitata eſt Votorum concluſio, qua validiſſime illa confirmantur, & una veluti voce repetuntur. Id Latini per *Fiat;* Græci per γένοιτο reddunt. Sic & Jerem. XXVIII. 6. ait: *Amen, ita faciat Jehova.* Et Pſalm. LXXXIX. ult. *Benedictus ſit Jehova in Sæculum* אמן ואמן, *Amen, iterumque Amen.*

Cap. XX. *De S. Miniſterio, & Officiis Miniſtrorum.*

1. Media illa & Adminicula Sanctificationis & Salutis noſtræ, de quibus Cap. XVIII. actum, ex magna parte ab *Eccleſiæ Miniſtris* proficiſci debent. De his aliquid dictum *Theol. dogmat.* Sect. I. C. XVII. §. 531. ſeqq. Nunc vero ejus Muneris partes diligentius conſiderandæ.

2. *Miniſterium Sacrum* eſt illud Munus, quod Chriſtus in Eccleſia N. T. inſtituit, ad eum finem, ut per certos homines primum alii ad Eccleſiam vocentur, & qui jam in ea ſunt, ſic inſtituantur ac ædificentur, ut magis magisque in cognitione veritatis ſalutaris proficiant, & ad piam ſanctamque vitam excitentur.

3. *Dein*, ut ii, qui Eccleſiæ nomen dederunt, ac ei ſeſe adjunxerunt, certis temporibus ad DEUM publice colendum convenientes, habeant idoneos Viros, qui illis in

Precibus & Sacramentorum adminiſtratione inſerviant.

4. *Tertio*, ut ſint, qui privatim quoque Curam Animarum habeant, ac, quæ cujusvis ſaluti promovendæ idonea ſunt, ſubſidia adhibeant.

5. *Quarto*, ut, ubi opus eſt, certo quodam Diſciplinæ genere ſegnes excitentur, contumaces coërceantur, ceterique omnes ad Mores Chriſtianis hominibus dignos ducantur.

6. *Quinto*, ut adſint homines in eminentiore loco conſtituti, & auctoritate haud deſtituti, qui ceteris Chriſtianis in Vita pia & ſancta, in devotione ac divini Cultus adſiduitate, ceterisque Virtutibus, exemplo illuſtri præeant.

7. Ex hac definitione cognoſcitur, quænam ſit natura, quænam partes iſtius Muneris. Has ſingulas nunc paucis explicabimus, & cum ex rei ipſius Natura, tum auctoritatibus S. Scripturæ comprobabimus.

8. Prima eſt hujus Muneris pars, homines ad Eccleſiam *vocare*, accedentes vero *inſtituere* & *ædificare* §. 2. Vocandi erant primum illi, qui ab Eccleſia alieni, ut Judæi & Gentiles. Id mandatum erat *Apoſtolis*, ceterisque Eccleſiæ Miniſtris extraordinariis, Matth. XXVIII. 19. Act. XIII. 2. Rom. I. 1. Nunc autem illis adhuc incumbit, qui aut Superiorum juſſu, aut Providentiæ divinæ ſapienter obſervatæ ductu, ad id deſtinatos ſe eſſe intelligunt.

9. Hos

9. Hos vero magna prudentia, magnoque animi robore præditos eſſe oportet, ut opus hoc dextre aggredi, & cum aliquo fructu peragere queant. Oportet porro ſolidiſſima eos Veritatis ſalutaris cognitione, & cum maxima ſimplicitate docendi facultate præditos eſſe. Oportet laboris & moleſtiarum patientes eſſe, nec non tandem, Linguarum cujusque Gentis, quam adeunt, peritiam habere.

10. Id vero per ſe absque noſtra admonitione intelligi poſſe putamus, ejus generis Præcones Evangelii, quos vulgo *Miſſionarios* vocant, Viros vere pios, & unico Gloriæ divinæ promovendæ deſiderio repletos eſſe, nec aliud quærere debere, quam ut Regnum DEI amplificetur. Minime igitur eos decet, ut opum & potentiæ augendæ intenti ſint, ſuaque potius commoda, quam hominum ſalutem quærant.

11. Non tamen ſemper opus eſt, ut longinquas adeamus Regiones, ad *Incredulos* ibi convertendos. Sunt enim in ipſis illis Terræ partibus, in quibus publice Chriſtianismus viget, innumeri, qui haudquaquam de veritate Evangelii perſuaſi ſunt. In his ſunt alii, qui Hypocritas agunt; alii aperta fronte incredulitatem profitentur.

12. Duo ſunt, quæ Miniſtros agere adverſus *Incredulos* oportet. Primum, ut illi,

li, ſi qua ratione fieri poterit, de Veritate Religionis Chriſt. convincantur, atque ſic & animo & corpore Eccleſiæ ſe adjungant. Secundo, ut alii a contagione hujus Mali, quæ facile ad plures ſerpit, cuſtodiantur.

13. Utrumque fit ſolida veritatis demonſtratione & errorum refutatione. Ea quomodo inſtituenda ſit, indicatum *Dogmat. Theol.* Sect. I. C. 1-7. & *Polem.* C. 1-3.

Rob. Boylei, celebris apud Anglos Viri, & eximii Philoſophi, Inſtitutum ad hoc potiſſimum pertinet, ut omnis Generis Increduli convincantur, & Veritas R. C. confirmetur ac defendatur.

14. Qui vero jam in Eccleſia verſantur, Inſtitutione ac Ædificatione opus habent. Sunt iſti vel juniores, vel ætate provectiores. Juniores aliique rudiores *catechizando* inſtituuntur. Alii vero aliter. De diverſis iſtis in Eccleſia docendi rationibus nunc paucis agendum.

15. Κατηχεῖν, quamvis de quacunque inſtitutione, imprimis tamen de ea, quæ viva voce fit, in N. T. accipitur, Luc. I. 4. Act. XXII. 21. 24. Gal. VI. 6. Sed in uſu Eccleſiæ Chriſtianæ tantum pro rudiorum inſtitutione plerunque accipi ſolet. Conſiſtit ergo in traditione *Elementorum Religionis Chriſt.* quæ fit viva voce, & per interrogationes & reſponſiones, prout rudiorum captui accommodatur.

16.

16. Solent eam ad rem Libelli ita compoſiti rudioribus ſuppeditari, in quibus *Quæſtiones* ſic ſcribuntur, ut a Magiſtro proponi videantur, qui Auditores examinet. Auditoribus præſcribuntur *Reſponſiones*, quas memoriæ mandatas adferant, atque Quæſtionibus prælectis reponant.

17. In his Catechismis ad duo maxime attendendum. 1. Ad res in iis tradendas. 2. ad Methodum, qua illæ traduntur.

18. Res tradendas oportet eſſe primum veritates maxime neceſſarias, nec modo dogmaticas, ſed etiam practicas. In quo genere videmus pleroſque, inprimis vetuſtiores, Catechismos, in quibus & *Palatinus* eſt, a recta via aberrare, cum credenda copioſe & diligenter, facienda parce & obiter tractant. Erant homines in ea olim ſententia; diſputando de Credendis potius, quam agendo, Religionem Chriſt. abſolvi, quod tamen falſum eſſe conſtat. Vid. *Encyclop. Theol.* C. V. §. 13.

19. Alius porro Catechismorum vulgarium eſt defectus, quod de *Fundamentis* omnis Religionis parum ſolliciti, ipſa tantum dogmata tractent. Poterat illa ratio vetuſtioribus temporibus valere, quibus rari erant inter Chriſtianos, qui de illis dubitarent. Nunc vero cum Incredulis omnia plena ſint, alia ratio eſt neceſſaria.

Vid. *Oſterwaldii* Fontes corruptionis &c. Cap. I. & *Saurini* Præfat. Catechismo præmiſſa.

20. Opor-

20. Oportet ergo Catechiſmum etiam illa continere quæ de Exiſtentia DEI, de primis Veritatibus Religionis naturalis, de Veritate Religionis Chriſt. de S. Scripturæ divina origine certam contineant demonſtrationem.

21. Ubi vero publice tales Catechiſmi recepti ſunt, in quibus illæ Veritates prorſus omittuntur; ibi oportet docentem Prolegomenorum loco ea ſuæ Inſtitutioni præmittere, ac fundamenti loco ſubſternere, niſi ædificium arenæ ſuperſtruere velit, facile collapſurum.

22. Porro, quo ſunt rudiores Catechumeni, eo magis in generalibus eſt ſubſiſtendum. His primum bene perceptis & explicatis, dein ad magis ſpecialia procedendum, ut ita per gradus paullatim ulterius diſcipuli perducantur.

23. Sic itaque aut breviores Catechiſmi pro rudioribus componendi, aut ex longioribus ea a Magiſtro excerpenda, quæ rudioribus conveniant, eaque tamdiu inculcanda & repetenda, donec probe animo impreſſa ſint.

24. Officiorum imprimis Chriſtiani hominis & Virtutum pertractatio diligens & accurata eſſe debet. Ea vero ſic inſtituenda, ut poſt generalia, etiam ſpecialia addantur, & omnia rationibus, & S. Scripturæ auctoritatibus confirmentur.

25. Methodus vero majorem peritiam ac dili-

diligentiam requirit, quam plerique exiſtimant. Nam facile eſt quæſtiones præſcriptas prælegere, & reſponſiones memoriter recitatas audire. Sed tam Quæſtiones quam Reſponſiones ſimpliciſſime reſolutas ita proponere, ut rudiores diſtincte capiant, hoc vero eſt difficillimum. Meditatione ad hoc & exercitatione haud mediocri opus eſt.

26. Optimum illud videtur, ſi propoſita & declarata quæſtione, ac audita Diſcipuli reſponſione, Magiſter Diſcipuli perſonam induat, ac propoſitis ſimplicioribus quæſtionibus cognoſcat, numquid diſcipulus ex reſponſione jam data, ſatisfacere queat.

27. Utiliſſimum vero iſtud eſt, ut ſingulorum vocabulorum, quæ occurrunt, definitiones ab auditoribus exigantur, & ubi dari non poſſunt, a docente ſuppeditentur. Sic enim non *memoria* tantum diſcentium, ſed & *judicium* exercebitur.

28. Præcipuum vero eſſe putamus Catechetæ officium, ſi *Cordi* & *Affectui* Auditorum veritates commendentur. Sic enim demum fructus exoptatos ferent. Ad id faciendum opus eſt, ut dogmatum quorumcunque influxus in praxin diligenter demonſtretur; ut præjudicia practica, & impedimenta Virtutis removeantur; ut exempla tam recte quam male factorum ex S. Script. ſæpius proponantur; ut tandem ad exercitia pietatis ſæpius inſtituenda juniores velut manu ducantur.

29. Hoc

29. Hoc vero non eo ſolum modo fieri debet, ut formulas Precum memoriæ mandatas recitare cum attentione & animi devotione diſcant: Sed ut ipſi quoque adſueſcant, animi ſui deſideria & cogitationes verbis utcunque exprimere, atque ita colloquia veneratione plena, quamvis tenuia ac ſimplicia, cum Deo inſtituere.

30. Illud quoque in votis eſt, ut *Hiſtoria* S. tam V. quam N. T. rudioribus brevi quodam ac ſimpliciſſimo Compendio tradatur. Nam illa & in ſe copioſam continet inſtitutionis & ædificationis materiam, & Religionis dogmatibus haud mediocrem lucem adfundet.

31. Tales catecheticæ Inſtitutiones & privatim & publice *ſæpius* ſunt adhibendæ. Id privatim faciendum, quoniam rudiores facilius animi ſui receſſus aperiunt, nec pudore multitudinis circumſtantis impediuntur. Adde quod non tot horæ publicæ his exercitiis deſtinatæ ſunt, ut ſufficiant rudioribus plerisque inſtituendis: addendæ igitur ſunt privatæ.

32. Publice tamen idem quoque fieri debet, eo quod plures ſimul audire, & Doctrinæ ſalutaris expoſitionibus, nec non exhortationibus, aliisque rationibus ædificari poſſunt. In Cœtibus omnibus multi ſunt rudiores, qui propter ætatem provectiorem nunquam interſunt privatis Catechiſationibus.

33. Al-

33. Alter modus, quo eorum, qui ſunt in Eccleſia, imprimis provectiorum, inſtitutioni publicæ proſpectum eſt, in *Concionibus* habendis, & S. *Scriptura prælegenda* conſiſtit. Nec dubitamus, quin S. Scripturæ diſtincta prælectio, eaque nuda, cum piis tamen precibus & hymnis ſacris conjuncta, magnum habeat ad ædificationem momentum.

34. Sed quoniam S. Scriptura paſſim expoſitione opus habet; imprimis vero cum indigeat applicatione ad uſum & conditionem audientium; hinc ſapienter illæ faciunt Eccleſiæ, quæ illius Libros integros cum declaratione paraphraſtica, & ad uſus practicos applicatione prælegendos ſæpius curant.

35. Nec dubitamus, quin ejuscemodi Exercitia ſacra, ſi frequentius publice inſtituantur, uſum majorem ſint habitura, quam ipſæ Conciones Et Veterum *Homiliæ* plerumque nihil erant aliud, quam Expoſitiones Verbi divini, cum addita exhortatione & conſolatione.

36. Cum tamen uſus ille ſit introductus, ut publica ædificatio, *Concionibus* potiſſimum promoveatur, oporteat ut & de his aliquid dicamus. Eſt autem *Concio*, Sermo a Miniſtro Eccleſiæ ex Verbo DEI ad Eccleſiam habitus, eo fine, ut ea per ſolidam veritatum ſalutarium expoſitionem, earumque applicationem ad ſanctificationem promovendam ædificetur.

Mirum, quod plerique hodie pro *Concionibus Sermones Sacros* dicere malint.

37. Conciones non opus habent ſollicita artis oratoriæ & eruditionis humanæ oſtentatione. Per hanc potius corrumpuntur, & a Scopo ſuo aberrant. Pro ædificatione Eccleſiæ nonnulli quærunt plauſus, & Oratoris gloriam DEI gloria potiorem habent.

38. Nec illi funguntur Evangelici Præconis munere, qui de rebus divinis, & præcipue de hominum officiis, ita differunt, ut Scholas potius philoſophicas habere, quam Evangelium Populo Chriſtiano annuntiare velle videantur.

Utinam nulli aut pauci Eccleſiarum Miniſtri, huic corrupto Sæculi Guſtui ſeſe accommodarent, ut *Senecam* potius & *Platonem*, quam *Chriſtum* & *Paulum* ſequantur!

39. *Evangelica* ergo & Chriſtiana illa demum eſt Concio, quæ non Textum modo, ſeu Argumentum ex S. Scriptura depromit; ſed & præter ratiocinia, quibus dicta confirmat, S. Scripturæ auctoritatibus utitur; quæ porro etiam officia potiſſimum hominis Chriſtiani pertractat, & rationibus ac motivis ex Evangelica doctrina depromtis confirmat; quæ denique non *moralem* ſolam doctrinam, ſed & *fidem* in Chriſtum, ac *reſipiſcentiam* commendat.

40. Quamvis autem minime ad eruditionem oſtentandam comparatæ eſſe debeant *Conciones*; nemo tamen bene ſe concionaturum ſperare poterit, niſi idoneo eruditionis Theologicæ apparatu inſtructus, ut & ipſe ſuarum Ora-

Orationum auctor eſſe, & omnia ad ædificationem Gregis adaptare, ceteriſque partibus Muneris Evangelici cum fructu & auctoritate fungi queat.

41. Numquam Verbi divini Miniſter ad Concionem habendam ſe accinget, niſi prius probe ſe ad illam paraverit. *Præparatio* primum pias ad DEVM *preces* exigit, ſine cujus Spiritu & Gratia nihil unquam boni perfici poterit. Dein *Textus*, ut vocatur, ſeu partis cujusdam ex S. Script. quam pertractare velis, delectum. Tertio *Meditationem* cum de dicendis, tum de Methodo dicendorum. Porro ſequitur *Compoſitio*, ut dicenda ordine conſcribantur. Tandem opus eſt, ut *Memoriæ*, quantum ſufficit, imprimantur.

42. *Textus* ubi præſcripti ſunt, iis inhærendum eſt; ubi in arbitrio eſt, deligendi ſunt tales, in quibus potiſſimum utilis ad ædificationem Eccleſiæ doctrina contineatur, ſive illa theoretica ſive practica ſit. Nam in Eccleſia Chriſtiana aliunde, quam ex Verbo DEI dicendorum argumentum depromere non licet, 1 Petr. IV. 11.

43. In ratione hujus delectus ad finem quoque illum reſpiciendum eſt, quo nobis propoſitum eſt aut S. Scripturam aliis exponere, aut Thema aliquod pertractare. Utraque enim Methodus ad ædificationem ſuo modo plurimum confert. Prior etiam illis imprimis in Eccleſiis valde neceſſaria, ubi S. Scriptura nunquam; aut rarius Cœtui prælegitur & explicatur.

 44. Quod

44. Quod ſi itaque hoc nobis propoſitum ſit, ut pro Concione Partem aliquam S. Scripturæ, & ſeu integrum Librum in certas Pericopas diviſum, vel ſelectas hinc inde Sectiones exponere, atque ædificationi adaptare velimus; primum quidem opera danda eſt, ut ipſi ſenſum ejus probe percipiamus. Adhibenda igitur illa ſunt Interpretationis ſubſidia, de quib. actum *Theol.dogm.* Sect.I. §. 285 - 293.

45. Duo heic addimus *Monita* ſalutaria. Unum; ut Interpres S. Scripturæ ſemper ad *Scopum* S. Scriptoris, atque adeo ad *Nexum* verborum & rerum, unde judicium de Scopo ferri poteſt, reſpiciat. Alterum; ut *litteralem* ſenſum primum quærat, nec tamen omittat *myſticum*, ſi talem adeſſe certis indiciis conſtet.

46. Diverſas, quæ ſæpe occurrunt, Interpretum ſententias expendere quidem & inter ſe comparare debet Concionator, ſecundum Regulam 1 Theſſ. V. 21. rarius vero in Suggeſtum deferre; 1. ne videatur eruditionem oſtentare, quod ſemper ab iſto loco alienum eſt. 2. ne rudiores in dubitationem conjiciat, ut auditis diverſis Interpretationibus ſenſum Verbi divini incertum eſſe putet.

47. Etiam hoc monitum haud videtur negligendum eſſe; non debere Miniſtros facile novas & anteà inauditas S. Scripturæ expoſitiones in Suggeſtum adferre, ne ſimpliciores offendantur, & de doctrinis publice receptis dubii reddantur. Illud ſtudium novitatis,

quam-

quamvis aliquando ad progreſſus in Scientiis & in eruditione faciendas conducat, tamen ad ædificationem populi parum facit.

48. Si itaque Textus, quantum ſatis eſt, expoſitus fuerit, oportet ut ex eo *Uſus* deducantur, ad ædificationem idonei. Iſti commemorantur in dicto Apoſtoli 2 Tim. III. 16. *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν. Ad doctrinam, ad refutationem errorum, ad correctionem vitæ, ad exhortationem, vel inſtitutionem virtutis;* quibus accedit Uſus *παρακλήσεως*, ſeu *conſolationis.*

49. Priores duo Uſus theoretici ſunt, reliqui tres practici. Quoniam vero practicæ doctrinæ ad vitæ emendationem immediate faciunt, hinc & illis magis ſemper eſt inſiſtendum, quam theoreticis; ut non intellectus modo inſtituatur, ſed & voluntas potiſſimum permoveatur.

50. Additur in fine Votum, atque ſic Concio concluditur. Sed monendum etiam, non in unoquoque Textu omnes illos *Uſus* reconditos eſſe. Itaque non omnes ſemper tractari poſſe. Porro plerumque unus ex illis uſibus eſt in quovis textu præcipuus; cui propterea præ aliis ſit inſiſtendum.

51. Quum vero non S. Scripturæ interpretatio ſola, ſed & accuratior ac uberior Veritatum Religionis Chriſt. pertractatio, noſtris Auditoribus ſit neceſſaria, hinc & de hac ſerio cogitandum. Illa ergo aut eſt dogmatica, aut moralis.

 52. Utra-

52. Utraque primum accurate explicanda, & dein argumentis idoneis comprobanda eſt: Explicatio dogmatum ex S. Scriptura, & Libris noſtræ Eccleſiæ ſymbolicis, item aliis orthodoxis auctoribus eſt deducenda: Comprobatio non tam ex rationibus, quam ex S. Scripturæ auctoritate petenda, & quam accuratiſſime firmanda eſt.

53. Ex doctrina theoretica deducendi ſunt *Uſus* practici, §. 49. ut ita doceatur, quid ad Virtutis Studium, ac Vitiorum correctionem; quid denique ad Conſolationem piorum ex quovis dogmate hauriri, & iis, quibus ſingula conveniunt, applicari poſſit.

54. Thema autem morale, poſtquam explicatum & probatum fuerit, per exhortationem, correptionem, conſolationem, ſecundum conditionem Auditorum applicandum, & cum Animorum motu ſic urgendum erit, ut uberrimus inde fructus ſperari poſſit.

55. In practicis enim Veritatibus non id ſolum quærendum, ut homines doceantur; ſed & præcipue, ut moveantur. *Movere* eſt Auditores eo adducere, ut in animis eorum oriatur propoſitum, id quod pium & ſanctum eſt amandi & ſectandi, peccata autem averſandi & fugiendi.

56. Moventur Auditores non verborum, ſed præcipue argumentorum vivide propoſitorum pondere. Id fit, ſi obligatio noſtra ad officium præſtandum, Virtutis præſtantia,

tia, utilitas & neceſſitas, Vitiorum turpitudo, detrimentum & exitii inde naſcentis certitudo, amor DEI in Bonos & præmiorum magnitudo, odium in malos, & pœnarum atrocitas, diligentiſſime inculcetur.

57. Exemplum præcipue perfectiſſimæ ſanctitatis, quod in Servatore noſtro J. C habemus; Amor, quem in toto Redemptionis opere in homines demonſtravit, magnitudo cruciatuum, & mortis truculentia, quam pro nobis tulit, maximam habent vim ad hominem commovendum. Cetera vid. Cap. XVI.

58. Non omittenda eſt obſervatio & remotio Impedimentorum, & ſuppeditatio Mediorum, quorum ope Impedimenta removenda ac ſuperanda ſint. Vid. Cap. XVII. & XVIII.

59. Sic ergo in practicis non generalia tantum officia, ut de neceſſitate Reſipiſcentiæ & Fidei; ſed & ſpecialia, ut de partibus illorum officiorum, & de illis quoque officiis, quæ diverſæ conditionis hominibus incumbunt, ſæpius agendum eſt; & ſæpius quoque moralia, quam dogmatica, rariſſime vero polemica pro Concione ſunt tractanda.

60. Oportet nunc quoque de partibus Concionis aliquid addere. Sunt vero proprie tres tantum partes: *Exordium*, *Tractatio* & *Epilogus*. Nam *Votum* Exordio, *Partitio-*

titionem Tractationi adnumerare poſſumus; *Uſus* vero & *Applicationem* Epilogi nomine comprehendere debemus.

61. Poſtquam ſenſus Textus delecti, aut Thematis pertractatio probe fuerit percepta, & meditatione digeſta, tum oportet, ut de *Exordio* Orationis ſumendo cogitemus. Quod enim in dicendo primum eſt, illud in meditando poſtremum eſſe debet. Oportet prius Argumentum Concionis paratum habere, ut poſſimus colligere, quodnam ei conveniat Exordium.

62. *Exordia* apud veteres Oratores trium rerum gratia ſumebantur; ut *benevole*, ut *intelligenter*, ut *attente* audirentur. Ad Benevolentiam impetrandam variis utebantur artificiis. Attentionem etiam verbis conceptis petere ſolebant. Neutrum Concionatori Evangelico neceſſarium eſt. Non enim pii Auditores, alio animo ad Templa conveniunt, quam ut attente ac favente animo audiant dicturum. Supereſt ergo illud ſolum, ut *Exordia* noſtra intelligentiam Textus aut Thematis promoveant.

63. Hinc ſequitur Exordium ab aliqua re eſſe ducendum, quæ cum Textu aut Themate Oratoris adfinitatem habeat, nec tamen Tractationem neceſſario ingrediatur: Si argumento adfine non eſſet, tum nullam haberet utilitatem. Tale dicitur Exordium nimis *remotum*. Alterum vero, quod aliquam

quam ipſius Tactationis partem contineret, nimis eſſet *propinquum.*

64. Exordium, quod nullam prorſus habet cum Argumento Concionis adfinitatem, dicitur quoque nimis *Commune*, quia in omnibus ſimiliter adhiberi poſſet, ac ſcopo ſuo excideret. Sic etiam ſi Exordium non gravem aliquam ac utilem contineret ſententiam, tum faſtidium potius, quam delectationem in Auditoribus excitaret.

65. Oportet ergo Exordium pro ſua veluti *Baſi* confeſtim ab initio continere ſententiam aliquam gravem ſeu ipſis S. Scripturæ verbis, ſeu noſtris expreſſam. Eam dein oportet per brevem quandam explicationem ac demonſtrationem deducere; ac tandem argumento noſtræ Concionis applicare.

66. Exordium ſequitur Textus repetitio, & cum antecedentibus S. Scripturæ verbis *Connexio*, per quam explicationi Textus & Tractationi Thematis via paratur. Ubi vero nulla eſt connexio, aut non ſine graviore difficultate invenitur, prout aliquando fit, ibi & diu ea quærenda non eſt; aut vi quadam adducenda.

67. *Votum* Connexioni vel præmitti vel poſtponi poteſt. Illud oportet eſſe breviſſimum, ne Oratio nimium diu interrumpatur. Oportet idem non nimis vulgare eſſe, nec eadem ſemper formula concipi, ne absque attentione & ex mera conſuetudine proferatur & audiatur.

68. Tum ſtatim incipit *Tractatio*, & quidem ita, ut confeſtim proponatur ejus argumentum, idque ut vel Textus ſimpliciter declarandus, vel Thema in eo contentum tractandum ſit. Sic enim auditores intelligent, qua de re agendum ſit, & ad quid potiſſimum ſuam dirigere cogitationem debeant.

69. Cavendum tamen, ne Textus prolixior facile totus repetatur. Sic enim Concionator deſidiæ ſuæ litare, ac tempus inutili repetitione eorum verborum terere velle videbitur. Itaque brevi textu repetito, aut prolixioris argumento paucis indicato, inſtituenda eſt *Partitio*, cum ea opus eſt. Sic ſi Textus pluribus conſtet propoſitionibus, ſingulæ ſeorſim declarandæ. Si Hiſtoria plures contineat circumſtantias, ſingulæ erunt ordine exponendæ.

70. Sin vero Thema pertractandum pluribus conſtet partibus, oportet eas indicare; ſed ita, ut numerum nec absque neceſſitate augeamus, nec nimis minuamus. Prius cum ſit, plures erunt partes, quam opus ſit, & memoria tam dicentis quam audientium nimis onerabitur. Adde quod ſit metuendum, ne noſtra Tractatio modum conſuetum excedat.

71. Sin pauciores, quam par eſt, faciemus, tum illæ erunt nimium generales. Aut ergo per ſubdiviſiones porro in partes minores erunt diſſecandæ, quod rectius evitabitur, niſi prorſus neceſſarium eſſe videatur; aut nullam

lucem

lucem partes illæ in rerum ipſarum tractatione adferent.

72. Quælibet propoſitio aut ſententia in duas ſtatim partes diſſolvitur, *Subjectum*, ſeu id, de quo agitur: & *prædicatum*, ſeu id, quod de illo dicitur. Thematis vero, aut veritatis ſeu dogmaticæ ſeu moralis tractatio rurſus duas habet partes ubique & ſemper neceſſarias, ſcilicet, *Explicationem* & *Demonſtrationem.* In utroque genere ordo concinnus & perſpicuitas ſtudioſe obſervari debent.

73. Singularum deinde Partium tractatio ſequitur eo ordine inſtituenda, quo Partitio inſtituta fuit. Habenda eſt ratio temporis, quod ſingularum partium tractationi ſit impendendum, Tantum enim illud eſſe debet, quantum ſufficit; non tamen tamdiu uni inhærendum, ut ceteris non, quod ſufficiat, relinquatur. In omni vero tractatione & illud videndum, ne Applicationi tempus ex magna parte præripiatur.

74. Modus enim temporis, quamvis non præſcriptus, tamen obſervandus eſt, ut nec in brevitate, nec in longitudine nimia peccetur. Qui nimium breves eſſe laborant, aut obſcuri fiunt, aut imperfectas ſolummodo Conciones componunt. Qui nimis prolixi ſunt, tædium adferunt Auditoribus, & attentionem illorum turbant; immo interdum efficiunt, ut Auditores ab eorum audiendis Concionibus abſterreantur.

75. Tandem procedendum ad Concluſio-

nem

nem Orationis, ſeu *Epilogum*. Si Thema fuerit *dogmaticum* aut *polemicum*, tum *Uſus* inde erunt deducendi, qui ad *Praxin* tendant. Nam in hoc genere idem fere agendum, quod in Textuum meris explicationibus. Vid. § 48. ſeq. Sin vero Thema *practicum* tractaveris, tum *Applicatione* illius accurata opus erit.

76. *Applicatio*, non eſt, ut multi exiſtimare videntur, pars minus neceſſaria Concionis. Ex eo errore ſane fit, ut ſint Concionatores, qui vel nullam, vel nimis brevem ac jejunam *Applicationem* addunt, in ſola *Tractatione* deſudantes. E contrario illi, qui ad veram Concionis naturam & finem attendunt, haud exiguum ſtudium huic parti impendendum eſſe cenſent.

77. Tanto acrius hic incumbendum eſt, quoniam *Applicatio* eſt pars Concionis omnium difficillima. Multos reperias, qui in *Explicatione* haud rudes nec ſegnes ſint; in *Applicatione* autem prorſus frigeant. Id inde fit, quod ad priorem quidem multa ſint Librorum & Commentariorum ſubſidia; ad hanc vero propria meditatione, proprio judicio, proprioque ingenio, immo & fervore ac Zelo opus ſit.

78. In omni practicæ veritatis applicatione locum habet 1. Reprehenſio vitiorum ac peccatorum. 2. Exhortatio ad officia. 3. Confirmatio & Conſolatio piorum.

79.

79. Peccatorum *Reprehenſio* non generalis modo eſſe debet, quatenus omnes homines iis poſſunt eſſe gravati, ſed & ſpecialis, prout in eo cœtu, cui Concionator præeſt, potiſſimum regnant: Nec apertorum tantum, ſed & occultorum. Peccata vero nunquam ſic reprehendenda, ut homines illis infecti vel nominentur, vel tam aperte deſignentur, ut ab aliis agnoſci queant.

80. Omnis Reprehenſio debet eſſe *gravis*, id eſt, talis, ut ſeveritatem dicentis patefaciat. Debet eſſe *fervida*, ac Zelum convenientem demonſtrare. Debet eſſe *ſolida*, ut veritati conſentanea ſit, nec vitia in Cœtu, ad quem loquimur, ignota tangat. Debet eſſe *Charitate plena*, ne ex iracundia quadam, aut atra bile; ſed ex mero Gregis & ſingulorum in Grege amore, ac ſalutis eorum deſiderio oriatur.

81. Debet etiam eſſe *moderata* Reprehenſio, ne vel in augenda vitiorum multitudine ac atrocitate modum excedat; vel verbis aſperis & convitii plenis efferatur; vel ſummos infimosque inter ſe confundat, ac inferioribus contemtum ſuperiorum inſtillet. Prudentia heic opus, ne plus noceat ædificationi, quam proſit, Reprehenſio.

82.

82. *Exhortatio* ad Virtutem & Officia Chriſtiano digna & ſequi & præcedere reprehenſionem poteſt. Libertati hoc Oratoris relinquitur. Hæc ex illis deducenda eſt rationibus, quæ §. 56. indicatæ ſunt. Debet eſſe *perſpicua*, *gravis*, *fervens*, *ſolida* & *affectibus plena*. Pondus haud exiguum addetur, ſi frequentes & ſelectæ ex Verbo DEI ſententiæ adducantur.

83. *Conſolatio* quo loco ponatur in Applicatione, perinde eſt. Illa vero in eo conſiſtit, ut animi eorum, qui ſunt peccatorum ſuorum ſenſu perculſi, ad ſpem Gratiæ & Miſericordiæ divinæ erigantur. Quandoque etiam illis applicanda eſt Conſolatio, quibus aliqua corporea afflictio ſeu publice ſeu privatim incumbit.

84. Fons generalis *Conſolationis* omnis eſt Verbum DEI. Speciales fontes ſunt divinæ promiſſiones; ſunt exempla patientiæ aliorum, ac imprimis Servatoris noſtri J. C. ſunt exempla liberationis ac opis, quam DEUS omnibus tulit.

85. Simul excitanda eſt & confirmanda *Fides* ſeu fiducia in DEUM & Chriſtum. Inculcanda DEI Benignitas, paternus Amor, juvandi Voluntas & prompta & potens, Afflictionum utilitas, ſalutaris exploratio, caſtigatio, rerum mundanarum vanitas, Bonorum ſpiritualium & cœleſtium magnitudo, Felicitas piorum &c.

86. Conſolatio debet eſſe *ſolida*, *charitatis* *ple-*

plena, ex *adfectu συμπαθείας profluens*, *Unctione* ſanctificata, *ſententiis* multis & *verbis S. Scripturæ* concepta, cum prudentia & judicio pio *diſpenſata*, non nimis *generalis*, ſed idoneis limitibus *circumſcripta*, ne illi eam temere ſibi tribuere poſſint, quibus haud debetur.

87. Conſolatio non debetur Impiis, & in peccato induratis, aut in carnali ſecuritate viventibus: ſed illis, quorum ſunt animi adflicti & onerati, Matth. XI. 28. Quemadmodum eos, qui ſuam ſentiunt miſeriam, nimia verborum ſeveritate terrere haud debemus: Ita nec contumaces, cœci, ſuæque indignitatis ignari, verborum ac ſententiarum delinimentis mulceri debent. Utrumque ſaluti animarum obeſt plurimum.

88. Omnibus tandem Colophonis loco imponitur *Votum*, & *Amen* dicitur. De illo quæ dicta ſunt §. 67. etiam huc pertinent. Opera danda, ut *Votum* in fine Orationis additum ſtimulum in audientium animis relinquat, & univerſam Concionem quaſi obſignet efficaci quadam verborum brevitate.

89. *Stilus* aut *Elocutio* in Concionum compoſitione minime negligi debet. Incomtus enim, inconcinnus, barbarus aliiſque vitiis laborans ſtilus optimarum ſæpe rerum tractationem corrumpit. Virtutes autem ſtili egregie Orationem commendant.

90. Quænam vero ſint Virtutes, quænam Vitia ſtili, a Rhetoribus diſcendum exiſtimamus.

namus. Monitum addimus in omnibus rebus utile: Ne quid nimis. Nec in ſtudio elegantiæ modus excedendus, nec in ejus neglectu. Imprimis autem perſpicuitatis & dignitatis habenda ratio, ut & facile intelligamur, & Verbum DEI eo modo, quo decet, efferamus.

91. Supereſt *Pronuntiatio*, ſeu *Recitatio* Concionis, de qua, ſicut & de *Actione*, ſeu Geſtuum conformatione, iterum Rhetores ſunt audiendi. Vitia pronuntiationis præcipue vitanda hæc: *Vox exilis* & obtuſa, aut non ſatis expreſſa & articulata; porro *Monotonia*, ſeu continua & velut in orbem rediens modulatio, ſeu cantillatio, qua nihil eſt Auditoribus moleſtius, & quod magis vim Orationis imminuat.

92. Virtutes ſunt: maſcula vocis, adhibita omni laterum contentione, moderatio; varietas rerum & partium Orationis varietati attemperata; adfectui imprimis dicentis accommodata, ut *Exordium* lente ac clare, *Tractatio* vivide (non frigide ac ſegniter), *Applicatio* cum fervore proferatur. *Exhortationes* & *Reprehenſiones* concitata, *Conſolationes* ſuaviore ac leniuſcula voce dicendæ.

93. *Actio* & *Geſtus ſtatum* Oratoris poſtulat erectum & firmum, damnat hinc inde vacillantem. *Oculos* petit apertos, & modeſte circumſpicientes; *Manus* non otioſas, nec tamen nimis vel protenſas, vel elatas, vel in perpetuo motu conſtitutas; *Dexteram* præcipue

pue cum decore & gravitate adhibitam; utramque manum nonniſi in graviore animorum motu ſimul agitatam.

94. Ut vero hæc Orationis Pronuntiatio & Oratoris Actio bene ſuccedat, opus eſt ut *Memoriæ* Concio firmiter ſit impreſſa. Non ergo probamus extemporaneam quorundam temeritatem: ſed ſuademus, ut univerſæ Concionis primo *Schema* & *Diſpoſitio*, deinde *Elaboratio*, accurate conficiatur; ac tandem ut Memoriæ, quantum ſat eſt, imprimatur. Hanc curam poſtulat & Verbi divini, quod tractamus, dignitas, & Eccleſiæ, ad quam loquimur, Reverentia, quæ utraque Concionanti curæ eſſe debent.

95. Sunt & alia, quæ Miniſtris Eccleſiæ publice ſunt agenda. Huc pertinet *Sacramentorum* Adminiſtratio: *Precum* recitatio: *Hymnorum* canendorum deſignatio: *Matrimonii* conſecratio: *Diſciplinæ* Eccleſiaſticæ exercitium. De ſingulis aliquid monendum.

96. De *Sacramentis* actum *Theolog. Dogmat.* Sect. II. Huc pertinet iſtud Monitum: Nemo baptizet *adultum* hominem, ab Infidelibus ad Chriſtianos accedentem, niſi probe & cum cura inſtitutum & exploratum, ac publica Fidei profeſſione facta Baptiſmum petentem.

97. Aliud Monitum: Non baptizetur *Infans*, niſi a Parentibus, aut ſi Parentes non adſint, a Conſanguineis; ſin & hi deſint, ab iis oblatum, qui ſpondeant, ſe eum in Chri-

na Fide educaturos eſſe. Baptizandi ſunt ſi fieri poteſt, publice, & ritibus a Chriſto præſcriptis, ac in Eccleſia receptis.

98. De *S. Cœna* itidem nonnulla moneri poſſunt ad Prudentiam paſtoralem pertinentia. 1. S. Cœna frequenter celebranda: non tamen frequentius, quam in ſingulis Eccleſiis receptum eſt. 2. Ipſe Miniſter aliis in hac parte exemplo ſit. 3. Hortetur omnes ad frequentem Communionem, nec tamen quemquam cogat.

99. Porro 4. S. Cœnam ſecundum ritus a DOMINO inſtitutos peragat. 5. Non admittat indignos, aut imparatos, nec eos, qui prorſus ignoti ſint, niſi ab aliis Eccleſiæ Miniſtris fide digna adferant Teſtimonia. 6. Ægrotis ac ſenibus, qui publico Cultui intereſſe nequeunt, privatim S. Euchariſtiam poſcentibus præbeat.

100. *Preces* Eccleſiaſticæ non extempore ſunt fundendæ, nec, ubi præſcriptæ ſunt publice, a V. D. Miniſtro vel negligendæ, vel immutandæ. Habent enim Formulæ præſcriptæ non modo publicam auctoritatem; ſed & utilitatem inſignem, dum attentio augetur, & quilibet Auditor tanto facilius recitantem Miniſtrum ſequitur.

101. Recitare illas preces debet Miniſter, non clara ſolum & diſtincta voce; ſed & cum ardore ac devotione; nec parum illi peccant, qui frigide ac ſine adfectu prælegunt, ut nec ipſi

ipſi permoveri, nec Auditores movere velle videantur.

102. *Hymni* S. in Eccleſia canendi ſunt, ſecundum exemplum Eccleſiæ Iſraëliticæ, & Chriſtianæ primitivæ. Huc pertinet uſus Inſtrumentorum, ſeu *Organorum* muſicorum, quorum frequens eſt in Pſalmis mentio; ſi introductus ſit.

103. *Pſalmi* Davidis & aliorum Prophetarum, quamvis primum ad uſum V. T. compoſiti, & in illa Eccleſia uſitati fuerunt; tamen nec in N. T. negligi debent. E contrario cum fructu & ædificatione adhiberi poſſunt. Ex illis depromtum *Hymnum* ipſe Chriſtus cecinit cum Diſcipulis, Matth. XXVI. 30. *Pſalmos* commendant etiam Apoſtoli Eph. V. 19. Coloſſ. III. 16. Jac. V. 13. Primi quoque Chriſtiani, & deinde illi, qui relicto Papatu Reformationem amplexi ſunt, eosdem religioſe decantarunt, ut Dei Verbum.

104. Quamvis ergo haud omnes temporibus N. T. & conditioni Eccleſiæ Chriſtianæ accommodati ſint, debent tamen in uſu ſacro, ut θεόπνευςοι, retineri. Sed Miniſtris Eccleſiæ incumbet, ut delectu habito eos præſcribant canendos, qui & temporibus, & rebus, de quibus in Eccleſia diſſerendum eſt, maxime conveniant.

105. Quum vero non ad omnes prorſus Eccleſiæ Chriſtianæ uſus & neceſſitates *Pſalmi* Davidici ſint accommodati, hinc a Viris ſa-

pientibus & piis *Cantica* alia ſunt compoſita, ex quibus ſingulæ Eccleſiæ, quod ipſis maxime gratum, & ad ædificationem accommodatum videbatur, ſibi delegerunt. Non eſt ergo cujusque Miniſtri ab iis, quæ publice recepta ſunt, diſcedere, aut alia nondum recepta introducere.

106. *Matrimonii* Conſecratio Ritus eſt in omni Eccleſia Chriſtiana dudum receptus; *Theol. pract.* Cap. VII. §. 31. ſine qua ne in foro civili quidem inter Chriſtianos Matrimonium legitimum habetur. In ea ſic aget Eccleſiæ Miniſter, prout Leges publice conſtitutæ in qualibet Civitate requirunt. Supponimus autem, has Leges Verbo divino conſentaneas eſſe. Sin minus, erunt a Superioribus corrigendæ.

107. In hac Conſecratione ſ. Benedictione caute imprimis agendum eſt, ne ſanctum iſtud, & extra legitimas Divortii cauſſas indiſſolubile vinculum temere confirmetur, atque religioſus ille Conſecrationis matrimonialis actus profanetur. Cautelæ, quæ heic obſervandæ ſint, facile ex illo Capite, quod §. præced. allegatum eſt, intelligi poſſunt.

108. De *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ* exercitio etiam jam eſt actum *Theol. Dogmat.* Sect. I. §. 551. In ea exercenda duo cavenda ſunt extrema, *nimia lenitas* & *nimius rigor*. Illa licentiam gignit; hæc Eccleſiam perturbat, & nonnunquam cum *Zizaniis etiam bonum triticum* evellit, Matth. XIII. 29. Conf. *Theol. Polem.* C. V. §. 33.

109. Exercetur illa Diſciplina legitime tum in *Hæreticos*, tum in aperte ſcandaloſos *Peccatores*. De illis dictum *Theol. Dogmat.* Sect. I. §. 527. In quovis genere obſervandi *Gradus*, qui ſunt Matth. XVIII. 15-17. præſcripti. Nunquam ad ſummum eſt progrediendum, niſi prius tentati ſint inferiores. *Excommunicatio* publica rarius ſuſcipienda, quoniam cum infamia civili plerumque ſolet eſſe conjuncta: Civilem vero pœnam ſ. caſtigationem immittere non eſt Eccleſiæ, ſed politici Ordinis.

110. Præſtat ſæpiſſime, ſi eos, quicunque ſunt reſipiſcentiæ expertes Peccatores cum univerſos publice, tum ſingulos privatim, ſevere admoneamus ac hortemur, ut aut reſipiſcant, aut S. Cœnæ Communione abſtineant, ne in illud incidant *judicium*, de quo 1 Cor. XI. 27. 29. & Matth. XVIII. 7. Hæc admonitionum & exhortationum poteſtas Miniſtris haud pariter adimi poteſt, quemadmodum ademta eſt paſſim poteſtas excommunicandi.

111. Ibi tamen, ubi Magiſtratus ſunt ejusdem Eccleſiæ membra, plus effici poteſt, ſi ad eundem ſcopum iſti cum Eccleſiæ Miniſtris colliment; quam ſi Miniſtri ſoli, poſthabita illorum auctoritate, quod ſui Muneris eſt, exſequi conentur.

112. Hæc ſunt, quæ publico Miniſtrorum Eccleſiæ officio continentur. Sequuntur alia, quæ *privatim* agenda. Non enim exiſti-

exiſtimandum eſt, illis, quas diximus, rebus Muneri ſuo plene ſatisfacere Eccleſiæ Miniſtrum. *Cura animarum* non *generalis* modo, ſed & *ſpecialis* eſſe debet.

De hac ſpeciali Cura animarum, omnes, qui de S. Miniſterio ſcripſerunt, agunt. Peculiaribus & egregiis diſſertationibus eam non ita pridem pertractavit Cel. Bernenſium Theologus *Jac. Salchlinus.*

113. Huc pertinet 1. privata *Inſtitutio* juniorum & rudium, quam & in Scholis, ut recte fiat, curare, & ipſe quoque peragere debet. Inſtituendi vero & explorandi ſunt imprimis *Catechumeni*, ſeu illi, qui ad S. Euchariſtiam mox admitti volunt. Id negotium magni eſt momenti, quo minus diligenter peracto facile Miniſter conſcientiam ſuam ream facit.

114. Eodem pertinet *Correptio Malorum*, admonitio & confirmatio *Piorum*, Viſitatio & Cura *ægrotorum*, nec non eorum, qui ad *Mortem damnati* fuerint; & Conſolatio quorumvis *Adflictorum.* Quibus rationibus hæc ſint peragenda multi tradiderunt. Eos Miniſter Eccleſiæ ſibi notos facere debet. Nec ullus eſt Auctor, qui de S. Miniſterio egit, quin & harum rerum neceſſitatem, & peragendarum rationem docuerit. Vid. qui in *Encyclop. Theol.* nominati ſunt.

115. *Exemplo* autem quin Miniſter Cœtui ſuo in omni genere chriſtianarum Virtutum eſſe

eſſe debeat, §. 6. vix monendum eſſe exiſtimaremus, niſi multi viderentur ejus rei prorſus immemores. Hos legere ac meditari jubemus Matth. V. 13-16. 1 Petr. V. 2. 4. & alias ſimiles Verbi divini ſententias.

Regi ſæculorum incorruptibili, inviſibili, ſoli ſapienti DEO ſit Honor & Gloria in Sæcula Sæculorum. Amen. 1 Tim. I. 17.

INDEX

Capitum Theologiæ practicæ.

Cap. 1. de Lege DEI. p. 469.
2. de 1. Præcepto. p. 481.
3. de 2. Præcepto. p. 493.
4. de 3. Præcepto. p. 505.
5. de 4. Præcepto. p. 535.
6. de 5. Præcepto. p. 559.
7. de 6. Præcepto. p. 575.
8. de 7. Præcepto. p. 596.
9. de 8. Præcepto. p. 612.
10. de 9. Præcepto. p. 619.
11. de 10. Præcepto. p. 627.
12. de Summa Legis divinæ. p. 630.
13. de uſu Legis moralis. p. 630.
14. de Peccato & Bonis Operib. p. 643.
15. de Reſipiſcentia. p. 664.
16. de Motivis ad pietatem. p. 668.

Cap.

Cap. 17. de Impedimentis pietatis. p. 675.
18. de Adjumentis ſeu Mediis. p. 684.
19. de Oratione in genere, & de Oratione dominica in ſpecie. p. 689.
20. de S. Miniſterio & Officiis Miniſtrorum. p. 713.

F I N I S.

Errata

P. 106. §. 285. lin. 1. pro: *Nemo enim*: lege: *Nemo autem.*

P. 140. §. 415. lin. 4. pro: *perſinet*: lege: *pertinet.*

Similia alia leviora benevolus Lector facile condonabit.

005661705